COMPENDIUM

INSTITUTI SOCIETATIS JESU

COMPENDIUM

INSTITUTI SOCIETATIS JESU

PRÆPOSITORUM GENERALIUM RESPONSIS

Et auctorum sententiis

ILLUSTRATUM

AUCTORE P. HENRICO RAMIÈRE, S. J.

EDITIO TERTIA

Quam emendavit, et recentioribus decretis auxit, novissimæque
Compendii Privilegiorum recensioni accommodavit

P. JULIUS BESSON

Sacerdos ejusdem Societatis.

Ab⁸

ECOLE LIBRE
N.D. DE MONGRÉ

TOLOSÆ

TYPIS A. LOUBENS ET A. TRINCHANT

27, VIA DICTA D'AUBUISSON, 27

1896

ALMA COLLEGE
060.15
LIBRARY
R145
Alma California

43691

SUPERIORUM PERMISSU

AD USUM NN.

EXPLICATIO NOTARUM

Epit. P. 2, n. 6.....	Epitome Instituti, parte 2, paragrapho 6.
Ex., II, 6, A.....	Examinis generalis, capite 2, paragrapho 6 et declaratio A.
Cst., VI, III, 3, C.. .	Constitutionum, parte 6, capite 3, paragrapho 3 et declaratio C.
Cst., IV, X, 5, 6	Constitutionum, parte 4, capite 10, paragraphis 5 et 6.
C. G., XX, 22.....	Congregationis generalis 20, decreto 22.
Or., IV, 3.....	Ordinationum, capite 4, paragrapho 3.
Or., XVIII, 1, 1. ...	Ordinationum, capite 18, parte 1, paragrapho 1.
Ins., III, 1.....	Instructionis 3, paragrapho 1.
R. M. N. 4.....	Regula Magistri Novitiorum 4.
St. R. Prov. IX, 2..	In Ratione studiorum Regula Provincialis 9, paragrapho 2.
Cl. II, 2, 3.....	P. Claudii Instructionis ad Superiores, capite 2, titulo 2, paragrapho 3.
In. temp. Prov., 16.	Instructionis pro administratione rerum temporalium, pro Provincialibus, paragrapho 16.
(*b*. †, 1680).....	In codice *b*, responsum *datum* Provinciæ Tolosanæ, anno 1680.
(*b*. ††, 1720).....	In codice *b*, responsum *communicatum* Provinciæ Tolosanæ, anno 1720.
(1692 *contra* 1681)...	Responsum datum anno 1692 contrarium responso prius dato, anno 1681.

Ceteræ allegationes facile intelligentur.

I H S

MONITUM EDITORIS

Quid hac in tertia operis recensione præ oculis habuerimus, paucis, benevole lector, accipe.

1° A nonnullis desiderabatur magis perspicua rerum dispositio : nam menti officiebat nimis diversorum congeries. Quæ confusio oritur ex ipsa compilationis indole. Nihilominus ut judicio plurium accederemus, distributionem non immutavimus, ne hæc nova editio a prioribus nimis dissimilis evaderet. Attamen confusionem aliquo saltem modo emendare tentavimus, addito scilicet rerum indice juxta ordinem alphabeticum digesto.

2° Quos ex variis auctoribus commentarios deprompserat P. Ramière, ii quandoque non satis exacte referri visi sunt. Quibus subinde pressius enuntiatis, alios quosdam apposuimus; quod ut melius præstaremus, adjumento haud minimo fuerunt quæ de Instituto Societatis hisce temporibus a Nostris in lucem edita sunt.

3° Decretorum Congregationis XXIII et XXIV et novissimi Privilegiorum Compendii rationem habuimus, necnon recentiorum S. Sedis actorum.

4° Vitium aliud censor gravis haud unus auctori criminabatur quod non satis discrete Responsa Generalium attulisset, ea quibus puncta juris ex principiis statuebantur permixtim congerens cum his quæ ex prudenti œconomia et attentis circumstantiis pro aliquo casu particulari, *taxative*, ut aiunt, prodierant. Quod crimen in secunda jam editione diluere curaverat auctor. Ut tamen melius defenderetur, in limine operis præposuimus quasdam quasi regulas de ratione et valore Responsorum Generalium.

5° Nova haud pauca Generalium responsa attulimus; alia vero nonnulla, ut quæ minus utilia, parce tamen, delevimus : quod ideo monitum volumus ne, ex eo quod hac in editione desiderentur, argumentum fiat contra ipsorum authentiam. Cetera ex quibus fontibus deprompta sint, ut plurimum, indicavimus; et ideo unumquodque litteris notavimus distinctis, quarum sensum infra aperimus. (Cf. Prænotiones, I, in fin.)

Quamvis autem labore recensionis nobis manifesta fieret responsorum authentia, cum tamen auctor ea referret non semper de verbo ad verbum, sed per compendium, accidit ut passim Generalium sententia non satis exacte exprimeretur. Quare non semel, ubi præcipue de rebus gravioribus ageretur, responsa ad verbum recitata inter uncos inclusimus.

6° Appendicem de Privilegiis Societatis ex integro refecimus, et ex his facultatibus eas retulimus et quandoque declaravimus quæ frequentioris praxis visæ sunt.

7° Ad calcem libelli reperitur catalogus Patrum Generalium ex quo, collatis temporibus, haud ægre sciatur cuinam Generali responsum unumquodque sit tribuendum.

Insuper cum autores quidam sæpius essent allegandi, sæpius etiam eædem citandæ Pontificiæ Bullæ, ne aut libri titulum aut Bullæ tempus toties indicare esset necesse, duplicem conteximus indicem, unum quidem Litterarum Apostolicarum in causa Societatis, ex novissima Instituti editione petitum, alterum vero operum quæ hoc in compendio frequentius memoramus.

Superest ut iis e Nostris qui in hac paranda editione operam suam nobis, fraterne contulerunt, fraternas gratias rependamus. Faxit Deus ut libellus hic, a viro de Societate nostra reque catholica bene merito, permultas inter et apostolicas curas, olim quasi cursim compactus, studiosis Instituti nostri in commodum cedere pergat.

PRÆFATIO AUCTORIS

Opusculum quod prelo iterum mandatur eo fine non fuerat conscriptum ut in lucem prodiret et ullis præterquam ipsius auctoris manibus tereretur. Hic siquidem, cum anno 1854-1855, in domo tertiæ Probationis Lætiensi, solvendis casibus de Instituto præfectus fuisset, credidit se nullibi majorem lucem ad enodandas hujus studii difficultates reperire posse quam in responsis quæ, variis temporibus, Præpositi Generales Provinciarum postulatis dederunt. Fieri enim non potuit quin, ab origine Societatis usque ad præsens tempus, quæcumque in Instituto vel quoad expressionem obscura, vel quoad praxim difficilia sunt, disceptationibus ansam dederint et ad Generales Præpositos fuerint delata. Si igitur responsorum his quæsitis datorum completum syllabum possideremus, satis esset singula iis Instituti partibus ad quas referuntur subnectere, ut optimum nostri juris commentarium haberemus.

Hac persuasione ductus, auctor aut potius compilator præsentis opusculi brevissimum Instituti compendium concinnavit, singulisque punctis responsa quæ præ manibus habebat, ex alphabetico ad methodicum ordinem redacta, adjunxit. Cum autem hoc syntagma ab iis quibus innotuerat fuisset probatum et expetitum, Superiores, ejus utilitatis augendæ cupidi permiserunt ut Vallibus Aniciorum, autographice imprimeretur. Neque spem de eo conceptam eventus fefellisse videtur; nam ex variis locis, maxime vero e domibus tertiæ Probationis, petita fuerunt exemplaria et

adhuc petuntur postquam prima editio exhausta fuit. Auctor igitur ab iis quibus negare nihil valet requisitus fuit ut novam editionem præpararet. Sed cum primi sui laboris imperfectionum conscius esset, nihil omittere voluit, ut eas quantum in se erat corrigeret. Magna porro difficultas oriebatur ex documentorum insufficientia. Ea enim responsorum collectio cujus ope prima editio facta fuerat vix ultra primum Societatis sæculum se extendit. Quæsitæ igitur fuerunt ampliores collectiones; nec omnino infructuosa fuit hæc inquisitio, licet præsens romani archivii status fontem præcluserit unde plenius haurire poteramus. Cum tamen certiores facti fuerimus adesse in domo tertiæ Probationis Laudunensi exemplar responsorum multo copiosius quam id quod in Lætiensi domo erat, a digno hujus domûs Rectore flagitavimus ut permitteret inde in nostrum librum tranferri responsa quæ nobis ignota fuerant. Quod cum benigne fuisset concessum, P. Adigard hanc curam in se suscepit, nec novis responsis tantum sed et aliis quibusdam notis opusculum ditavit.

Aliud auxilium nobis suppeditavit divinæ Providentiæ dispositio qua factum est ut ad Tolosanæ Provinciæ archivium rediret manuscriptus codex in quo inscripta fuerant acta Provincialium Congregationum, Tolosæ habitarum ab ipsa fundatione Provinciæ Aquitaniæ usque ad annum 1750 *[cum modica lacuna ab anno 1693 ad annum 1706]*. Ibi reperimus, cum postulatis sive Congregationum sive Præpositorum Provincialium et plerisque Generalium responsis, alia responsa cæteris Provinciis data et Tolosanæ Provinciæ communicata, ab anno 1571 ad annum 1628.

Non pauca inde excerpere potuimus nostro opusculo complendo utilia; utque dignosceretur fons ex quo duplex hoc responsorum genus fuit depromptum, responsa Provinciæ Tolosanæ data, unica cruce, alia vero ipsi communicata cruce duplici signavimus.

Verum quantacumque foret horum documentorum utilitas ad Societatis nostræ traditiones manifestandas, nullam inde lucem haurire poteramus ad novas dispositiones deprehendendas quas

nostrorum Superiorum prudentiæ temporum ac rerum vicissitudines non potuerunt non suggerere. Mancum igitur remansisset nostrum opusculum, nisi ex Lugdunensis Provinciæ archivio nobis suppeditata fuisset collectio responsorum quæ a restituta Societate Superioribus hujus Provinciæ a Generalibus data fuerant aut ab aliis Provinciis communicata. Hæc equidem non semper ab ipso Patre Nostro emanant; multa enim sive a R. Patre Rozaven Galliæ assistente, sive ab ejus successore P. Ambrosio Rubillon scripta fuere; quædam etiam a Patre secretario, pauca demum a Patre Philippo de Villefort substituto Assistentiæ fuere tradita. Hæc respective signavimus litteris P. A., P. Secr., P. Subst. Quæ vero solam temporis designationem ferunt ea sunt quæ ab ipso Patre Nostro data fuere. Cæterum, cum supponi nequeat eos qui Societatis Generalem circumdant, consultationibus ad ipsos missis respondere nisi prius de ejus mente certi sint, hujusmodi responsa vix minorem auctoritatem habent ac si ab ipso data fuissent. Eas vero responsiones quæ ad alias Provincias fuerant missæ, quæque per se in his solis Provinciis vim legis habent, litteris initialibus nominis singularum *Provinciarum indicavimus*.

Jam igitur credere licet nos, in hoc nostro libello, compendium habere satis completum tum antiqui tum recentioris nostri juris.

Nihil proinde restat nisi ut hanc nostram opellam iis offeramus qui nostrum Institutum penitus cognoscere cupiunt, eosque humiliter rogemus ut errores qui in eam non potuerunt non irrepere nobis indicare non dedignentur. Fraterno hoc auxilio completus atque perfectus liber hic, utut parvus, non parum, ut speramus, ad nostri juris notitiam inter nostros spargendam conferre poterit.

Vix autem necessarium est lectores monere Generalium responsa, quorum non semper quidem textum sed substantiam hic exhibemus, non ita a nobis tradi quasi vim obligatoriam habeant. Scitur enim ea, ipso quo prolata fuerunt tempore, solas Provincias ad quas missa fuerant obligasse, cæterisque solius directionis gratia fuisse communicata. Cumque Provinciæ omnes in fine ultimi sæculi fuerint suppressæ, responsa quæcumque hac sup-

pressione priora non magis hodie hanc quam illam obligant, ac erga omnes proinde sola vi directiva per se pollent. Ideo inutile censuimus unicuique eorum quæ Societatis eversione antiquiora sunt, subjungere nomen Provinciæ cui fuerat datum. Solam temporis designationem quantum licuit addidimus, quæ reapse magni momenti est. Cum enim non semper eadem ratione eidem quæsito fuerit responsum, necesse erat scire quænam ex oppositis sententiis posteriori loco prolata fuisset, ac alteri prævaleret. Eæ porro ipsæ decisiones quæ vel posterioribus responsis vel præsenti usu rescissæ videntur, cognitu minime inutiles sunt. Quamvis enim mutatio temporum huic nostri regiminis mutationi justissimam causam præbere potuerit, optimum est scire quid, in his rebus quæ jam necessariæ factæ sunt, majores nostri formidaverint, ut pericula his insita vitemus, dum eas ex necessitate admittimus. Insanum foret utique, societate civili sus deque versa, et ipsa Ecclesiæ disciplina non parum mutata, omnes majorum nostrorum consuetudines innovare velle; at vero nihil sapientius esse potest, nihil utilius quam primævum Instituti spiritum, qui ex his consuetudinibus spirat, toto pectore haurire[1]. Si ex nostro opusculo fructus adeo exoptandus aliquatenus oriretur, superabundanter remuneratos nos reputaremus, qui amplam nostri laboris mercedem ex ipso hoc labore jam percepimus.

Tolosæ, die 5 Februarii anni 1880.

H. RAMIÈRE, S. J.

[1] De quo cf. prænot. I, ubi proponuntur normæ quas præ oculis lector habere velit, dum evolvetur hocce compendium.

PRÆNOTIONES

I

DE RESPONSIS PRÆPOSITORUM GENERALIUM

Cum munus interpretandi Institutum ad Præpositos Generales pertinet, illud adimplere consueverunt via, inter alias, *responsorum* quæ, tempore Congregationis triennalis, Procuratoribus Provinciarum dantur. Hæc porro responsa vim præceptivam non habent nisi in illa Provincia cui data sunt. Ex responsis tamen ad alias Provincias datis Procurator ea seligere potest, approbante et subscribente Generali, quæ opportuna existimaverit : at in Provincia ipsa cui ita communicantur non obligant, nisi id expedire Provincialis cum Consultoribus judicaverit. (Ita Form. Congr. Prov. 16.) In ceteris autem Provinciis directionem tantum præbent.

Id jam Generales ipsi responderant. « Responsiones suas P. Claudius declaravit non obligare nisi eam Provinciam ad quam mittuntur; cæteris communicari pro majori notitia » (*a.* ad Prov. Germ. 1587); « sine obligatione » (*a.* ad eamdem 10 januar. 1581), « solum ad directionem aliquam » (*a.* ad Prov. Austriæ, 17 maii 1631). « Poterit tamen Provincialis cum Consultorum consilio acceptare quas judicaverit utiles » (*a.* ad Prov. Neap. 1590). Et P. Carrafa : « Responsa Præpositorum Generalium vim directivam habent ubique; at præceptivam ad obligandum solum in iis Provinciis ad quas mittuntur, vel quibus communicantur cum approbatione Generalis » (*a.* ad Prov. Austr. 22 sept. 1646).

Jam vero cum, exstincta Societate, Provinciæ antiquæ suppressæ fuerunt, sequitur responsa olim his Provinciis data nequaquam hodie vim suam obligandi retinere. At quam sapiens agendi ratio ex his

haud raro possit desumi, nemo non videt. Attamen ut hac in re melius procedatur, hæ forte præ oculis habendæ sunt normæ.

Contigit aliquando ut in suis responsis punctum quoddam juris *in se ipso* interpretentur Generales. Alias vero non tam jus ipsum, quam ejusdem ad casum particularem applicationem pro adjunctis determinant. Imo nonnumquam prudentem aliquam praxim, juxta mentem Instituti, œconomice commendant aut præscribunt. Primi generis existunt varia illa responsa, quibus, ex locis ipsis constitutionum, jam ante Congregationem XXIV, Residentiarum nudarum ad redditus stabiles possidendos incapacitas declarabatur. (Cf. infra P. II, c. 5.) Alterius generis exemplum habes in responso illo P. Mutii : « Dimitti debet a Societate qui ante ingressum gestavit habitum S. Basilii, animo ut fieret religiosus, quia est impedimentum » (*a.* jul. 1638). Tertii sit illud P. Nickel : « Certum deliberatumque mihi est nunquam permittere ut usus choccolatæ alicubi introducatur » (*a.* ad Prov. Flandrobelg. 31 oct. 1654).

Jamvero ad primum responsorum genus quod attinet, notandum est resolutiones quasdam a Generalibus prius datas, postea per jus novum a S. Sede aut Congregationibus Generalibus introductum ipso facto antiquatas esse. Ita v. g. responderat P. Ev. Mercurianus : « Non est casus reservatus alteri confiteri sine facultate, nisi confessio contineat materiam peccati mortalis » (*a.* Mediol. 1579). Quod responsum post reservationes a C. G. V, 51 sancitas non amplius locum habet. Hinc necesse erit haud semel tempus variorum responsorum præ oculis habere. Imo non est prætermittendum, interpretatione ab aliquo Generali facta, aliam subinde diversam successoribus aliquoties præplacuisse. Ex quo deprehendes dubium quoddam de jure nostro non semper ex unica alicujus Præpositi responsione posse dissolvi, ubi præsertim graves contra pugnent rationes; sed aliquando variis ex adjunctis vim responsi esse perpendendam. At aliter plane res se habet, si constans affertur unius aut plurium Generalium interpretatio, longa praxi forte firmata. Tunc enim hujusmodi jurisprudentia, quamvis directe vi obligandi multis in locis, ex dictis, destituatur, indirecte tamen præceptiva auctoritate non caret cum omnibus juris nostri in se considerati sensum aperiat, a competenti interprete constanter declaratum.

Alterum responsorum genus, quibus scilicet applicatur jus ad casum

particularem, caute adhiberi debet. Ut enim de casu ad casum recta fiat translatio, requiritur casuum paritas, de qua prudens admodum judicium sit oportet. Ita plane oberraret qui convictibus nostris modernis *externisve* nostris sodalitatibus Marianis sine discrimine ea applicaret, quæ de convictibus *antiquis internisve* Sodalitatibus responsa fuere.

Quoad tertium denique responsionum genus, quæ praxim aliquam ad mentem Instituti, potius quam ex ipsis verbis, œconomice inculcant, non minus erit ad temporum, locorum, personarum conditiones attendendum : quod enim in uno loco prudenter conceditur, idem sæpe prudentius in altero negabitur. Ita chirothecarum usus in Polonia per hiemem necessarius et de facto concessus (*a.* Polon. 1626), aliis quibusdam in regionibus paupertatem religiosam atque humilitatem non satis redolebit. Pari ratione, quod de choccolata respondebatur ut rite intelligatur, inquirendum est utrum de jentaculo in responsione quæstio sit, annon de usu in Hispania vigenti tali cibo utendi sub vesperum; et rursus utrum usus jentandi, temporibus illis, jam in praxim generalem transiisset.

Quis tamen negabit ex hujusmodi responsis, si minus littera quam mens in ipsis consideretur, nostrarum legum indolem intimamque instituti rationem pleniorem in lucem reponi? (Cf. præfationem auctoris.)

Quæ hucusque dicta sunt, a fortiori de responsis non jam Provinciæ sed privato homini datis erunt tenenda, ubi præsertim non Præpositus generalis sed Assistens Secretariusve interrogatus responderit.

Superest ut codices e quibus responsa in hoc Compendio allata deprompta sint, indicemus, signaque aperiamus quibus varios codices notavimus.

1° Codex responsorum PP. Generalium in curia P. Generalis asservatus, quem Romæ transcribendum curavit RR. DD. Carolus Lavigne, S. J., dum apud A. R. P. Beckx munere Substituti Secretarii pro Assistentia Galliæ fungeretur. Exstabat jam in archivio Provinciæ Tolosanæ exemplar alterum ejusdem codicis : utrumque convenit, paucis exceptis in quibus mendum ex mutua codicum collatione absque negotio corrigitur. Ille codex non continet responsorum teno-

rem de verbo ad verbum extensum, sed eorum sensum per compendium refert. Exemplum rei sit illud. Ad V. *Collectio triduana,* n. 2, legitur : « Melius esset fieri collectionem triduo immediate antecedente, potest tamen fieri in feriis Natalitiis, cum renovatur in Circumcisione vel Epiphaniis. — Tolos. 1611. » Jam vero in codice Congregationum antiquæ Provinciæ Tolosanæ, de quo infra in nº 2, sic jacet genuina responsi expressio : « Etsi utilius videri possit si (triduana) recollectio (votorum renovationem) immediate præcedat, id tamen non esse necessarium indicant illa verba § 7 Ins. V pro Scholasticis, quibus ipsæ Natalitiæ vacationes designantur tanquam tempus illi recollectioni percommodum, cum tamen ordinarie vota non renoventur nisi aliquanto post, hoc est in festo Circumcisionis, ut plurimum, aut Epiphaniæ. » (Resp. ad Memoriale Provincialis, 1611, ad. 5.)

Hunc codicem indicamus littera *a*.

2º Codex Congregationum Provincialium antiquæ Provinciæ Tolosanæ, cum responsis eidem Provinciæ aut datis aut communicatis ; de quo cf. P. Ramière in sua præfatione.

Indicatur littera *b*.

3º Codex responsorum modernæ Provinciæ Tolosanæ aut datorum aut communicatorum.

Indicatur littera *c*.

4º Codex responsorum modernæ Lugdunensis Provinciæ.

Indicatur littera *d*.

5º Codex in quo continentur varia excerpta ex litteris privatis P. Generalis ad Provincialem Tolosanum.

Indicatur littera *f*.

6º Codex encyclicarum et litterarum P. Generalis ex archivio domus Valsensis, hodie Uclensis.

Indicatur littera *g*.

7º Codex encyclicarum et litterarum PP. Generalium ex archivio Provinciæ Tolosanæ.

Indicatur littera *i*.

8º Codex eorum responsorum et litterarum PP. Generalium quæ ad seminarium Valsense, hodie Uclense, pertinent.

Indicatur littera *k*.

II

INDEX CHRONOLOGICUS

QUARUMDAM EX LITTERIS APOSTOLICIS AD SOCIETATEM PERTINENTIBUS

Paulus III.	*Regimini militantis*	27	Sept.	1540.
»	*Injunctum Nobis*	14	Mart.	1543.
»	*Cum Inter Cunctas*	3	Jun.	1545.
»	*Exponi Nobis*	5	Jun.	1546.
»	*Licet Debitum*	18	Oct.	1549.
Julius III.	*Exposcit Debitum*	21	Jul.	1550.
»	*Sacræ Religionis*	22	Oct.	1552.
Pius IV.	*Etsi ex Debito*	13	April	1561.
»	*Exponi Nobis*	19	Aug.	1561.
Pius V.	*Æquum Reputamus*	17	Jan.	1565.
»	*Innumerabiles Fructus*	29	April	1568.
»	*Cum Litterarum*	10	Mart.	1571.
»	*Cum Indefessæ*	7	Jul.	1571.
Gregorius XIII.	*Ex Sedis Apostolicæ*	28	Febr.	1573.
»	*Exponi Nobis*	8	Jan.	1575.
»	*Decet Romanum Pontificem*	3	Maii	1575.
»	*Quæcumque Sacrarum*	16	Jul.	1576.
»	*Salvatoris Domini*	30	Oct.	1576.
»	*Apostolicæ Sedis*	18	Dec.	1576.
»	*Quanta in Vinea Domini*	7	Maii	1678.
»	*Usum Altaris*	1	Oct.	1579.
»	*Ex Debito Pastoralis*	5	Aug.	1528.
»	*Cum Alias*	22	Sept.	1582.
»	*Pium et Utile*	22	Sept.	1582.
»	*Quanto Fructuosius*	1	Febr.	1583.
Gregorius XIII.	*Ascendente Domino*	25	Maii	1584.
»	*Satis superque*	10	Sept.	1584.
»	*Exponi Nobis*	13	Oct.	1584.
»	*Vigore Privilegii*	20	Nov.	1584.
»	*Omnipotentis Dei*	5	Dec.	1584.

Sixtus V.....	*Superna Dispositione*.....	5	Jan.	1587.
»	*Romanum Decet Pontificem*.....	29	Sept.	1587.
Gregorius XIV..	*Ecclesiæ Catholicæ*.....	28	Jun.	1591
»	*Exponi Nobis*.....	30	Aug.	1591.
Clemens VIII....	*Romanus Pontifex*.....	14	Jun.	1595.
»	*Cum Sicut Nobis*.....	30	Aug.	1602.
Paulus V.....	*Quantum Religio*.....	4	Sept.	1606.
»	*Ex Incumbenti*.....	31	Jan.	1618.
Gregorius XV...	*Alias pro Parte*.....	15	April	1621.
Urbanus VIII...	*Romanus Pontifex*.....	31	Mart.	1629.
»	*Vota quæ Deo*.....	25	Jan.	1631.
»	*Exponi Nobis*.....	31	Aug.	1635.
»	*In His Auctoritatis Nostræ*.....	23	Aug.	1641.
»	*Honorum Dignitatumque*.....	26	Febr.	1643.
Innocentius X..	*Prospero Felicique Statui*.....	1	Jan.	1646.
Alexander VII..	*Exponi Nobis Nuper*.....	7	Aug.	1662.
»	*Debitum Pastoralis Officii*.....	1	Jan.	1663.
Clemens IX.....	*Religiosorum Virorum*.....	20	Sept.	1668.
Clemens X.....	*Nuper pro Parte*.....	3	Aug.	1672.
»	*Cum Dudum*.....	16	Sept.	1675.
Clemens XI.....	*Nuper pro Parte*.....	3	Jun.	1716.
»	*Sacri Apostolatus*.....	1	Dec.	1719.
Benedictus XIII.	*Postulat Humilitati Nostræ*.....	7	Mart.	1725.
»	*Injuncti Nobis*.....	14	Jun.	1728.
»	*Redemptoris Nostri*.....	23	Sept.	1729.
Benedictus XIV.	*Devotam Majori*.....	17	Dec.	1746.
»	*Ex quo Dilectus*.....	14	Jan.	1747.
»	*Gloriosæ Dominæ*.....	27	Sept.	1748.
»	*Quemadmodum Presbyteri*.....	15	Jul.	1749.
»	*Quo Tibi Dilecte*.....	8	Sept.	1751.
»	*Exponi Nobis*.....	30	Jan.	1753.
»	*Laudabile Romanorum Pontificum*.	15	Febr.	1758.
Clemens XIII....	*Apostolicam Pascendi*.....	7	Jan.	1764.
Clemens XIV....	*Cælestium Munerum*.....	12	Jul.	1769.
»	*Dominus ac Redemptor*.....	21	Jul.	1773.
»	*Gravissimis ex Causis*.....	13	Aug.	1773.
Pius VII.....	*Sollicitudo Omnium Ecclesiarum*..	7	Aug.	1814.
Leo XII.....	*Plura Inter*.....	11	Jul.	1826.
Leo XIII.....	*Dolemus Inter Alia*.....	13	Jul.	1886.
»	*Gravissime Nos*.....	30	Dec.	1892.

III

BIBLIOGRAPHIA

QUORUMDAM OPERUM QUÆ IN HOC COMPENDIO CREBRIUS CITANTUR

Bizzarri. — *Collectanea in usum Secretariæ S. C. Episcoporum et Regularium.* — Romæ. Typ. Rev. Camer. Apost. 1863.

Bouix. — *De jure Regularium.* — Ed. 2ª. Parisiis, 1867.

[Cirayegna, S. J.] — *De Societatis Jesu Paupertate, quæstiones variæ.* — Prati. Giachetti, 1892.

Mélot, S. J. — *De Ordinibus Congregationibusque religiosis.* — Nova editio revisa et aucta. — Lovanii 1888-1889.

Montrouzier, S. J. — *De Instituto Societatis Jesu.* — Vallibus Anicii, 1873.

Natalis (Hieronymus), S. J. — *Scholia in Constitutiones et declarationes S. P. Ignatii.* — Prati. Giachetti, 1883.

Oswald (Augustus), S. J. — *Commentarius in decem partes constitutionum Societatis Jesu.* — Insulis. Desclée, de Brower et Cie, 1892. — Prodiit editio altera 1895; ad hanc posteriorem se referunt passim loca a nobis allegata.

Pellizzari. — *Manuale Regularium.* — Lugduni, 1653 (Prohibitum).

Santi. — *Prælectiones juris canonici.* — Ratisbonæ, Pustet, 1887.

Suarez. — *De Religione.* — Tract. vii, viii, ix, x. — Edit. Vivès parisiensis (1859), tomi 15 et 16.

Tractatus de Religione Societatis Jesu. — Curis P. de Réverseaux. — Parisiis-Bruxellis, 1857.

VILLADA, S. J. — *De confessariis nostris. Notæ aliquot ad usum NN.* — Edit. altera. Vallisoleti, apud vid. a Cuesta, 1892.

Collectanea constitutionum, decretorum, indultorum ac instructionum S. Sedis, ad usum operariorum apostolicorum Societatis Missionum ad Exteros, selecta et ordine digesta cura moderatorum Seminarii Parisiensis ejusdem Societatis. — Parisiis. Chamerot, 1880.

Epitome Instituti S. J. — Prati in Etruria. — Typ. Giachetti, 1882.

Institutum Societatis Jesu : t. I, 1869. Romæ, typis Civilitatis catholicæ; — t. II, 1870. Ibid. ; — t. III, Bullarium Indulta et Comp. Privilegiorum. Florentiæ. Typ. a SS. Conceptione, 1886, 1891. Prodiit annis 1892-1893 novissima editio, cujus vol. I continet litteras apostolicas inter quas inseruntur suis in locis varia indulta, et additur compendium Privilegiorum; vol. II constitutiones et decreta Congregationum Generalium; vol. III, cætera. In hoc nostro compendio indicantur loca Instituti juxta editem 1869-1891

Practica quædam ad formulam scribendi, paradigmata informationum et formulæ variæ. — Florentiæ. Typ. a SS. Conceptione, 1884.

PROŒMIUM

De Societate Jesu ejusque instituto universim.

CAPUT PRIMUM

DE SOCIETATIS JESU NOMINE, FINE ET VITA

I. — **Nomen Societatis Jesu** ipsi a sede Apostolica in prima 1
sua institutione datum est. (Ex. I, 1.) Utpote Deus Ignatium Sociosque Jesu Filio commendavit. (Leo XII, *Plura inter.)* At cum adorabili Jesu nomine, dulcissimum Matris ejus nomen ubique annuntiare non destitit Societas. (Bened. XIV, *Gloriosæ Dominæ.*) Quare SS. Jesu et Mariæ Cordibus totam se authentice devovit ac munus zelandi cultum Cordis Jesu, ab ipso Christo commissum, solemniter acceptavit. (C. G. XXIII, 46.)[1]

[1] Quanti hoc nomen S. P. Ignatius fecerit nemo ignorat. Cujus rei rationes varias affert Suarezius (*De Relig. Soc. Jesu,* l. I, c. I), et Orlandinus (l. II, c. II.) Quemadmodum Exercitia totam Instituti medullam continent, ita nomen Societatis Jesu totum Exercitiorum spiritum exprimunt. Merito igitur vituperati sunt ii qui nomen Societatis Jesu diplomatibus pontificiis et universali usu nobis tributum in nomen *Societatis nominis Jesu* mutabant (*b.* †, 1584).

II. — **Finis Societatis** duplex est : 1° saluti et perfectioni pro- 2
priarum animarum cum divina gratia vacare ; 2° cum eadem

gratia impense in salutem et perfectionem proximorum incumbere. (Ex. I, 2.)[1]

[1] Prior finis genericus est et omnibus religiosis ordinibus communis ; posterior specificus et mendicantibus clericisque regularibus proprius.

Ambo apud nos in unum completum finem coalescunt, qui est major Dei gloria in se et proximo procuranda. Quare uterque finis partialis sapientissime inter se ita coordinatus existit, ut sese mutuo adjuvent. (Cf. Suarez, l. I, c. II.)

3 III. — **Vita Societatis** mixta est, actione et contemplatione constans, quæ, juxta S. Thomam, perfectissima vita est. (III Dist. 35. q. 1, a. 4, qstcul. 2.)[1]

Societas est vera Religio mendicans (Gregor. XIII, *Ascendente*), et quidem ex natura sua : vi enim constitutionum ab initio domus Societatis professæ bona stabilia in communi habere non valent. (Pius V, *Dum indefessæ.*) — Insuper Societas est Religio clericalis : ejus enim membra ministeriis spiritualibus in proximorum commodum se dedunt. (Paul. III, *Injunctum Nobis.* — C. Trid., sess. 25, c. 16, *De Regul.*)[2]

Vita Societatis quoad externa communis est, nec ullis ordinariis pœnitentiis onusta. (Ex. I, 6.)

4 [1] Etsi hanc nostræ vocationis perfectionem magni facere debeamus, abstinendum est tamen ab iis omnibus quæ minorem æstimationem erga ceteros religiosos ordines redolerent. (P. Natalis *in catalogo eorum de quibus in recreatione colloquendum est.*) — Optandum esset ut cum omnibus religiosis familiis eam sanctam neccessitudinem contraheremus quæ nos Carthusiensium ordini devincit ; idque omnes nostri curare debent (*b.* †, 1615). Cf. quoque P. Roothaan, Litt. encycl., 7 jul. 1830, et Reg. Rect., 81.)

[2] Quatuor sunt ordines mendicantes a jure agniti : Prædicatorum, Minorum, Eremitarum sancti Augustini et Carmelitarum. Ex his soli Minores ex regula mendicantes sunt ; cæteri ex constitutionibus regulæ adjunctis. His quatuor alii a Pio V cooptati sunt : Servitarum, Minimorum, Jesuatarum et Societatis Jesu : deinceps multi alii ordines facti sunt mendicantium privilegiorum participes.

Concilium Tridentinum, Sess. 25, c. 3, *De Regularibus,* omnibus ordinibus præter Observantes minores et Capuccinos potestatem fecerat bona stabilia possidendi, non obstantibus eorum constitutionibus. Non dubitat Suarez potuisse Societatem hanc mitigationem acceptare, si voluisset ; quamvis pro-

fessi vovissent se non procuraturos aut in Congregatione generali non consensuros (consensu scilicet cooperativo), ut paupertas relaxaretur. Sed cum Societas hanc repudiaverit in Cong. Gener., II, 33; et Gregorius XIII in Bulla *Ascendente* ejus Institutum cum suæ primævæ paupertatis puritate sanxerit, nulla jam superest facultas ad eam mitigandam. (Sanch., l. VI, c. XVIII, n. 14. — Suarez, l. VI, c. VI, n. 9, 10. — Ciravegna, *De S. J. Paup.*, n. 123, 124.)

Obstare quidem videri potest huic perfectioni quæ ad ordinem mendicantem constituendum requiritur quod apud nos Collegia et domus Probationis bona stabilia habeant; sed animadvertendum est :

1° Societatem professam his bonis ad suarum domorum sustentationem minime uti posse;

2° Scholasticos et alios qui hæc Collegia incolunt in via esse ut Professionem aut vota publica edant, post quæ ad strictissimam paupertatem tenebuntur. Hinc vero totam Societatem merito specificari ex potiori parte ad quam ceteræ coordinantur.

3° Ipsos horum bonorum utile dominium minime habere, nec de eis ullo modo disponere posse.

Cæterum Societatem et *personas* Societatis *omnes et singulas vere et non ficte mendicantes fuisse, esse et fore* pronuntiavit Pius V. (*Dum indefessæ.*) Neque obstat quod hodie nulla habeatur domus professa. Primum enim Residentiæ perpetuæ, ex infra dicendis, redditibus stabilibus incapaces sunt, et quoad paupertatem Domibus professis æquiparantur. At insuper si desiderentur domus professæ, hoc est factum transiens ipsi Societatis inopiæ debitum, non jus permanens. (Cf. C. G., XXIV, 23.) Tandem ex supradictis de Sess. XXV, c. III, Syn. Trid., ad hoc ut Ordo aliquis sit ex natura sua mendicans, satis est si ex *primitiva sua institutione* talis fuerit.

CAPUT SECUNDUM

DE INSTITUTO SOCIETATIS

ARTICULUS PRIMUS

De Instituti Partibus.

I. — **Hæ partes numerantur.** — Constat Institutum :

1° *Litteris Apostolicis* quibus in novissima editione (Romæ, 1869-70. Florentiæ, 1886), addita sunt varia indulta et rescripta hoc sæculo data, et ex quibus potissimum compactum Comp. Privil. (T. 3.)

2° *Compendio Privilegiorum,* de quo cf. appendicem.

3° *Constitutionibus cum Examine.* — Declarationes a B. P. N. additæ sunt, illustrationis gratia, absque brevitatis detrimento; eademque pollent auctoritate. (*Proœm. in Decl.*, P. VI, 1, A.) [1]

4° *Decretis XXIV Congregationum* necnon et earum canonibus usque ad XII. Ea tamen decreta quæ ante Generalis electionem fiunt vim legis non habent nisi post electionem confirmata (C. G., I, 115. — II, 51. — III, 4, 33. — Form. C. G., 19.) [2]

5° *Formulis* in Congregationibus approbatis.

6° *Regulis* communibus et particularibus cum Epistola B. P. Ignatii de obedientia et Formulis votorum.

7° *Ratione Studiorum.*

8° *Generalium ordinationibus.*

9° *Instructionibus.*

Exercitia potius sunt Instituti anima quam ejus corporis pars : his additum Directorium et Industriæ.

[1] « Declarationes Constitutionum compositas esse a P. N. testatus est P. Claudius litteris patentibus ad Prov. Bætic. » (*a* 1588). 6

Nuperrime prodiit in lucem (Matriti, Typis Aguado 1892), editio nova Constitutionum, eaque accuratissima, in qua « expensa est latina versio et ad hispanum codicis autographi exemplar recensita ; ac ubi aliquid discriminis, quod notatu dignum videretur, inventum est, id in imis singulis paginis fuit adscriptum. » (Præf.) Textus vero uterque, hispanicus nempe et latinus, in hac editione habetur. Porro declaravit C. G., XXIV, 27, « nihil in ipso versionis (vulgatæ) contextu esse in præsens emendandum... (sed) schema correctionis vulgatæ editionis ad fidem autographi hispani recognoscendæ, in proxima Congregatione Generali Patribus discutiendum atque probandum (fore). » Cf. quoque de indole juridica textus et translationis Constitutionum, P. Oswald, Procem., c. III.

[2] In editione novissima Instituti inserta sunt post decreta C. G., XIX, decreta quinque Congregationum Polocensium.

II. — **Respectiva cujusque partis auctoritas.** — Auctoritas 7 omnium Instituti partium eadem est quæ ante eversam Societatem erat. Id patet ex tenore Bullæ *Sollicitudo* (1814) quam sic explicat Cong. XX, d. 6, et ex Brevi *Dolemus inter* (1886) ; ne exceptis quidem privilegiis, nisi ipsis derogatum fuerit per Pontificias constitutiones, inter quas tamen vim non retinet Breve Clementis XIV, *Dominus ac Redemptor* (Leo XIII, *Dolemus inter.*) [1]

Rationem Studiorum nostris temporibus accommodari et ad Provincias in experimentum mandari voluit C. G., XX, 10, et C. G., XXI, 15. Jussu, C. G., XXII, 38, denuo recognita et ad omnes Provincias mittenda fuit [2]. — Minime vero excipiuntur a confirmatione, de qua supra, Præcepta et Censuræ quæ sive in Constitutionibus sive in decretis Congregationum continentur. (C. G., XX, 24.)

Ea quæ sub quinque prioribus numeris indicata sunt, vim legis generalis in Societate possident. Ordinationes Generalium vim habent supremæ administrationis executionem legum determinantis juxta auctoritatem Præposito concessam. (Cst. IX, III, 20.) — Regulæ qua tales eadem auctoritate pollent ac aliæ Generalium

Ordinationes (Cst. VI, III, 3; coll. cum C. G., I, 143; juxta decl. C. G., VII, 76), at multa in Regulis excerpta sunt ex Constitutionibus ac Congregationum decretis, et exinde vim priorem retinent. — Instructiones demum auctoritatem habent mere directivam. (C. G., VII, 81.)[3]

Scholion. — Quia juris nostri, quod per varias Instituti partes sparsum existebat, ordo quidam methodicus desiderabatur, confectum fuit jussu C. G., XII, 56, n. 1, et editum auctoritate C. G., XIII, *Epitome Instituti,* cujus editio novissima prodiit Prati anno 1882. Quælibet in libello contenta eamdem vim habent qua gaudent extra.

8 [1] De identitate suppressæ et restitutæ Societatis, cf. præclarum opus P. Sebastiani Sanguineti : *La Compagnie de* Jésus *et son existence canonique* (Trad. P. Noury. Paris, Bray et Retaux, 1884.) Rei demonstrandæ duplex est ratio : una ex legali restitutione Societatis, numero ejusdem, a Pio VII facta ; altera ex legitima ipsius Societatis in Alba Russia permanentia.

Ex priori modo rem concipiendi consequitur per bullam Pianam *Sollicitudo* (1814) restituta fuisse *ipso facto* privilegia quæ cum essentia Societatis connectebantur, ac præcipue conditionem Ordinis Regularis, indeque exemptionem ; ex altero autem videbatur consequi etiam privilegia adventitia nunquam a Societate amissa fuisse. At, cum in foro externo legali Societas haberetur ut vere restituta, de his privilegiis primum dubitatum fuit. (C. G., XX, 6.) Ratio est quia Pius VII derogavit Brevi Clementis XIV tantum ad effectum suæ Constitutionis : porro in hac Constitutione, prout eam interpretatus est Leo XII in Brevi *Plura inter*, Pontifex Pius VII rem de privilegiis reservavit, ac proin potuit dubitari utrum suppressio a Brevi Clementino facta persisteret. (Cf. Sanguineti, l. c., c. XI.)

At postquam SS. DD. Leo XIII, etiam quoad privilegia, expresse Clementino Brevi dignatus est derogare, nulla jam hac de re superest difficultas. Confirmat enim « omnes et singulas litteras apostolicas quæ respiciunt erectionem, institutionem et confirmationem Societatis Jesu... a Paulo III ad hæc usque tempora datas... et in eis contenta atque inde secuta quæcunque, necnon omnia et singula vel directe vel per communicationem cum aliis Ordinibus Regularibus eidem Societati impertita ». — De quo Brevi ita P. Anderledy, rei totius bene conscius et privilegiorum nostrorum interpres authenticus : « Die 14 julii 1885 SSm. Pater Leo XIII... mihi significavit quantum Suæ Sanctitatis Prædecessores Societati Jesu contulissent beneficiorum, tantumdem se nobis volenti animo collaturum. Quod igitur Sua Sanctitas tunc benignissime obtulit, id jam Apostolicis suis Litteris... R^a V^a præstitum videbit.

Negabant nimirum Societatis nostræ adversarii eam integro, quem tenebat priusquam a Clemente XIV supprimeretur, statui per Pium VII fuisse redditam. Dubitabant etiam Nostri non pauci num privilegia et facultates a Clementis XIV antecessoribus veteri Societati concessa, fuerint novæ restituta. At nunc omnis et hostibus calumniandi et nobis ambigendi causa sublata est. Suis Litteris Leo XIII... privilegia ac facultates, quæ legitime revocata non fuerint, denuo largitur atque concedit » (19 jul. 1886).

[2] Hæc nova Ratio huc usque est in usu ; ideo in hoc compendio ubi allegatur Ratio Studiorum, intelligenda est recensio Patris Roothaan.

[3] Volumen integrum Regularum solis Superioribus, Admonitoribus et Consultoribus permittendum olim responsum fuit (*a.* 1581) ; cæteris satis esse summarium Constitutionum et regulas proprias.

Nihil prohibet quominus regulæ in vernaculam linguam vertantur (*f.* Nov. 1832). Directorium vero Exercitiorum in gallicum sermonem verti minime utile esse videtur (*f.* 17 Dec. 1829).

III. **Regularum obligatio in conscientia.** — Certe obligant aliquo 9
vero modo. (*Proœm. Cst.*, Decl. — Cst., X, 13. — *Summ.*, 15, 52. — C. G., IV, 22.) Non tamen obligant sub peccato, ut ex amore, non ex timore impleantur, iis exceptis quæ pertinent ad *materiam votorum* aut quæ Superior in nomine D.-N. Jesu-Christi jusserit. (Cst., VI, v, 1.)[1]

[1] Ad hujusmodi obligationem determinandam Suarezius hæc statuit (*De Rel.*, t. VIII, l. I, c. II et III) :

1° Eam esse veram obligationem, siquidem ex vera lege oritur ;

2° Eam proinde magis urgere quam merum consilium ;

3° Eam obligationem in hoc consistere ut teneatur in conscientia religiosus subire pœnam ob transgressionem, si a Superiore imponatur ;

4° Hanc obligationem esse gravem aut levem, prout sub gravi aut sub levi Superior de materiâ proportionata eam imposuerit ;

5° Attenta indole Instituti et excluso præcepto S. Obedientiæ, inter nos pœnam non præsumendam impositam, etiam sub levi, nisi Superior id significaverit ;

6° Sæpe tamen transgressionem, *per accidens*, v. g. ob motivum, involvere culpam aliquam.

Violatio tamen regulæ non est mera imperfectio negativa, nempe mera absentia majoris perfectionis, sed imperfectio et infidelitas positiva, neglectus scilicet beneplaciti divini distincte manifestati.

ARTICULUS SECUNDUS

De Substantialibus Instituti.

10 **I. — Quæ in formula Instituti a Julio III approbata continentur.** — Substantialia Instituti, de quorum mutatione nequidem in Generali Congregatione tractare licet (C. G., I, 16; — II, 6), sunt in primis quæ in formula Instituti Julio III oblata, seu Regula Societatis, continentur [1]. (C. G., V, 44.)

[1] Hæc revocat Suarezius (*De Relig. S. J.*, l. X, c. XIV, n. 3), ad quindecim capita, nempe :

1° Societatem ad Fidei defensionem et propagationem esse institutam ;

2° In ipsa distinctos esse personarum gradus ;

3° Unum esse Præpositum Generalem, penes quem sit regimen Societatis, promotio ad gradus, etc. ;

4° Militare omnes sub obedientia summi Pontificis, quam vovent solemniter Professi ;

5° Non secus ac Paupertatem, Castitatem et Obedientiam ;

6° Sibi commendatam habere puerorum et rudium in Christiana doctrina eruditionem ;

7° Societatem Professam, etiam in communi, profiteri paupertatem ;

8° Societatem Collegia dotata habere, quorum administratio ad Superiorem pertineat, ita tamen ut Societas Professa in suum emolumentum bona collegiorum convertere nequeat ;

9° Scholasticos Societatis vota quidem substantialia religionis emittere, sed simplicia, ita ut in potestate Generalis sit eos dimittere, si expediens sit ;

10° Coadjutores spirituales et temporales, votis simplicibus ligatos, Professis adjungendos esse ;

11° Congregationes Generales esse debere, quarum sit Præpositum eligere, leges generales edere, Collegia dissolvere, res demum graviores transigere ;

12° Præpositum Generalem a Congregatione eligi, cæteros vero Præpositos ab ipso ;

13° Societatem non teneri ad chorum ;

14° Usum communem honestorum ac pauperum sacerdotum, quoad res externas, sequendum esse ;

15° Socios nonnisi post diuturnas probationes ad professionem esse admittendos.

11 **II. Quæ a Congregatione V, declarata fuere.** — Ad substantialia

Instituti pertinent insuper ea sine quibus prædicta nullo modo aut vix constare possunt juxta Congregationis V decretum 58. Hujusmodi sunt :

1° Esse aliqua impedimenta essentialia in admittendo ;

2° Non esse necessariam in dimissione formam judicialem ;

3° Reddendam esse Superiori conscientiæ rationem ;

4° Contentum esse debere unumquemque ut quæ in eo sunt observata per quemvis qui extra confessionem ea acceptaverit, Superiori manifestentur ;

5° Paratos omnes esse debere ad se invicem manifestandos ; et alia similia quæ Præpositus Generalis pro tempore ad praxim declarare potest [1].

De his porro nec in universo, nec in particulari mutandis unquam agi potest. (C. G., I, 16.) — Nunquam mutari possunt. (C. G., II, 6.) — Licet de omnibus declarationem petere, at serio corripiendi et corrigendi essent qui in Provinciali Congregatione de his mutationem proponerent (C. G., IV, 26) ; etiam si dubium esset num ad substantialia pertineret mutatio (C. G., VI, 12, 19) ; modo Provincialis aut unus e Patribus deputatis pronuntiaret absolute rem esse substantialem. (C. G., VII, 35.)

[1] « Conari ut consultores habeant suffragium decisivum in consultationibus videtur esse contra substantialia » (*a.* 1634).

ARTICULUS TERTIUS

De Instituti mutatione, interpretatione, dispensatione.

I. — De Mutatione Constitutionum. — Constitutiones exceptis substantialibus a Generali Congregatione mutari quidem possunt, sed non nisi ratione clarissima. (C. G., I, 16.) Nec ullam mutationem proponere possunt Congregationes Provinciales nisi consentiant omnes aut saltem duæ tertiæ partes Congregationis ; imo neque tunc mutationem petant sed incommoda proponant. 12

(C. G., VI, 13; — Form. Cong. Prov. 46.) Nec in Congregatione Generali de mutatione Constitutionum agere licet, nisi plusquam media pars de hoc agi debere decreverit. Et hæc mutatio decerni non potest nisi duæ tertiæ partes id statuant. (C. G., VI, 11.) Et duæ intercessiones permittuntur. (C. G., I, 9.) Nec quæ sic abolerentur Constitutiones essent expungendæ, sed notanda esset mutatio. (C. G., III, 23.)

13 II. — **De Mutatione aliarum Instituti partium.** — Decreta Congregationum ab aliis Congregationibus non sine magna cautela mutanda sunt. — Nec Congregationibus Provincialibus hanc mutationem directe proponere licet. (Form. Cong. Prov. 46; — C. G., VI, 13.)

Ordinationes Generalium perpetuæ sunt et vim habent usque dum revocentur ab alio Generali. (C. G., IV, 3; — VII, 72.)[1]

[1] Idem dicendum de præceptis particularibus personis personaliter aut communiter impositis. (P. Mutius, 5 Mart. 1639). Quoad vero facultates a Prædecessoribus personæ concessas, perdurant usquedum respectivi Superiores moneant subditos ut eas ipsis aperiant : quod præstare tenentur Provinciales et alii (C. G. VIII, 36), et solet Generalis. (Cf. Lacroix, l. VI, n. 1591.)

Generalis potest etiam mutare regulas, si excipias ea quæ in regulis ex Constitutionibus aut Decretis Congregationum excerpta sunt. (Epit. Proœm. 17.) De Summario tamen et de regulis quas certo constiterit esse a B. P. editas, Cf. C. G., II, 57.

14 III. — **De Instituti Interpretatione.** — Omnibus sive intra sive extra Societatem, prohibitum est Bulla *Ascendente Domino* Constitutiones interpretari nisi prout verba sonant, absque facultate Generalis aut aliorum inferiorum Præpositorum, necnon interpretationes tradere aut retinere. Generalis edere potest interpretationes quæ ab omnibus accipiendæ sunt, quamvis vim legis generalis non habeant sed tantum praxis bonæ gubernationis. Hujusmodi enim a sola Congregatione Generali edi possunt. (C. G., IV, 19; — VI, 18; — VII, 76. — Julius III, *Exposcit debitum.*) Solent Generales illud muneris implere via præsertim *responsorum* de quibus cf. supra, in prolegomenis.

IV. — **De Instituti Dispensatione.** — Potest Generalis dispen- 15
sare cum omnibus sed prudenter prout judicaverit eam esse mentem Constitutionum et non aliter. (Cst. IX, III, 8.) Provincialis vero et locales Præpositi cum privatis sibi subditis.

Sed hi postremi non nisi potestate a Superiore accepta, et tunc tantum cum præsumpserint eam fuisse legislatoris mentem (Cst., IV, X, B) : neque omittent, si res sit gravis momenti, nec Superiorem consulere licuerit, ad eum postea quid egerint referre. (Reg. Rect. 10; Præp. 11.)

Scholion. — *Consuetudines* receptæ et a Provinciali approbatæ referendæ sunt in librum quem Superiores et Ministri ad manum habeant. (C. G., VII, 90.) Communes toti Provinciæ non abroget Provincialis, aut novas inducat, inconsulto Generali (R. Pr. 6); nec particulares domui Superior localis, inconsulto Provinciali. (R. Præp. 5; Rect. 4.)

Jam vero constat in jure nostro admitti consuetudines juxta aut præter legem, saltem a Provinciali approbatas : at, juxta Suarezium ex c. 5, P. VI, Constitutionum argumentantem, obligatio quam inducit consuetudo præter legem, nequit esse ad culpam. (*De Rel. S. J.*, l. VIII, c. 2, n. 3.) — Consuetudo vero *contra* legem rejicitur : deest enim illi consensus legislatoris. Ita respondit P. Aquaviva : « Illud habendum est pro consuetudine quod in collegio vel provincia receptum non adversatur ulli regulæ; sin, sic habendum pro corruptela » (*a.* 1584).

ARTICULUS QUARTUS

De Societatis regimine et membris.

I. — **Societatis regimen** ad id genus referri debet quod mix- 16
tum vocatur. Est siquidem :

1° Quoad legislationem, ubi majoris prudentiæ et maturioris

deliberationis opus est, aristocraticum. Potestas enim legislativa unice ad Congregationem Generalem pertinet.

2° Quoad gubernationem vero, ubi maxime necessaria est vis et unitas et constantia, regimen est monarchicum et perpetuum; aristocratia tamen temperatum, ita ut omnipotens sit ad bonum Præpositus, parum vero in Societatis detrimentum efficere possit.

Hoc vero temperamentum in hoc consistit : 1° Quod Præpositus consiliarios habeat a Societate electos aut approbatos, per quos Societas exercet circa ipsum suam providentiam, et quorum judicium ordinarie, præsertim in causis gravioribus vel in Instituto præscriptis, requirere, imo et in aliquibus sequi tenetur; — 2° Domos dissolvere nequeat; — 3° Quod substantiam Constitutionum nequeat attingere sed debeat juxta eas regere; — 4° Quod nonnisi per mediatos Superiores regere queat, qui exercent circa ipsum providentiam quam in Domino senserint (Cst. IX, v, 1); imo quorum in paucis consensum exquirere tenetur; — 5° Quod si in Societatis detrimentum gubernet, deponi possit. (Paulus III, *Regimini* et *Licet debitum;* Julius III, *Exposcit;* Paulus V, *Quantum Religio.*)

17 II. — **Constat Societas.** — 1° Professis quatuor votorum; — 2° Professis trium votorum; — 3° Coadjutoribus spiritualibus formatis; — 4° Coadjutoribus temporalibus formatis; — 5° Scholasticis; — 6° Coadjutoribus temporalibus nondum formatis; — 7° Novitiis scholasticis; — 8° Novitiis coadjutoribus; — 9° Indifferentibus[1].

Omnes hi gradus aliquatenus ad Societatem pertinent. — Pressiori significatione, Professos, Coadjutores formatos et Scholasticos cum Coadjutoribus non formatis; — magis propria acceptione, Professos et Coadjutores formatos; — demum strictissima significatione solos Professos intelligunt Constitutiones ubi de Societate agunt. (Cst. V, 1, A.)[2]

Diversitatem graduum in Societate sapientissime constitutam expendit Suarez, *De Relig. S. J.,* l. III, c. I, II, et pressius,

l. VII, c. I, II, III. Difficultatibus vero quas forte in ipsa Societate humana fragilitas moveret, præcavet Institutum in Inst. de Spirit., c. VI.

In indifferentium gradu neminem ultra biennium retinendum decrevit C. G., IV, 52. (Reg. Prov. 67.)

[1] Rationem cur non statim fiat Professio post novitiatum reddit Gregorius XIII, *Ascendente Domino;* quia nempe ministeria Societatis professæ propria homines requirunt tum scientiis, tum virtutibus egregie intructos, qui proinde per multas probationes transierunt. — Rationes vero cur non omnes demum ad Professionem admittantur, sed quidam Coadjutores sint eæ sunt : 1° Quia in multis ministeriis sive spiritualibus sive temporalibus, utilissima est opera eorum qui dotes sufficientes non habent ut ad Professionem admittantur. 2° Quia nimis durum esset eos ejicere qui ad Professionem, post annos probationis, apti non inveniuntur.

[2] Vox *Professi*, simpliciter prolata, audit in Instituto professos quatuor votorum. At in jure communi ecclesiastico, præsertim post disciplinam a Pio IX inductam, tum coadjutores tum religiosi nostri approbati dici possunt professi, scilicet votorum simplicium; et participant *per se*, nisi expresse aut ex natura rei excludantur, privilegia in jure communi professis concessa. (Cf. Suar., l. III, c. v.)

PARS PRIMA

De Candidatis et Novitiis.

PROŒMIUM

I. — **Quadruplex est classis Candidatorum.** — Nempe : 18

1° Eorum qui omnibus dotibus ad Professionem requisitis satis instructi videntur ut, post sufficientem probationem, sacerdotio insigniti, ad eam admittantur.

2° Eorum qui ad hoc recipiuntur ut in rebus spiritualibus vel temporalibus Professos adjuvent.

3° Eorum qui ad studia peragenda, iisque peractis, ad utrumvis gradum occupandum se offerunt.

4° Indifferentium. Omnes, quod ad ipsos attinet, ad hanc quartam classem pertinere debent. (Ex., I, 8, 9, 10, 11.)[1]

[1] Paucissimi indifferentes admittantur et ante duos annos determinetur eorum gradus (*a.* 1586). Cf. sup., art. 4.

Possunt admitti aliqui ea conditione ut perpetuo maneant in scholis inferioribus docendis (*a.* 1650 contr., *a.* 1647). Et cf. Rat. St. Prov. reg., 25.

II. — **Dotes Candidatorum** non vulgares esse debent, et maxi- 19
mopere cavendum est ne turba in Societatem introducatur, quamvis optandum ut adsit gens, etiam magna, sed selectorum. (Cst., I, III, 1; — I, I, 3; — VIII, I, 2, B; — X, 7; — Reg. Prov. 33.)[1]

[1] In apophtegmatibus S^ti^ Ignatii (Monach. 1683; auct. P. Adr. Lyræo;

— P. 26, ap. 8, l. 3), refertur ex P. Polanco eum dictitasse : « Si aliquid esset quod desiderium vivendi diutius in ipso excitare posset, illud fore (licet in eo plane se resolveret) ut in admittendis in Societatem posset esse restrictior. » Neque majorem unquam severitatem exigebat quam ubi talenta majora erant spiritu et virtute destituta. (Apopht. 24, p. 50.)

Eadem mens erat S^ti^ Francisci Xaverii, quod ex ejus epistolis liquet. Hæc inter alia ad P. Gasparem scribebat (ap. Tursell., l. IV, ep. 17) : « Illud etiam te oro ut cætera quæ tibi reliqui præcepta diligenter observes, maxime vero ut paucos in Societatem eosque idoneos adsciscas, adscitos autem diu multumque spectes ac probes, eorumque virtutis periculum facias sæpe et accurate. Vereor enim ne multi et jam admissi sint et quotidie admittantur in Societatem quos dimitti excludique præstaret; quare istiusmodi hominibus talem te præstes velim, qualem ego, et Goæ multis, et hic comiti meo me præstiti, quem, cum minime aptum esse perspexissem Societati, exemi atque dimisi. Hoc tu quoque institutum sedulo et constanter tenebis, sic prorsus ut nullus te casus ab incœpto deterreat vel si relinquaris solus. » (Cf. quoque Litt. Encycl. S. Francisci Borgiæ, april. 1569, et P. Piccolomini, 28 oct. 1650.)

Ne nimii forent in admittendo Provinciales, limitatus olim fuerat a Generali Novitiorum numerus; et admissio eorum qui hunc numerum excederent declarata invalida (*a.* 1650). Admissorum ratihabitionem sibi reservabat Generalis, ita ut a die hujus ratihabitionis novitiatus inchoaretur (*a.* 1653, 1654), nec sufficiebat licentia præsumpta aut futura (*a.* 1655). Licebat tamen alios admittere, intra numerum præscriptum, loco eorum qui, cum debita licentia admissi, moriebantur aut dimittebantur.

20 Moderati igitur simus in admittendi desiderio (R. Ex. 2); nec nimii in hominibus ad Societatem alliciendis (R. Pr. 33); iis maxime qui Exercitia peragunt (Exerc. Annot. 15); aliisve qui suarum conscientiarum directionem nobis tradunt (Reg. Sac. 23, 24), magis adhuc iis qui in nostris Collegiis student[1]. (Rat. Stud. Clas. inf. Reg. 6.)

[1] Cavendum sedulo ne discipulos ad nostram Societatem allicere videamur; et ideo a manualibus sodalitatum expunctum est id quod ad religiosam vocationem spectabat (*b.* †. 1636).

De jure consensus parentum non requiritur; attamen ex prudenti œconomia hanc requirebat S. P. N. ubi agebatur de nostris scholaribus (*a.* 1553). Imo id præcepto obedientiæ die 3 Mart. 1554 (*a*) per totam Societatem sanciri voluit. Quin etiam responsum fuit anno 1646 (*a*) nullo modo juvenes admittendos, invitis parentibus, sive ad novitiatum sive ad collegia experimenti causa.

Vocationes strepitosas malos plerumque exitus habere in veteri Societate

experimento compertum fuerat. (Cf. Hist. Soc., P. I, l. II, n. 45; — l. XIV, n. 13; — P. III, l. VII, n. 114; — et apud Cepari P. Claudium agentem cum S. Aloysio de ipsius vocatione.)

« Votum habens ingrediendi Societatem qui postea contraxit sponsalia, a voto absolvitur per nos : non expedire judicamus ut aliquis recipiatur ea solum causa quia vovit. Quod si sentiret se moveri ad aliam Religionem ob statum perfectiorem, dirigatur. » (*a.* 24 sept. 1599; et cf. simile resp. 1596, apud Oswald, n. 79.)

Aptitudinem ad res tractandas plurimi faciebat S. P. Ignatius, ut constat hac ejus sententia, quæ refertur in libro ejus epistolarum. (Ed. Bonon., p. 205). « Tirones ille non a naturali quadam bonitate, vel potius tarditate, sed a vigore magis ingenii et rerum gerendarum adjumentis legebat, negabatque qui ad populi negotia factus non esset, eumdem esse ad ministeria Societatis idoneum. Neminem e Societate Jesu dicendum esse qui ad suam unius non etiam ad aliorum salutem et acriter et scienter posset incumbere. »

Quoad dotes externas nobilitatis, divitiarum, etc., licet con- 21
junctæ cum aliis utiles sint, minime tamen necessariæ sunt, nec solæ sufficere possunt. (C. I, II, 13.) [1]

[1] Non modo nulla pecunia a candidatis olim exigebatur verum etiam vetitum fuit ne procuraretur ut « bene provisi venirent, tum ne daretur occasio offensionis tum quia Deus non deerit in necessitatibus » (*a.* 1582). Nequidem ullo modo toleratum fuit ut primas vestes et lineam supellectilem secum deferrent; multo minus ut finito tyrocinio alias a suis peterent (*a.* 1630). Nec prætereundum alienum esse a mente Ecclesiæ dona acceptare a novitiis, præter ea quæ ad victum et vestitum necessaria sunt. (Cf. Bouix, *De jure Regul.*, t. I, p. 583 et sqq.)

Hodie a candidatis hæc requirit *Practica ad formulam scribendi*, jussu P. Anderledy edita (Florentiæ, 1884) : litteras testimoniales tum Baptismi et Confirmationis, tum status liberi et morum, tum consensus patris, si vivat, vel matris, tum denique bonæ valetudinis; necnon et tantum pecuniæ quantum opus foret ad remeandum in patriam, casu quo non perseveraret novitius. Attento tamen domorum nostrarum statu, commendabat Provincialis Lugdunensis, die 21 Nov. 1843, ut in sua provincia quando candidati pensionem aut pensionis partem solvere possint, id ut præstarent honeste suaderemus, ubi præsertim ipsi interrogarent. (Cf. *Lettres choisies des RR. PP. Provinciaux de Lyon,* 1877, p. 207.)

Æquum est, et commendatur Galliæ Provincialibus, ut candidatos Societatem ingredi cupientes ad Provinciam in qua nati et educati sunt, et in qua patrimonium et familiam habent, potius remittant, servata tamen candidatorum libertate. (*c.* Ad. post. Prov. Tol. 1856.)

22 Quid in singulis candidatorum classibus distinctius exigatur Cf. inf., c. sq.

In genere eo magis idoneus erit candidatus quo α) pluribus donis naturalibus et supernaturalibus ad promovendum, juxta Institutum, divinum servitium, præditus erit; et β) pluribus experimentis perspectus. (Cst. I, II, 1.)

Quæ tamen mensura in omnibus teneatur docebit zelatorem divinæ gloriæ unctio Sancta Divinæ Sapientiæ. (Cst. I, II, 13.)

CAPUT PRIMUM

DE REQUISITIS IN CANDIDATIS ET DE EORUM EXAMINE

I. — **De impedimentis essentialibus.** — Examinandus est qui 23
in Societatem admitti postulat primo quidem de impedimentis essentialibus, ipsum antea monendo se in conscientiâ teneri ad sincere respondendum[1]. Non tamen proponendo ea ut impedimenta. (Ex., II, A.)

[1] Si quis tacuerit impedimentum essentiale, absolvi non debet sed cogi a confessario ut id extra confessionem Superiori revelet (*a.* 1571). De reservatione hujus casus cf. infra ubi *de casibus reservatis;* et Suar., l. II, c. III, n. 5, de pacto justitiæ quod tacite intervenit ad veritatem dicendam. (Cf. quoque Lugo, Resp. mor., l. IV, dub. 14 et 16.)

1° An a gremio Ecclesiæ recesserit per apostasiam inter infide- 24
les aut per hæresim suspicionemve hæreseos juridice sententiatus aut per schisma ex quo excommunicatio : quæ tamen peccata sint personæ, non patriæ?[1] (Ex., II, 1. — Cst., I, III, 3, A. B.)

[1] « Qui dæmonem adoravit, aliosque actus impudicos exercuit, non est admittendus nisi cum facultate R. P. N.; licet non videtur impedimentum esse essentiale » (*a.* 1621). Abnegasse exterius fidem in Japonia est impedimentum (*a.* 1635). « Abnegasse fidem saltem extrinsece serio judicavit R. P. N. esse impedimentum » (*a.* 1625).

Perpensis Constitutionum verbis, ita Suarez exponit impedimentum de quo sermo est : 1° Sufficit apostasia quæ possit probari, quamvis non notoria; dummodo sit exterior cum interiori conjuncta, formaliter et perfecte ab adulto aliquando fideli commissa. 2° Hæresis, ut inducat impedimentum irritans, vel ejus suspicio, debet esse per sententiam publicam declarata. Et videtur tunc perdurare perpetuo impedimentum, etiamsi persona sit emendata;

nec requiritur contumacia. 3° Inducitur impedimentum, ut videtur, tantum prohibens, si, sententia non intercedente, tamen hæresis est ita notoria aut suspicio adeo vehemens ut possit prudenter timeri ne inde candidatus conveniatur coram judicibus. Cessat cessante suspicione simpliciter, imo forsan pro præsenti : quo in casu opportunitas admissionis est circumspecte æstimanda. 4° In schismate requiritur infamia ex excommunicatione consequens : igitur vel ut intercedat sententia, vel ut ob schisma publicum notorium sit candidatum incurrisse censuram ipso facto. (L. II, c. I, n. 2, sqq., et n. 14.)

2° An homicidium deliberatum commiserit, aut homicidium effectu secuto mandaverit, vel alia enormia peccata perpetraverit?[1] (Ex., II, 2, 6, C. — Cst., I, III, 4, C. D.) In dubio consulendus est Generalis, non secus ac ad determinandam enormitatem peccatorum quæ impedimentum hoc constituit. (Cst., I, III, C.) Si quis vero ab hujusmodi peccatis perfecte resipuisset et extra locum ubi infamiam contraxit versaretur, admitti posset, sed valde circumspecte. (Ex., II, C. — Cst., I, III, D.) Homicidium casuale peccaminosum est impedimentum secundarium, irritans tamen nisi intercesserit dispensatio Generalis. (Epit. P. 1, n. 8.)

[1] Ut homicidium sit impedimentum essentiale, requiritur : 1° Ut sit copulative *peccaminosum* et, qua homicidium, *voluntarium* (*a.* 1584, 1608). Hinc « neque (mere) casuale, neque quod in bello justo fit, excludit » (*a.* 1608), nec « quod fit officio a judice, advocato vel testibus » (*a.* 1584), vel « ad propriam defensionem » (*a.* 1611, 1636, 1638), vel « puerili intentione et præter intentionem » (*a.* 1620), vel « qui sclopeto cum quo jocabatur, casu exploso, occidit alium » (*a.* 1640), nec « qui invasus ab inimico, stricto ense, et volens pugnare, ad sui tamen necessariam defensionem, opposuit invasori strictum etiam ensem, in quem ille quasi furiosus occubuit » (*a.* 1637) ; at « habens impedimentum homicidii ex impetu iræ, licet petierit admitti in hora mortis, judicatus non potuisse a P. N. et AA. » (*a.* 1665).

Peccaminosum, sed, qua homicidium, casuale, ex dictis non est impedimentum essentiale, sed tamen, nisi dispenset Generalis, est irritans.

2° Ut fiat *effectu secuto*. Inde non habet impedimentum « qui inflixit alteri vulnus non lethale, sed tamen mortuus est ex negligenti cura » (*a.* 1632), at addebatur, « videtur tamen non admittendus. » Item « qui inimicum, dum attracto jam gallo, bombardam lateri suo applicuit, præveniendo occidit, non habet impedimentum ex vi litteræ, P. 1, c. 3 ; non est tamen admittendus, nisi præclara habeat talenta » (*a.* 1640).

3° Sufficit homicidium non directe, sed per *cooperationem deliberate* per-

petratum. Constitutiones quidem videntur loqui de sola cooperatione per mandatum : qua vero ratione extendatur ad alios cooperandi modos, exhibet sequens responsum : « Censendi sunt habere impedimentum, qui, communicato consilio, ita conati sunt inimicum vel ensibus vel explodendo occidere, ut unum dumtaxat vulnus acceperit ex quo mortuus fuit : tum quia quivis censetur sua assistentia, animatione et cooperatione concurrisse (P. I, c. III), tum quia in dubio debet Generalis non esse facilis, potius scilicet resolvendo pro integritate Constitutionum, quam privati hominis, uti Suarez, t. IV, tract. 9, l. II, c. I, n. 13, fin. Etiam habet impedimentum qui amico suo incidenti in inimicum dixit : *Feri*; si amicus feriendo occiderit. Tametsi enim Constitutiones (P. I, c. I) videantur solos illos excludere qui, præter manuale homicidium, deliberate mandassent (sic enim loquitur et respondit P. Lugo ac docet Palao, P. III, t. XVI, disp. 1, p. 8, n. 18), praxis tamen Societatis et explicatio Generalium extendit ad quosvis efficaciter cooperantes » (*a.* 1638). Et aliud simile prodiit responsum eodem anno, et an. 1639 : jamque declaratus fuerat incurrisse impedimentum qui procuraverit abortum (*a.* 1622). At ex indole ipsa istius interpretationis intelligitur quomodo quibusdam in casibus potuerit res mitius tractari. Sic « suadens abortum non est judicatus habere impedimentum essentiale; ideoque jussus est retineri in Societate novitius qui suaserat » (*a.* 1655). Et « qui vocavit sicarios ad occidendum inimicum, secuto homicidio, non habet quidem impedimentum, cum nec propria manu occiderit, nec jusserit. Non videtur tamen admittendus, nisi valde præclara habeat talenta » (*a.* 1640).

4° Sit *certum*. Ex dictis, in dubio ita judicandum a P. Generali, ut difficilem se præbeat. « Cum novitio qui procuravit duos abortus ante ingressum, sed dubitavit an fœtus esset animatus, dispensatum est tanquam dubio a P. Mutio » (*a.* 1616).

5° Utrum requiratur *publicum*, aut sufficiat occultum, *controvertitur*. Sufficere occultum tenet Suarez (l. c., l. II, c. I, n. 10, et sqq.); negat quoad occultissimum, ex quo nulla est infamia, Palao (l. c., n. 17). — « Non est æquum ut Provinciali detur potestas declarandi quando homicidium est voluntarium, vel non, quia non sine causa Constitutiones id reservant Generali. » (*a.* 1587.) « Nullo modo visum est petendum esse a Papa pro Provincialibus Indicis, ut possint admittere in Societatem homines militares, obnoxios homicidio voluntario : quia vix dari potest casus, in quo ejusmodi homines tantopere valeant juvare Societatem » (*a.* 1590).

3° An habitum alicujus Religionis fratrum vel clericorum vel per unum diem gestaverit eo tamen animo ut sit religiosus; aut eremita cum vestibus monachalibus fuerit. (Ex., II, 3. — Cst. I, III, 5, E.) De casu quo quis habitum ætate puerili sumpserit, aut minus quam uno die, judicet Generalis. (C. G., XI, in Epit. P. 1, n. 9.) 26

At non comprehenduntur qui, e Societate egressi votis non solutis, habitum induti sunt. (Cst., II, II, B. — C. G., I, 24.)[1]

[1] Ex ipsis verbis Constitutionum, habent impedimentum qui gestaverunt habitum Religionis *Fratrum* aut *Clericorum*, i. e. Religionum monachalium aut clericalium. Quoad Ordines militares declaravit C. G. I, 129, *Ordinem Christi* non comprehendi impedimento : et responsum fuit in genere *Equites* Ordinis militaris non censeri habere impedimentum (*a.* 1560). At *Capellanos* S. Joannis Hierosolymitani comprehendi declaravit C. G. XIII, 7 : sunt enim clerici religiosi.

In Congregationibus votorum simplicium ubi fiunt tantum vota temporanea, non contrahitur impedimentum ; de his vero ubi fiunt vota perpetua, et quæ proinde, quamvis juridice non habeantur ut Ordines proprie religiosi, essentiam tamen habent vitæ religiosæ, dubium oriri potest. Hoc sensu responsum datum est de aliquo candidato ad Societatem qui fuerat Oblatus Immaculatæ Conceptionis ; quod sic jacet : « Fait-on des vœux perpétuels dans la Congrégation des Oblats de l'Immaculée-Conception ? Dans ce cas, l'empêchement ne serait encore que douteux. Mais si les vœux n'y sont pas perpétuels, il n'existe aucun empêchement » (26 febr. 1835, *f*).

Responsum fuit (9 jun. 1858) non contrahi impedimentum per ingressum in Congregationem Missionis (Lazaristarum) ; at forte non prætereundum est in hac Congregatione vota non acceptari nomine Ecclesiæ aut Congregationis, et exinde remanere actus mere privatos. (Cf. P. de Réverseaux, *Introd.* ad edit. Suarez., p. LX.)

Quoad autem *Fratres Scholarum Christianarum*, primum responsum fuerat eos posse admitti (1 feb. 1834, *f*). At postea, die 21 octob. 1869, rescripsit P. Beckx ad Prov. Marylandiæ : « Quod attinet ad juvenem theologum, qui per aliquot hebdomadas apud Fratres Doctrinæ Christianæ degebat, en responsum paucis abhinc annis a Nobis datum, post examen hujus rei : imprimis notandum est me cum iis qui hoc impedimento laborant dispensare non posse, eo quod hoc impedimentum non solum essentiale sit, ita ut vota cum illo facta irrita reddat, sed etiam indispensabile. Unde si in tali casu graves adessent causæ, ad S. Pontificem recurrendum esset, et quidem non a Nobis, sed ab eo qui petit. Porro probabilius est Congregationes tales, quæ et certam regulam et vota, etsi simplicia, habent, Constitutione nostra quæ impedimentum statuit comprehendi. Huic sententiæ eo magis inhærendum nobis est quod Societas illam Constitutionem, cum dubius casus occurrebat, semper sensu magis stricto interpretata fuerit. Præterea sequendus est a nobis spiritus, non sola littera Constitutionum. Porro certe in iis qui ejusmodi Institutum professi sunt, omnes illæ rationes propter quas S. Ignatius impedimentum statuit reperiuntur. Quare, etiamsi certum esset ejusmodi Fratres ex nostra regula non comprehendi, eos tamen in Societatem admittere non deberemus. » — Tandem, die 7 mart. 1877, respondit P. Assistens Italiæ ad Prov. Taurinensem, ut singulis vicibus consulatur P. Generalis.

De Fratribus *S. Francisci Regis*, ita fuit quæsitum a P. Pichon, mag. Nov. Palensi, et responsum a P. Beckx, 19 febr. 1867. « Quæritur an Fratres a S. Francisco Regis vocati, quos creavit P. de Bussy eodem impedimento a Societate excludantur. Vota emittunt, habent vestem religiosam quæ laici viri magis quam ecclesiastici speciem ostendit. De cætero non fere aliud sibi proponunt quam in communi laborare ut orphanos sibi commissos nutriant et christiano modo eos instituant. » — « Les FF. de S. J.-F. Régis ne tombent pas sous le troisième empêchement essentiel. *Ces Frères cependant peuvent avoir le défaut d'inconstance, rencontrer plus de difficultés à se mettre à nos règles et à prendre l'esprit de nos FF. Coadjuteurs :* une plus grande vigilance dans leur admission. »

Donati incurrunt impedimentum « si emittant vota simplicia : secus si sine votis gestent aliquem habitum » (*a.* 1621). Imo « postulavit quidam in Societatem admitti qui aliquando in Congregatione sacerdotum vixerat, qui votum quidem emittere non solebant. Responsum autem illi est eum admitti non debere quod inter sacerdotes fuisset qui statum religiosum seu perfectionis profitebantur » (*a.* 1553). Quod tamen responsum nonnisi ex prudenti aliqua œconomia datum fuisse fortasse existimabis.

Requiritur jam vero copulative tum gestatio habitus, tum animus religio- 27
sus. Hinc « qui parentis sui voluntate habitum monachalem in monasterio, etiam longiori tempore gestavit, nullo vitæ monasticæ consilio, sed ut inter monachos litteris et virtute melius informaretur, non contraxit impedimentum » (*a.* 1604). Similiter, « qui habitum Franciscanum gestavit ex devotione vel pœnitentia, si non ulterius progressus est, non habendus scrupulus : non est enim habitus religionis » (*a.* 1606), quamvis tamen « ne sit ejus receptio ridicula, caute valde agendum est et videndum num alia talenta hoc compensent » (*a.* 1607). Imo retineri permissum fuit « tanquam essentiali impedimento non irretitum, coadjutorem novitium, qui religiosi Ordinis habitum per aliquot menses gestavit, cum decimum ætatis annum ageret : ita tamen ut incertus esset de Ordine ipso quis fuerit. Quod ostendere videbatur id ab eo alieno impulsu factum (ut ipse dicebat), nec ea deliberatione et judicio quod ad religiosæ vitæ institutum requiritur » (*a.* 1607). « Admissus in Ordinem monasticum, et manens in monasterio per integram noctem, et partem diei insequentis, cum animo perseverandi, mutansque nomen, si tamen antequam suscipiat habitum, mutat mentem, et egreditur, non habet essentiale impedimentum respectu Societatis » (*a.* 1646). At « gestasse habitum quo utuntur Carthusienses tempore probationis, ante ingressum formale tirocinium, viventes interim sub obedientia, et cum animo ingrediendi illam Religionem, censendum est impedimentum » (*a.* 1760).

« Tametsi dubium sit, an habeat impedimentum qui habitum eremiticum probationis causa induit, præstat tamen habere pro impedimento, nisi præclara talenta compensent » (*a.* sine data). « Dubitatur num sit impedimentum gestasse habitum eremiticum, maxime sine dependentia a Religione; tutius est judicare pro Religione, » i. e. adesse impedimentum. (*a.* 1624.)

« Non censetur habere impedimentum ille juvenis qui habitum ab Eremita acceptum paucis diebus gestavit : cum, teste P. Natali (c. II, Exam. n. 3), S. P. N. de iis Eremitis se hoc impedimentum intellexisse dixerit, qui habent dependentiam ab aliqua Religione et habitum gestant monachalem » (*a.* 1641).

Ex quibus hæc forte colliges : 1° Certum habet impedimentum, qui fuit eremita, et quidem in habitu monachali, i. e. alicujus Religionis approbatæ. 2° Dubium esse potest si quis habitum quidem eremiticum, non tamen monachalem, gestavit, præsertim sine dependentia a Religione aliqua, aut tantum probationis causa, ita ut nequeat dici fuisse eremita. 3° In dubio tamen favendum est non admissioni Candidati, sed impedimento.

28 De tempore requisito ad contrahendum impedimentum non una fuit interpretatio. Prius responsum fuit sufficere minimum etiam tempus (*a.* 1611), noctem (*a.* 1612), quatuordecim horas (*a.* 1638). Tum juxta interpretationem P. Natalis, requisitum fuit saltem tempus unius diei, ita ut tempus minus haberetur pro nihilo, v. g. sex horarum (*a.* 1639, 1661). Deinde definitum est non sufficere momenta temporis, sed requiri moram aliquam, quam nec C. G. VIII, nec P. Carrafa (*a.* 1646), nec P. Nickel (*a.* 1657) voluerunt determinare. Tandem C. G. XI disciplinam nunc vigentem præscripsit, scilicet, ubi quis gestavit habitum minus quam uno die, judicet P. Generalis. (Epit., P. I, n. 9.)

De pueris vero oblatis, jam visum fuerat (*a.* 1606) non definire universaliter an pueri qui a parentibus traduntur in monasterio, anno 9, 10, etc., ætatis, et ante professionem revocantur, eo quod nolunt esse monachi, habeant impedimentum essentiale, sed particulares casus esse proponendos Generali. In dubio, ut tutius, exclusus fuit qui pueriliter gestaverat habitum (*a.* 1622). Admissus fuit qui a parentibus traditus, reclamavit nec animum adjecit ad Religionem (*a.* 1606); similiter et qui « ante discretionis annos (annos scilicet sex vel septem) monastico habitu indutus fuit ad aliquod breve tempus, inscius præsentis negotii, solum ut parentibus obediret : secus si tunc libertatis suæ dominus fuit, et intellexit quid fieret, id tamen ultro fecit vel passus est » (*a.* 1625). De hujusmodi tamen, si insignes sunt et Societatem petunt, monendi sunt Superiores ut ex rei et personarum circumstantiis consilium capi possit (*a.* 1597). Hodie de his casibus, non adeo practicis, viam facilem præbet decretum Congr. XI[æ].

« Qui cum facultate, non solutis votis scholasticis Societatis, ingreditur ad probationem alium Ordinem, si non placet, debet redire ad Societatem. » (*a.* sine data, ex Pio V, *Æquum reputamus*, 1566; — Et iterum 1645. — Cf. infra dicenda de transitu ad aliam Relig.) At qui ex Societate absolute dimissus, maxime ad propriam instantiam, ingreditur alium Ordinem, ab eoque, tempore novitiatus, recedit, contrahit impedimentum » (*a.* Ex cc. AA. 1598).

29 4° An matrimonii consummati vel legitimæ servitutis vinculo

irretiatur[1]? (Ex., II, 4. — Cst., I, III, 6.) Sponsalia de futuro essent impedimentum accidentale. (Ex., III, 5, C.)

5° An capitis infirmitatem, quæ intellectum obscuret, patiatur, vel notabilem dispositionem ad id habeat. (Ex., II, 5. — Cst., I, III, 7.)

[1] Ex jure communi conjuges valide et licite ingrediuntur Religionem : 1° in sensu diviso conjugii, seu quando solvitur vinculum matrimonii infidelium, etiam consummati, vi privilegii Paulini aut Pontificiæ dispensationis; vel matrimonii fidelium tantum rati, ex apostolica auctoritate; 2° in sensu composito conjugii (usque ad solemnem professionem perdurantis) quamdiu matrimonium est tantum ratum, aut, quamvis consummatum, α) quando adest mutuus consensus et observantur conditiones a jure requisitæ; vel β) non obstante compartis dissensu, si quis coacte consummavit intra bimestre deliberationis; vel γ) quoad partem innocentem, si adfuit adulterium publicum non condonatum aut intercessit sententia juridica de perpetuo divortio a toro et habitatione, in foro ecclesiastico pronuntiato.

Hæc de jure communi. At in Societate attendendum est :

1° matrimonium consummatum esse impedimentum irritans, si non observantur conditiones a jure requisitæ; indeque nullam fore professionem secutam, deficientibus conditionibus. Propterea responsum fuit necessariam esse Pontificiam de essentiali impedimento dispensationem ut dux Pastrani et Infantadi in Hispania ingrederetur Societatem, relicta in sæculo uxore non quinquagenaria cum voto castitatis (*a.* 1660). Et a S. Pœnitentiaria dispensatum fuit ad cautelam cum quodam qui ingressus erat Societatem de consensu uxoris; illa vero, nondum senex, tantum voverat publice castitatem coram Ordinario (*a.* 1659).

2° Ex regula sua 37, Provincialis dicitur in secundariis impedimentis dispensandi facultatem habere, præterquam... in conjugatis, etiam in casu quo non est impedimentum essentiale. Ex quo non debet admitti conjugatus, stante matrimonio, et quamvis forte adsint juridica requisita, nisi ex facultate Generalis. Secus admissio, ex defectu potestatis in admittente, esset nulla.

3° Certum est hodie vota simplicia Societatis non solvere matrimonium etiam non consummatum, sed id peragere solam professionem solemnem. Hæc vis enim competit nostris votis neque ex jure speciali Societatis, ut patet, neque ex jure communi. (Cf. S. C., super Statu Regularium, 25 januar. 1861, apud Bizzarri, *Collectanea,* edit. 1863, p. 910.) Hinc ligatus matrimonio etiam non consummato non debet admitti ad novitiatum, nisi velit Generalis eum post probationem aut dimittere aut admittere ad solemnem professionem, vel nisi consentiat uxor; si tamen ex consensu Generalis (Cf. supr. 2°) emitteret vota simplicia Societatis, talia vota essent valida, et consequenter, si e Societate non solutis votis egrediatur, nec præsentis uxoris petere debitum,

nec valide posset ad novas nuptias convolare; bene vero teneretur uxori petenti reddere. (Cf. Suarez., l. c., l. II, c. I, n. 23 et sqq.)

Ex quibus aliisque timendis incommodis intelligitur, cur in matrimonio rato, quamvis non sit impedimentum (*a.* 1625, 1622) scilicet essentiale, recurrendum tamen ad Generalem (ita P. Natal., vic., sine data) et quidem ex supradictis de necessitate ad valorem actus. « Matrimonium clandestinum, ubi Tridentinum (seu melius caput *Tametsi* ejusdem concilii) est receptum, non est quidem impedimentum essentiale : rejiciendum tamen ad judicium P. N. » (*a.* 1583).

30 Hæc impedimenta irrita reddunt tum vota simplicia, tum Professionem. (C. G., VII, 42.) Ea vero reticuisse aut circa ea mentitum esse cum gravi incommodo, peccatum est reservatum in Societate. (Ex., III, A. — C. G., V, 51.)

Si aliquod ex his impedimentis caute interrogando detegatur, non est cur ultra procedatur, cum nec Generalis circa ea dispensare possit, nisi quis valde illustribus donis Dei esset præditus, quo casu monendus erit Generalis qui videbit an a Summo Pontifice dispensatio peti debeat. (Cst., I, III, G. — R. Prov., 35.)

His impedimentis additur a C. C. V. (*d.* 52, 53) origo ab Hæbreis aut Saracenis, cum ea moderatione a C. G. VI (*d.* 28) adhibita, ut si de hac origine non infamantur publice, inquisitiones ultra quintam generationem non fiant. Saracenorum autem nomine Tartaros, Mahumetanos, aliosque circumcisos extra Hispaniam non comprehendi declaravit Cong. Gener. VI (*d.* 28); et pro iis qui ex hujusmodi parentibus orti essent, Præposito Generali potestatem dispensandi dedit. Pro aliis vero impedimentum, quamvis non irritans, est indispensabile[1].

31 [1] Rejectus est adolescens ex Hebræis ortus « etsi parentes ejus a decimo sexto gradu et ultra pro bonis Christianis habiti sunt » (*a.* Pr. Flandriæ, 3 dec. 1616); et alter in cujus familia duo Cardinales fuerant (*a.* 1625) quia constabat eam Hebræam originem habere. — Et iterum ad Prov. Flandr. : « Filii Hebræorum usque ad 16 gradum non sunt admittendi » (*a.* 1616). Quæ responsio ut intelligatur, dicenda est aut eadem esse ac prior, sed ejus sensum parum exacte referre, aut utraque casum respicere quo illa originis labes innotescit. — « Moderatio a Congr. VI, d. 28, facta super decreto 52 et can. 3, Congr. V, excludente omnes omnino ab ista gente descendentes, non favet illi cujus majores, nobiles quidem et bonæ existimationis haben-

tur; *constat tamen passim* in Lusitania quod ex gente hebræa descenderet, adeoque censendus est habere impedimentum ultra sextum gradum etiam in loco quo non constat de hac ejus origine : facile enim constare poterit. Loquitur enim Congr. VI *de iis de quibus non constat* quod sint oriundi ab Hebræis » (*a.* 1640). — « Censetur impedimentum originis habere qui scitur ex stirpe hebræa, et ex gente quæ novi christiani vocantur, descendere. Cum moderatio Congr. VI solum loquatur de iis quos *non constat* oriundos aut descendentes ex Hebræis » (*a.* 1641). Si enim non constat certo, tunc sufficit inquirere usque ad quintum gradum inclusive.

« Cum de filio matris hebrææ, patre non hebræo, dubitaretur an is censendus esset impedimentum originis contraxisse, SS. DD. Leo PP. XIII, postulante R. P. Antonio M. Anderledy, Vicario generali Societatis Jesu, in audientia habita die 27 januar. an. 1886, vivæ vocis oraculo declarare dignatus est : Ejusmodi filios censendos esse impedimento originis liberos ; si qua vero sanatione opus esset hac in re, eam se etiam benigne concedere. — Ita R. P. Gaspar Hœvel, Assistens Germaniæ, litteris die 8 aprilis 1889 ad R. P. Jacob Rathgeb, Præpositum Provincialem Germaniæ datis, additque esse suprapositam declarationem sive decisionem desumptam ex Bullario nostro, quod in archivo a R. P. N. asservatur. » (P. Engelbertus Puts, Socius Provincialis ad P. Socium Tolosan. ; —Exœter., 26 aug. 1889.) Item ex litteris R. P. Grandidier, Substituti Galliæ ad Prov. Campan., 16 aug. 1888.

« Non impediuntur ab ingressu in Societatem oriundi ex Saracenis Granatensibus qui a 200 annis Biterras (Béziers) migraverant (*a.* 1711). Congregatio V distinguit inter Saracenos et alios Mahumetanos. Nomine Saracenorum veniebant olim Turcæ et alii circumcisi (*a.* 1638); sed de his cf. G. G., VI, 28. Anno 1655, P. N. Goswinus ex consilio AA. dispensavit, non obstante dubio de impedimento originis ex Mahumetanis Asiaticis in Malabarica, cum quibus visum est posse dispensari, sicut cum Tartaris juxta d. 28, C. VI ; et ita scriptum in Malabar. » (*a.*)

Porro quoad Judæos et Saracenos, « placet sententia non posse Generalem 32
nec valide dispensare » (*a.* 1646). Impedimentum tamen, etiam notum, non irritat professionem (*a.* 1640, 1660), sed professus, si mala fide processit, puniendus (*a*). Cum quodam vero juvene, qui cum impedimento inscius Societatem ingressus fuerat, fuit impetrata et obtenta a S. Sede dispensatio « ut potuerit retineri » (*a.* 1622), scilicet licite. Ubi supponendus est nondum fuisse ligatus votis, saltem ultimis : secus non indiguisset, ut videtur, dispensatione.

Ne lædatur fama Nostrorum aut caritas, serio commendat Congr. VI, 28, omnibus Nostris ne de hujusmodi rebus sermones misceant, monitis tamen Superioribus, si quid contra decretum irrepserit ; — aut de hoc conjecturæ bonæ haberentur ad quod obligantur Nostri, saltem ex caritate erga Societatem (*a.* 1632).

Oriundos vero a neophytis aliis nec B. P. Ignatius, quantumvis rogatus, nec S. F. Borgia voluit e Societate excludere (*a.* 1657).

Hæreticos vero ad Fidem catholicam conversos, si in scholasticos admitti petunt, non nisi post quinquennium, si vero in Coadjutores post triennium admittendos P. Claudius (*a.* 1614) et post eum P. Mutius (*a.* 1618) ordinaverant; nisi quis satis firmus et valde dignus crederetur, et tunc monendus esset Generalis.

Constans autem fuit priscæ Societatis mos ut non modo Turcæ aut Saraceni ad Fidem conversi, sed neque Indi aut alii ex Barbaris gentibus oriundi, in Societatem ut Coadjutores temporales reciperentur, sed tantum ut Oblati, cum voto annuo obedientiæ. Ita etiam nunc procedendum esset (8 jun. 1857).

33 II. — **De impedimentis secundariis.** — Videndum est postea utrum dotibus necessariis præditus sit Candidatus, necne utrum impedimento aliquo secundario laboret, nempe :

1° Quoad *ætatem* si nimis tenera aut nimis provecta sit : nempe nemo ad probationem admittatur, nisi gravibus de causis Generalis dispenset, antequam 15 annum completum aut postquam quinquaginta excesserit. (Cst., I, II, 12; — I, III, 15, K. — Coll., R. Pr. 36. — C. G., XII, 13). Generalis vero admittere potest ad novitiatum post duodecim annos completos, dummodo vota non emittantur ante sexdecim expletos. (Comp. Priv., n. 423, coll. Epit. P. 1, n. 100.) Si quis vero ante 15^{um} annum sine dispensatione Generalis admissus, ante 17^{um} annum expletum vota invalide nuncupasset, declaratum est validam fuisse admissionem a die quo 15^{um} annum explevit; et primam renovationem postquam 17^{um} annum completum attigit valida ejus vota reddidisse (C. G., VIII, 22 et 35, XII, 13)[1].

34 [1] Concessum fuerat Provinciis Hispaniæ ante 15^{um} annum, 14° tamen expleto, admittere (*a.* 1625, 1636). Imo Provinciali Bæticæ permissum fuerat ut ante 14^{um} annum tres admitteret, dummodo novitiatum non inciperent nisi postquam hanc ætatem attigissent (*a.* 1665).

Non ligamur decreto Clementis VIII, quo prohibentur admitti Scholastici ante decimum quintum et Coadjutores temporales ante vigesimum primum completum. Imo concessum est Societati, ex dictis, ut ad novitiatum admitti possint juvenes post duodecim annos expletos, ita tamen ut ad vota non admittantur nisi pervenerint ad ætatem pontificiis et Societatis Constitutionibus præscriptam. (Comp. Priv., n. 423.)

Quamvis vero hæc ætas assignetur, infra quam neminem admittere liceat, non ideo tamen omnes qui eam attigerunt idonei censendi sunt. Ita « Coad-

jutores juvenes non admittantur quia talibus valetudo facile læditur » (*a.* 1568). Nihilominus, cf. in libello supplici P. Fortis (Instit., t. III, app. p. 7) cur hodie aliter quandoque agendum sit.

2° Quoad *corpus*. — Si vel defectum integritatis vel deformitatem notabilem habeat candidatus, vel vires laboribus Societatis pares non possideat. — De his interrogandus est et defectus, si possibile sit, inspiciendus. (Ex., III, 8. — Cst., I, III, 15, I.) 35

3° Quoad *statum*. — Si vel ipse ære alieno, naturalibus civilibusve obligationibus sit gravatus, in quo diligenter consideranda occasio offendiculi, perturbationis aut scandali. (Ex., III, 2, B. — Cst., I, III, 15, L.)

Adde jus majoratus in Hispania (C. G., V, 18; — XI, 25).

4° Quoad *mentem*. — Si scientia, memoria, et aptitudine ad discendum sufficienti careat; et ideo interrogandus est ubi studuerit, quo profectu, et videndum utrum sermonis gratia polleat. Cst., I, III, 13. — Ex. v, 1.)

5° Quoad *indolem*. — Si vel sit in judicio obduratus, vel animo inconstans et remissus[1], vel peccatorum habitibus irretitus, de quibus non magna emendatio sperari possit, aut passionibus subjectus quæ domari non posse videantur (Cst., I, III, 9 sqq.); aut discretione et indole boni judicii destitutus. (Cst., I, II, 6.)[2]

Id cognosci poterit ex ejus vitæ narratione, quam ipse faciet si solerter interrogatur. — Videndum an opiniones proprias habeat quas deponere non velit. (Ex., III, 1, 11.)

[1] Constantiam voluntatis S. P. N. maxime cordi fuisse Suarezius probat (l. II, c. III, n. 8) sive ex Exam. III, 13, 14; sive ex Const. I, III, n. 10, 11; I, IV, n. 3. — Omnino tamen exigebat ut magnæ constantiæ accederet magna docilitas, cf. epistolam a P. Polanco nomine S^ti^ Fundatoris ad P. Urbanum Fernandez Rectorem Conimbricensem scriptam, ubi de dotibus admittendorum hæc inter alia leguntur (Epist. S. Ign., l. III, ep. 6, 34): « Primum omnium..... viros ad majora natos naturæ vigore et habitudine ipsum cupere. Sed cum hac constantia conjungi debet docilitas : utriusque hujus dispositionis conjunctio certissimum est signum vocationis ad Societatem. » Et revera voluntas *firma simul et indocilis* ægre fert jugum obedientiæ et vitæ communis. 36

[2] In novitiorum admissione considerandum est mentes difficilius mutari

quam corda. Recipiendi igitur non sunt ii quorum judicium suam rectitudinem amisit (*f.* 9 decemb. 1834).

Candidati Sacerdotes difficilius admitti debent, maxime si legendis ephemeridibus assueverint dum in philosophia et theologia solide fundati non erant (*f.* 8 jan. 1833).

Quoad pravos habitus sequentes regulas tradit A. R. Pater P. Beckx : « Vocationi nostræ idonei non sunt putandi, qui ad carnis vitia, ipsa natura et indole procliviores sunt. Ii vero qui his vitiis aliquando implicati erant, etsi habita naturalis indolis et educationis ratione, spem solidæ et constantis emendationis nunc forte præbere videantur, non sunt tamen admittendi nisi propositum vitæ melioris re et opere jam probaverint, ac notabili temporis spatio extra Societatem ab omni labe purgati vixerint. Qui autem jam sacerdotes huic vitio inhærebant, etiam si ab aliquo tempore lapsi non sint et emendati videri possint, nullo modo admitti debent. Nostri autem intelligant se, nec Deo obsequium præstituros, neque Societatis incolumitati, neque ipsorum aspirantium saluti, neque propriæ conscientiæ consulturos esse, si vel levitate animi, vel tenero quodam commiserationis affectu iis, quos dixi, non dissuaserint Societatis ingressum tentare. » (Epist. ad. Super. 12 mart. 1861.)

37 6° Quoad *virtutem*. — Si indiscretis devotionibus sit addictus quas relinquere paratus non sit (Cst., I, III, 12); an ad se totum Deo devovendum ad salutem tum sui, tum proximorum, et ad omnimodam abnegationem cum divina gratia exercendam non sit omnino determinatus. (Ex., IV, 45.) Interrogandus est igitur sedulo tum de modo quo pietatem coluit in vita præterita, de Sacramentis, lectionibus, meditationibus, tum de præsenti dispositione, zelo animarum, affectu erga Institutum. (Ex., III, 10. — I, 2, 8.)

38 7° Quoad *vocationem*. — Si intentionem minus rectam habeat (Cst., I, III, 10); aut satis constanti voluntate et matura deliberatione ad nos non accedat. Interrogetur igitur a quo tempore de vita religiosa suscipienda cogitet; an propositum mutaverit; (Ex., III, 13 et seq.); an ab aliquo de Societate motus fuerit (Ex., III, 14), quod si comperiatur, denuo apud se deliberet, liber a cujuslibet personæ influxu. An deliberatum habeat animum vivendi et moriendi in Societate. (Ex., III, 13, 14.)

Interrogandus erit præterea candidatus de parentum nomine et conditione; — an ex legitimo matrimonio ortus sit[1]; an filios

habeat aut habuerit; — an matrimonium promiserit; — an ordines ecclesiasticos susceperit; an voto aliquo sit obstrictus (Ex., III, 2, 5, 9). — An, si dubitet utrum parentibus subvenire teneatur, Superiorum judicio se submittere paratus sit (Ex., III, 3)[2]. Quot fratres et sorores habeat, quæque eorum conditio. (Ex., III, 4.)

[1] Defectus natalium non est proprie impedimentum : imo tollitur per professionem, et in Societate per prima vota, irregularitas inde orta. Et conforme est responsum P. Beckx, hac de re, ad Prov. Tolos. (9 febr. 1867). « Ad filium illum illegitimum quod attinet, nullam regulam violavit R^a V^a eum admittendo ; » at simul monebat R. P. difficilius tamen admittendos esse illegitimos filios, quia sæpe ad paterna vitia propensiores esse deprehenduntur : « Montrez-vous exigeant dans ces sortes d'admission. » — Et eodem modo jam P. Ass. Galliæ, 10 mart. 1853. Insuper attendendum est, in casibus peculiaribus, famæ Societatis. 39

Illegitimi iis in locis ubi ad alias honestas professiones admitti non solent neque a nobis admitti deberent, nisi aliquando, ob egregias alicujus dotes, præmonito Generali, aliter agere expediret (1592).

[2] Non sunt admittendi ii quorum parentes summa inopia laborant; quid faciendum cum talibus si jam admissi sunt, quæratur a Generali (1576). Qua ratione possit concedi ut stipendia missarum, hac de causa, accipiant, cf. infra, P. 2, c. II, ubi de ministerio gratis præstando, in notis. Cf. apud Bouix, *de jure Regular.*, t. I, p. 534 et sqq., casus in quibus ratione pietatis aut justitiæ admissio esset illicita. Insuper ex jure canonico nequit admitti licite qui adhuc obnoxius esset reddendæ rationi alicujus administrationis sive publicæ sive privatæ (v. g. tutelæ aut procurationis), saltem si timeatur inde molestia. Imo ex hoc capite inducitur irregularitas ad ordines. (Cf. DD. in l. I, *Decretal.*, t. XIX; et in l. III, t. XXXI.)

Hæc porro impedimenta secundaria singula seorsim a Societate non excludunt; reddunt tamen minus idoneum : imo quodvis ex his tanti momenti esse posset, ut non expediret forte admitti candidatum nisi aliunde compensaretur : de quo judicet qui habet potestatem admittendi, et quidem ex caritate potius universali quam particulari; et, prout videbitur, aut dispenset aut ad Superiorem referat si quæ sit difficultas. (Cst., I, III, 8, 16, H.) 40

Provincialis ejusve delegatus eos admittere potest qui secundario aliquo impedimento laborant, exceptis sequentibus (R. Prov. 36) :[1]

1° Deformitas magna aut defectus insignis qualem habent eunuchi.

2° Conjugium, etiam ubi non sit impedimentum essentiale.

3° Homicidium peccaminosum.

4° Ætas ultra quinquagesimum annum aut infra decimum quintum expletum (R. Prov. 36). Si in hoc postremo casu dispensasset Provincialis, dispensatio invalida foret (C. G., VIII, 35), et initium novitiatus ab anno 15° expleto computandum esset. (C. G., XII, 13.)

41 [1] « In impedimentis secundariis non permissis Provinciali, in reg. 36, non potest Provincialis nec licite, nec valide dispensare » (*a.* 1646). « Opinio nonnullorum istius Provinciæ (Germaniæ Superioris) de potestate Provincialis dispensandi valide, etsi non licite, in impedimentis Societatis secundariis, non potest in Societate sustineri; nam Præpositi Generales, antecessores mei, pro auctoritate a Constitutionibus et a Sede Apostolica sibi concessa, contrarium sæpe declararunt » (*a.* 1656). Porro cum potestas dispensandi in his impedimentis nihil aliud sit quam recipiendi pro prudentia quosdam iisdem ligatos, a contrario sequitur deesse Provinciali potestas admittendi relate ad impedimenta non permissa, et consequenter admissio foret invalida. (Cf. Castrop. Punct. VIII, q. 2, n. 3, 4, sqq.)

Ex his concludes nullam esse receptionem ejus qui tacuit impedimentum secundarium, si recipiens jus non haberet in illo dispensandi. Quid si jus haberet, v. g. Provincialis in defectu litterarum? Quæstio tunc erit utrum recipiens consenserit in substantiam actus, et exinde implicite dispensaverit : de quo non consentiunt auctores, præsertim si intercesserit malitia. (Cf. Palao, l. c., n. 8, 9; — Suarez, l. II, c. III, n. 5.) Saltem jus erit Religioni dimittendi, si fraus intervenerit in re gravi; quod valet a fortiori in votis scholasticorum. (Schmalzgrueber, l. III, t. XXXI, n. 169.)

At memorandum est, post vota nulliter emissa, non posse argui ex capite nullitatis, nisi ad tramitem Constitutionis Benedicti XIV *Si datam* (mart. 1746). Quid igitur faciendum, præsertim in casu quo impedimentum via secreti cognoscitur, Cf. Lugo (Resp. mor., l. IV, dub. 16).

42 Ad complendam de impedimentis materiam, adnotabis clericos quoslibet posse, absque consensu Ordinarii, Religionem ingredi, nisi adsit pactum deserviendi diœcesi expresse in clero sæculari, *ubi tamen tale pactum legitime fieri potest*; habens curam animarum monere debet Episcopum, a quo, etiam professus potest revocari in casu gravis damni Ecclesiæ. (Cf. Bened. XIV, *Ex quo,* 14 januar. 1747; — Nilles, S. J., *Selectæ Disputationes, J. E.* Æniponte. Rausch, 1886; disp. 2; cujus summam exhibent Ephemerides : *La Civiltà,* ser. 13, vol. 5, p. 480.)

Clerici autem qui ordinati sunt *titulo missionis* itemque alumni Collegii Urbani de Propaganda Fide, aliorumque collegiorum missionum in quibus fit juramentum non ingrediendi Ordinem religiosum, admitti nequeunt absque speciali licentia S. Sedis aut Congregationis de Propaganda. (Comp. Priv., n. 426.)

Seminaristæ vero, Religionem ingredientes, non tenentur refundere expensas seminario, seclusa lege fundationis, aut consuetudine aut pacto : utrum autem valeat hujusmodi pactum, si agatur de pauperibus, attenta lege Tridentina (Sess. 23, c. 18, De reg.) videtur omnino negandum. Nec approbanda sunt ea quæ habet D. Icard (*Præl.*, n. 459) de prætenso tacito pacto in Gallia : ex hoc enim sequeretur pejoris esse conditionis seminarista qui perfectionem christianam sectatur quam ille qui ad sæculi vanitates, desertis castris clericalibus, revertitur.

III. **De examine Coadjutorum temporalium.** — In admissione 43
Coadjutorum temporalium ante omnia notandum est non debere plures admitti quam necesse est ad ea præstanda quæ alii nequeunt facere absque detrimento majoris boni, quæque honestius domi quam foris fiunt. (Ex., VI, 1. — Cst., I, II, 2, A; — III, II, 7, H; — IV, III, 2; — IV, X, 6, 7, H. — C. G., I, 103.)

Quare in collegiis non debent excedere quartam partem et in domibus professis tertiam partem sociorum. (C. G., VII, 82, 3.)

Ii porro qui in Coadjutores temporales admitti postulant peculiariter examinandi sunt :

1° Quoad *corporis dotes.* — Vires scilicet, quæ majores esse debent quam in aliis. (Cst. I, II, 3.)

2° Quoad *statum.* — Si consanguineos nobiles habeant aut delicatioribus ministeriis assueti fuerint (Ins., VI, 4), difficilius admittendi sunt.

3° Quoad *mentem.* — Si litteris instructi sint, difficile admittantur. (Ins., VI, 4.) Si vero aliquod artificium non calleant, aut intra tyrocinium addiscere non possint, abigantur. (C. G., XX, 12, 6. — Cst. I, II, 3.)

4° Quoad *indolem et virtutem,* — videndum an sint quieti, tractabiles, amatores virtutis ac perfectionis, propensi ad devotionem, erga Institutum bene affecti. (Cst., I, II, 2.)

5° Quoad *vocationem,* — an sint sorte Marthæ contenti et in

suo gradu conquieturi (Cst., I, II, 2), bonæ capacitatis ad res spirituales percipiendas? (Ins., VI, 4.)

41 IV. — **De examine eorum qui spiritualibus ministeriis apti videntur.** — Si quis ad Societatem in spiritualibus juvandam venit, examinetur :

1° Quoad *Studia.* — Ubi studuerit? Quanto tempore, quo profectu, speciatim quoad linguam latinam; quibus facultatibus? — An sit magis propensus erga aliquas? — an graduatus? (Ex., V, 1, 2, 3.)

2° Quoad *Talenta.* — an memoria et intellectu pollere se existimet? (Ex., V, 3.)

3° Quoad *Vires corporis.* — An studiis fractæ, an laboribus Societatis pares? (Ex., V, 4.)

4° Quoad *Ministeria.* — (Si sacerdos sit) obita, quæ, quo fructu? (Ex., 5.)

5° Quoad *Dispositionem.* — Indifferentem, sive ad quemlibet gradum, Professi aut Coadjutoris spiritualis (si dubitetur an idoneus ad Professionem futurus sit), sive ad quodlibet officium. Præmoneatur se, dum in Probatione erit, in ministeriis conspicuis non esse occupandum absque permissione, et ipsius experiendi causa. (Ex., V, 7, 8.)

45 V. — **De Indifferentium examine.** — Ii qui ut Indifferentes se proponunt, interrogentur : utrum plenam revera habeant indifferentiam ad quemlibet gradum et officium, ita ut plenam sui dispositionem Superiori relinquant; quod non impedit quominus de iis, quæ in Domino censerent expedire, post orationem, Superiores admoneant. (Ex., I, 11; — V, 8; — VIII, 1, 2.)

46 VI. — **Varia circa Candidatos notanda.** — Non est necesse ut ii qui aliunde noti sunt circa hæc omnia puncta examinentur, sed cum eis agetur prout Superiori pro sua prudentia agendum censebit. (Cst. I, IV, 2, 3, C. D. G.)

Aliis plerumque ipsum Examen generale absque Declarationi-

bus proponatur, tum ut Societatis Institutum cognoscant, tum ut seipsos manifestent. (Ex., I, A. — Cst., I, IV, 5, E. — Reg. M. N. 11, 12, 13.)

Antea vero, imo antequam Candidatus ad primam probationem admittatur, expediret de essentialibus impedimentis, item de valetudine, ære alieno, et similibus (Ex., I, A. — Cst., I, I, D), ab iis qui eum melius norunt inquirere. (Cst., I, IV, D.)

Si vero in omnibus satisfaciat candidatus et omnino deliberatam voluntatem habeat, ad primam probationem admittatur, in qua melius adhuc de ejus vocatione constabit.

Igitur per 12 dies, aut amplius, in domo versetur a nostra distincta, aut certe in distincta parte domus nostræ (Cst., I, IV, 1); eoque tempore cum iis solis qui designati fuerint consortium habeat. (Cst., I, III, 4.)

Bullas quibus Societatis institutum approbatur et renovatur legat; necnon Examen generale; eaque per otium consideret, quæ pro utilitate ipsi declarentur. (Reg., M. N. 15 et sqq.) Ii quoque quos Superior designaverit ut cum eo colloquantur, interrogationibus utantur in c. 2. Reg. Exam. descriptis. (R. Ex., 17.)

De iis facultatibus quibus studuit lectiones singulas prælegat, coram iis qui ad ejus talentum probandum sunt deputati (Cst., I, IV, 5), unamque exhortationem faciat. (C. G., IV, 67. — R. M. N. 22.)

Generalem totius suæ vitæ confessionem peragat; aut, si id jam cum aliquo de Societate fecisset, ab hac confessione inchoando. (Cst., I, IV, 6; — Ex., IV, 41; — Reg. M. N., 23.) — Declaretur ei, si fuerit absolutus a censuris virtute nostrorum privilegiorum, quod illa absolutio est conditionata, i. e. quamdiu perseveraverit in Societate. Item de suspensione votorum[1]. — Suam conscientiam Superiori aperiat, nisi id differendum censeatur. — Demum sacratissimum Eucharistiæ Sacramentum recipiat et cum aliis admittatur.

[1] Scilicet reincidit in censuras qui ab eis fuerit absolutus vi privilegii Pauli III (*Licet debitum*, 1549); ita enim expresse cavetur ibidem. At si velit

Societas ipsos absolvi vi privilegii Leonis XII (inter vicennalia 10) absolutus esset inconditionate. (Cf. Villada, De Confes., 1892, n. 79.)

47 *N. B.* — Quæ præscripta sunt in Instituto de examine et admisssione Candidatorum novam vim obligandi acceperunt ex rescripto Pii IX dato Portici die 28 Januarii 1850. (Cf. Inst., t. III, app. p. 15.) — Concessit Pontifex ut Societas immunis esset a formalitatibus in admissione Regularium præscriptis per decretum 25 Junii 1848, organo S. C. super statu Regularium, inter quas erat obligatio referendi litteras testimoniales Ordinariorum. Id autem concessum est a Pontifice eo modo quo postulabatur, nimirum fideliter et adamussim servando quæ ex Instituto referebantur præscripta quoad admissionem candidatorum [1].

[1] Cf. P. Roothaan ad Prov. Lugdun., 31 januar. 1852, apud Montrouzier, c. 14, a. 1. Nihilominus ubi in admissione forma Instituti non fuisset satis servata, non est cur de validitate actus dubitemus : ipsa enim forma Piana non obligat nisi ad liceitatem (S. C., 1 maii 1851 et 16 januar. 1852). Excipe nisi agatur de aliquo substantiali, uti esset impedimentum essentiale in candidato aut defectus potestatis in admittente.

CAPUT SECUNDUM

DE CANDIDATORUM ADMISSIONE

I. — **Quinam facultatem habeant admittendi.** — Admittendi 48
facultatem plenam habet Præpositus Generalis, qui hanc facultatem exercere potest per se vel per alios, ubicumque libeat. (Cst., IX, III, 1.) Communicatur sua regula 32 Provincialibus, qui eam etiam in absentes exercere possunt (Cst., I, I, B) eamque quibus judicaverint delegare. (Reg. Prov. 32.)[1]

Rectores et Præpositi ex sola commissione Provincialis hanc facultatem habere possunt. (Reg. Rect. 77; Præp. 79.) Nunc iis solis superioribus communicari solet in quorum domibus Novitii versantur.

Superiores qui admittendi facultatem non habent ad Provinciales aut alios qui hac facultate sunt prædíti remittere eos debent qui ipsi se offerunt et idonei judicantur. Si mitti non possunt, eos in domo recipere possunt, velut hospites (non ad primam probationem), donec Provincialem informent. (Cst., I, I, 2, A.)

Non tamen facile ultra triduum retineant, præsertim ubi sunt Novitii, eos qui non omnino statuerunt se Deo in Societate dedicare.

[1] Qui in articulo mortis a Provinciali admittuntur, possunt cum habitu 49
Societatis sepeliri et pro ipsis officium recitari; sed suffragia indicenda non sunt (*a.* 1619, 1636, etc.). Rector sic admittere nequit; imo nec Provincialis eum, qui impedimento essentiali laborat (*a.* 1650).

At « Provincialis potest in articulo mortis admittere aliquem *ad verum noviciatum*, si nullum habeat impedimentum prohibitum Provincialibus. Et

tunc, si convalescat, habendus est ut verus novitius ; si moriatur, sepeliendus more Nostrorum » (*a.* 1648).

Cæterum, vota devotionis in articulo mortis a quolibet fieri possunt pro arbitrio ; nec quis ideo admittitur in Societatem (*a.* 1647). — De votis in articulo mortis cf. infra, cap. 5, ubi de votis novitiorum.

« Consueta Societatis suffragia indici non debent pro novitio qui ob valetudinem e Societate dimissus, morti postmodum vicinus, emisit vota Societatis. Quod etiam intelligitur de iis quibus in articulo mortis permittitur pro sua ipsorum consolatione, ut emittant vota.. Commendari tamen poterunt precibus NN. » (*a.* 1591, 1610).

50 II. — **Quænam in admissione præstanda?** — Rationem conscientiæ reddet qui admittitur et generaliter confitebitur juxta superius dicta (Cap. præc.) (Ex., IV, 36, 41) [1].

In libro aliquo notabitur quidquid attulerit (Cst., I, IV, 6. R. M. N. 25), ut ei reddatur, si ante expletam probationem egrediatur. — Imo si postea dimitteretur, videbit Superior num, præter ea quæ ipsius esse constat, aliquid amplius ipsi tradi possit. (Cst., II, II, B.) [2]

In alio libro notet Magister Novitiorum diem et annum ingressus uniuscujusque, incipiendo a die quo ad primam probationem est ingressus; et quod contentus sit omnia sibi proposita observare. (Notetur si in Coadjutorem vel Indifferentem fuerit examinatus.) — Utrumque hunc librum manu sua subscribet Novitius. (Cst., I, IV, 6. — R. M. N. 26.)

51 [1] Provincialis potest ordinare ut ingredientes Societatem ordinarie rationem conscientiæ reddant Magistro Novitiorum, cum faciunt confessionem generalem; quod si Provincialis velit eam ipse exigere, non urgeat ut faciant extra confessionem : satisfacient autem aperiendo conscientiam in confessione nec aliud ab eis exigendum est (*a.* 1606). Nihil est quod novitii, reddita ratione conscientiæ de vita præterita Magistro Novitiorum, idque in confessione generali, ut usus habet, iterum alteri Superiori præterita repetant (*a.* 1588, 1610).

[2] Si vero Candidati perseverent et vota emittant, ea quæ ab ipsis allata fuerant ad domum pertinebunt, « cum censentur ab iis domui donari ut finito biennio possit domus illa convertere in bonum suum sine ulteriori declaratione » (*a.* 1627). De rebus vero majoris pretii cf. infra, P. II, c. 3.

SCHOLION

DE ADMISSIONE EORUM QUI A SOCIETATE RECESSERUNT

Si quis sponte recessit et sponte redit, non est admittendus, 52
nisi veram voluntatem perseverandi afferat et ad quamlibet satisfactionem exhibendam sit paratus. (Cst., II, IV, 6.)[1]

Si fuit dimissus et rationes subsistant, minime recipi debet. (Cst., II, IV, 7.) Si non manent, et ipse paratus sit ad quamlibet satisfactionem dandam (tum ad aliorum ædificationem, tum ad proprium profectum), Generalis aut Provincialis erit de ipso statuere. (Cst. II, IV, 7, C.)

Qui dimissus vel sponte recedens ad aliam domum Societatis transit, recipiendus non est absque consensu Præpositi Generalis aut Superioris domus a qua discessit. (R. Præp. 81. — Rect. 79. — Cst., II, IV, 1.) Videbit Superior utrum sit tanquam hospes admittendus, dum responsum acceperit. (Cst., II, IV, A.)[2]

Potest redeuntium constantia in xenodochiis probari; — debent examinari; — confessionem generalem ab ultima facere, in experimentis exerceri quantum ratio ædificationis exigit; — nec ad vota admitti ante biennium[3], nisi invalide dimissi essent uti, v. g. si dimissi inculpabiliter ex falsa causa. (C. G., VIII, 58.)

Potest tamen Provincialis eos a probationibus eximere. (Cst. II, IV, 8. — Or., I, 2, — C. G., VIII, 58.)

[1] Experientia docuit raro perseverare eos qui, ob gravem culpam e Socie- 53
tate dimissi, ad eam redeunt (*a.* Polanc. 1553).

[2] « Admissio iterum in Societatem alicujus dimissi, sine facultate Generalis, declarata est invalida » (*a.* 1618, 1635). Ex Constitutionibus requiritur consensus aut ejus qui dimisit (vel, si agitur de egresso, Superioris domus a qua egressus est) aut Generalis (II, 4, 1). In regulis suis jubetur Superior a quo petitur admissio ut referat ad Provincialem. (R. Rect. 79.) Provincialis vero (R. 46) remittitur ad Constitutiones ; ait tamen regula : « Si quis autem semel egressus erit, poterit quidem admitti, sed etc. » Ex quibus collatis deducendum videtur non posse recedentem admitti denuo, absque Provinciali, et insuper requirendus consensus dimittentis : quo præstito, utrum Provin-

cialis ipse possit de novo admittere aut debeat rem ad P. N. deferre, ex reg. 46 obscurum manet, et ob responsa superius allegata videbitur forte necessarius Generalis interventus, nisi responsa intelligas de dimissis post ultima vota.

[3] Etiamsi quis ob solam infirmitatem e novitiatu dimissus fuisset, si convalescat et redeat, biennium denuo incipere debet (*a.* 1620 et sæpius); « Nec interest pro novitio brevitas dimissionis si hæc absoluta fuit; abrupta enim probatio, nec prior tunc cum posteriore coalescit » (*a.* 1641). Non autem solet ob morbum dimissis fieri promissio reditus si convalescant (*a.* 1639).

CAPUT TERTIUM

DE SECUNDA PROBATIONE ET EJUS DURATIONE

Per biennium integrum a die quo quis a Provinciali in Societatis domum admittitur primam probationem inchoaturus, durare debet Secunda Probatio antequam quis in Scholasticum approbatum admittatur. (Ex., I, 12; — IV, 16, 41; — VI, 8. — Cst., IV, III, 3; — IV, IV, 5. — C. G., II, 14. — Ins., VI, 5. — C. G., VII, 98.)[1] Nihil autem impedit quominus hoc tempus prorogetur. (Ex., I, 12. — Cst., V, I, 3, C. — Reg. Prov. 37.) 54

[1] Anni duo videntur computandi eodem modo ac tempus novitiatus in aliis Religionibus. Jam vero in illis computatur annus integer a Tridentino præscriptus, i. e. juxta sententiam Lessii (*De just.*, l. II, c. XLI, n. 59) et Schmalzgrueber (l. III, t, XXXI, n. 64 et sqq.) hodie communem et declarationibus S. C. C. conformem (Ferraris ad *V. Annus probationis,* n. 25 et sqq), non solum de die in diem, sed de momento ad momentum, etiam ubi intervenit annus bissextilis. Hinc pluries responsum fuit vota emittenda esse « non ipso anniversario die, qui biennium claudit, » sed « postridie; » ita ut « sit dies unus supra duos annos; » et hoc « ad tollendos scrupulos et ne relinquatur de expleto biennio dubitandi locus » (*a.* 1606, 1608, 1613, 1619). Quod tenendum etiam in anno bisssextili « cujus intercalaris dies ad hanc rem est pro nullo » (*a.* 1628, 1641).

Biennium porro illud continuum esse debet, nisi Generalis dispenset; et ipse quidem Generalis ab uno saltem anno continuo eximere nequit cum hoc requiratur a Tridentino (Suarez. Tract. 10, c. IV. n. 7.) Hac vero cautela servata posset aliquis ad domum paternam remitti, ut v. g. patri inserviat in gravi necessitate, habitu sæculari, et interim agat novitiatum. (*a.* 1603, 1667.) De novitio tamen qui exercitia novitiatus interruperat ad gradum academicum ex necessitate exemptionis a militia præparandum, ita præscribebat P. Anderledy, 17 januar. 1891 : « Ses deux années lui comptent à

partir du jour où il est entré pour commencer effectivement son noviciat. Mais quand elles seront révolues, il ne pourra être admis à faire ses vœux que s'il a passé une année non interrompue dans une maison de noviciat. »

Tempus Probationis incipit a die quo quis a Provinciali admissus in domum ingreditur (*a.* 1611). Etiamsi quis per aliquod tempus nulli probationi subjiciatur, biennium ab ipsa admissione orditur (*d.* 13 mart. 1834).

55 Neque e domo Probationis ad studendum in Collegiis mitti possunt Novitii a Provincialibus, nisi secundo anno ex Generalis commissione (C. G., II, 14; — XX, 12, 2. — R. P., 38) neque ad docendum aut pueris invigilandum mittantur, si Sacerdotes non sunt; ipsi vero Sacerdotes non nisi expleto primo anno; eoque tempore in sacro ministerio non occupentur. (C. G., XX, 12, 3, 4.) Sed neque Coadjutores temporales educendi, nisi per integrum annum in novitiatu fuerint, ibique satisfecerint : educti vero, ante finem biennii variis cautelis adjuvandi sunt. (Ins., VI, 5. — Or., I, 16)[1].

[1] Reservata fuerat Generali a P. Claudio facultas Novitios, etiam sacerdotes, ante finem biennii ad Collegia mittendi (*a.* 1584, 1594). Cumque postulatum esset ut Provincialibus restitueretur hæc facultas, ab eorum regula ipsis attributa, concessum est ut ob solum valetudinis periculum, ac proinde non ad docendum neque probationis causa, Novitios secundi anni ad Collegia mitterent (*a.* 1603, 1606, 1607). Novitii Coadjutores ante annum expletum e tirocinio non sunt educendi (*a.* 1652). Concessum fuerat Provinciæ Tolosanæ ut transgressio hujus regulæ irrita redderet vota Coadjutorum (*a.* 1665).

Jam vero in morem transiit ut Sacerdotes novitii, secundo anno, ministeriis applicentur; sed talia eis ministeria committenda sunt quæ ad eos non inflandos sed probandos apta sint (*f.* 26 Aug. 1834). Et P. Beckx, Epist. de admittendis, n. 9. (6 januar. 1870) : « Eos qui in antecessum curam animarum habuerunt, non passim aut nimis cito, etiamsi biennium absolverint, sacris ministeriis addicant (Superiores), sed potius in Collegiis occupatos diutius retineant. » Et cf. ibid. cur ita agendum. — Sacerdotes novitios, hoc secundo anno, cum tertiariis Instituti studio applicari utile esse aliquando potest, sed non omnibus; non enim omnes Instituti comprehendendi æque capaces sunt (*f.* 4 mart. 1840).

De novitiis ob iniquas leges militiam agentibus, hæc P. Anderledy : « Plusieurs questions ont été faites relativement à la loi militaire. 1° Quand nos jeunes gens seront appelés au service après les deux années de noviciat, faut-il les admettre aux vœux de religion? Il paraît plus prudent de ne les

admettre qu'à des vœux de dévotion et temporaires ; 2° Ceux qui ont à faire un an ou plus de juvénat avant d'aller au service, peuvent être admis, s'ils sont jugés fermes et constants, à prononcer les vœux de religion à la fin du noviciat. 3° Quand nos jeunes gens seront appelés après une année de noviciat, doivent-ils recommencer leur noviciat pendant deux ans, ou suffira-t-il de leur faire compléter le noviciat commencé, sauf à retarder les vœux d'un ou plusieurs mois, selon les circonstances et les dispositions du sujet? Comme le noviciat n'est pas censé interrompu (quia non discedit novitius cum animo relinquendi ordinem), le novice, après son temps de service, pourra, si sa conduite a été ce qu'elle doit être, reprendre les exercices du noviciat et achever ses deux ans, sauf à prolonger ce temps d'épreuve si on le juge à propos. Dans le cas où on croirait bon de faire recommencer le biennium, on pourra, si on le veut, appliquer le novice aux études pendant sa seconde année » (3 aug. 1890).

Provincialis dispensare nequit a decreto quo C. G., VIII (*d.* 35) statuit vota ante decimum septimum annum completum emitti non posse. (C. G., XII, 13.) Neque Generalis ipse potest permittere ut ante decimum sextum annum completum emittantur, cum Concilium Tridentinum id quoad professionem religiosam prohibuerit, cui vota simplicia Scholasticorum assimilantur. (Trid. Sess. 25 de Reg. c. 11.) 56

Facultas vero Præposito Generali collata a Constitutionibus (V, 1, C) probationis tempus contrahendi, a C. G. V (dec. 12, 13 et 63) restricta est saltem quoad licitum usum, ad Professionem erga quam solam hujus exceptionis necessitas ingruere posse videtur[1].

[1] Post acta Pii IX, diei 19 mart. 1857 et 7 sept. 1862, potuit dubitari utrum perseveraret in Generali hæc contrahendi potestas. Prohibet enim Pontifex, et quidem lege irritante, ne quis admittatur ad solemnem professionem, nisi tribus annis post emissa vota simplicia. Porro, cum potestas contrahendi post annum novitiatum Generali competeret, non ex speciali privilegio, sed ex jure communi Regularium, hac in re a Societate receptum, illa videtur sublata in Piana disciplina. Contrariam tamen interpretationem secuta est Societas, ut constat ex litteris Assistentis Galliæ, ad Tolosanum instructorem, die 28 sept. 1884, quæ sic habent : « Ce pouvoir attribué par les Constitutions au Général de la Compagnie subsiste de fait, après le décret de 1857, comme le prouve l'usage qui en a été fait en faveur du P. Negroni. C'est la pleine conviction du T. R. P. Général (P. Beckx), du R. P. Vicaire

(P. Anderledy) et de tous nos Pères de Rome. En effet, une loi quelconque n'enlève jamais un privilège particulier en la matière, sans en faire une mention spéciale. Or nulle mention de ce genre, relativement au pouvoir particulier de notre Général, dans le décret de 1857. D'ailleurs la Compagnie était ici hors de cause : ce décret ne pouvait la viser, puisque la profession chez elle ne se fait d'ordinaire qu'après un laps de temps qui va de 10 à 17 ans de vie religieuse. En outre, les abus ou les inconvénients auxquels le décret se propose d'obvier n'existent pas chez nous, et ne sont guère possibles dans les conditions où quelqu'un est appelé à la profession avant la fin du biennium. Il n'y a qu'à peser, pour s'en convaincre, les termes dont se sert N. B. P. » (Communic. a R. P. Paulo Ginhac, Instruct. Tolos.) Et cf. P. Anderledy ad P. Wernz 25 mart. 1877 apud P. Oswald, n. 155.

CAPUT QUARTUM

DE EXPERIMENTIS NOVITIORUM

Sex sunt præcipua experimenta (Ex., IV, 9, 16), quorum finis 57
communis est ut melius perspecti sint Novitii (Cst., I, II, 1), et in quibus præcipua pars novitiatus posita est (R. M. N. 27)[1] Finis autem peculiaris :

1° *Exercitiorum* per mensem circiter, nisi quis ante ingressum in Societatem, ea integre fecerit (C. G., IV, 67) scopus est ut rationem orandi nostro Instituto consentaneam addiscant. (Ex., IV, 10. — Cst. III, I, 20. — R. M. N. 23.)[2]

2° Experimenti *Xenodochiorum* per mensem, ut se demittant et sæculo se renuntiare ostendant. (Ex., IV, 11. — R. M. N. 29, 30.)

3° *Peregrinationis* per mensem, ut ad incommoditatem comedendi et dormiendi assuefiant et ad soli Deo fidendum. (Ex., IV, 12.)[3] Sed cavendum est ne juniorum et debiliorum salus nimia fatigatione frangatur. (R. M. N. 32.)

4° *Officiorum abjectorum* cum omni diligentia, ut se abjicere addiscant, et cæco modo obedire (Ex., IV, 13, 28. — Reg., M. N. 33)[4], nimiam corporis fatigationem vitando.

5° *Doctrinæ christianæ* rudibus tradendæ, ut in hoc munere nostri Instituti proprio exerceantur. (Ex., IV, 14. — R. M. N. 35.)

6° *Prædicationis et Confessionis* post sufficientes probationes et per breve tempus, ut quid in his ministeriis efficere possint probetur. (Ex., IV, 15. — R. M. N. 36.)

[1] « Licet curandum sit ne exhortationes, collationes, aliæque tirocinii exercitationes desint, studium tamen ac præcipua cura ad hoc est adhibenda ut in mortificationum praxi fundamentum ponant, quoniam in Societate, omnia alia exercitia ab illa oriuntur. « (PP. Generalium selectæ epist. et documenta. De mag. Nov. c. I, n. 6.) Nihilominus de tonis advertatur « eos non esse institutos ad... mortificationem, sed potius.. ad talenti speciem præbendam. » (Ibid., c. II, n. 6.)

[2] Integra debent peragi Exercitia juxta formam in libro S. P. N. præscriptam (Direct., I, 1.), quod intra duas hebdomadas fieri nequit : in Romano Novitiatu, tres saltem integræ hebdomadæ, imo fere 24 dies his impenduntur (*a.* 1622, 1660).

[3] Omitti potest experimentum peregrinationis ubi commode peragi nequit : nec est necesse ideo duplicare aliud experimentum (*a.* 1596). Idem dic de experimento xenodochii (*a.* 1610). Novitios peregrinantes ad eos qui aliquando e Societate fuerunt, divertere non convenit (1606). Potius omittendum aut differendum esset hoc experimentum quam seculari habitu peragendum (*a.* 1601).

[4] Non permitttantur Novitii mendicare deposita veste Societatis, nec ire ad porticum cum cæteris pauperibus (*a.* 1607).

Raro nec nisi ex judicio Provincialis ad aliquam partem urbis quærendo eleemosynam eant. Romæ ad domos privatas mitti non solent (*a.* 1596, 1607).

58 Hæc experimenta communiter intra primum annum absolvi debebunt (R. M. N. 38. — Ex., IV, 16); — ita ut post singula ad vitam communem redeuntes respirent.

Post peracta experimenta, testimonia referre debebunt a viris fide dignis, — sic in peregrinatione ab ultimo loco in quo constiterunt. (R. M. N., 32. — Ex., IV, 20.)

Potest Magister novitiorum, si id ipsi utile videatur, anteponere aut postponere experimenta; sed inconsulto Provinciali, ea non permutet, nec multum moderetur, nec ultra primum annum differat. (Ex., IV, 16. — R. M. N. 37.)[4]

Exercitia non multum differri debent, cum primum locum habeant. (Ins., VI, 3.)

In xenodochiis possunt Novitii vel totum tempus diei et noctis transigere vel aliquot horas quotidie. (R. M. N. 29.) — Caveatur ne eorum valetudini nocumentum afferatur nimio labore, vel contagioso morbo. — Nec ingrediantur partes mulieribus addictas.

[1] « Regula 38 M. Nov. circa experimenta sex primo anno absolvenda loquitur de iis qui id commode præstare possunt, judicio Superioris. Quod si justis de causis novitii non possint, tunc satisfiet, si præstent quod possunt secundum directionem et ordinationem Provincialis » (*a.* 1612).

Debent etiam exerceri Novitii : 1° Vestitu vili, etsi non desit 59
unde sustentetur natura, nihilque contra decorum fiat (Cst., III, II, 3). — 2° Stricto silentio, præter quam recreationis tempore, in qua quatuor simul sint nisi Magistro aliter videatur (R. M. N. 74, 79. — Cst., III, I, D). — 3° Variis actibus obedientiæ et paupertatis, cavendo ne nimio pœnitentiarum usu debilitentur, aut contra nimia relaxatione humani affectus incalescant. (Cst., III, I, V. — R. M. N. 42, 43.) — 4° Segregatione a studiis, necnon externorum, imo ex parte, et domesticorum commercio. (Cst., I, IV, 4. — R. M. N. 50.) — 5° Omni vitæ religiosæ officio, ita ut, cum multum tribuatur spiritualibus exercitiis[1], non desint avocamenta mentis in opere manuali et recreatione. (R. M. N. 60, 61, 68 et sqq.)[2]

[1] « Argumentum meditandi ordinarie sumant ex mysteriis vitæ et passionis Christi, aliisque capitibus libello Exercitiorum indicatis » (*a.* 1620).

[2] Nimium esset si bis in mense ad vineam mitterentur; durius si bis in anno (*a.* 1612). Nil tamen certi hactenus statutum. At, nota ex Reg. 62, M. N., singulis hebdomadis, die una a solitis exercitiis vacandum, in qua aliquid recreationis sumi potest domi vel foris.

SCHOLION

DE EXAMINE SEMESTRI NOVITIORUM

Legendæ ipsis tradentur Litteræ Apostolicæ, Regulæ, Examen 60
Generale, relicto secundo et tertio capite et iis quæ ad suam cujusque classem non spectant. (Ex., I, 13; — IV, 41. — R. M. N., 63.)

Postea interrogetur unusquisque an omnibus contentus sit,

quot experimenta peregerit; an vires sibi suppetere sentiat, tum animæ, tum corporis; an firmum propositum perseverandi habeat. (Ex., III, 14. — Cst., I, I, D. — R. M. N., 64, 65.) — Et scripto constet hoc examen factum esse. (R. M. N., 66.)

Eodem tempore generaliter confiteantur Novitii et Superiori delegatove rationem conscientiæ reddant. (R. M. N., 67. — Ex., IV, 36, 41.)

Simul vero et antequam vota emittant, instruantur de vi promissionis ingrediendi Societatem et renovationis votorum. In fine novitiatus, interrogentur præsertim an parati sint ad obediendum quoad studia et alia, seque omnibus postponendos[1]. (Ex., VII, 3. — R. M. N., 81.)

[1] « Cum novitii se *ad collegia conferunt*, magister eos ita dirigere debet, ut juxta suum statum ex *interno spiritus principio* operentur, atque ut per se ipsos agere assuescant, si externa directio (et exemplum) ipsos deficiat. » (PP. Generalium Selectæ Epist. De Mag. Nov., c. II, n. 2.).

CAPUT QUINTUM

DE JURIBUS NOVITIORUM ET VOTIS QUÆ EMITTERE POSSUNT

I. — De juribus Novitiorum.

I. Communicari ipsis possunt gratiæ spirituales Societati concessæ. (Cst., V, 1, A.) 61

II. Novitii possunt et debent confiteri exclusive Magistro, quamvis forte simul sit Rector; at necesse est deputare semel quotannis (C. G., XXIII, 30, 2), confessarium extraordinarium cui omnes cum effectu confiteri teneantur[1]. Mos est, de cætero, Societatis, ut Novitiis, renovationis tempore, facultas fiat adeundi confessarios extraordinarios designatos : et C. G., XXIII Magistros hortatur ut se quam facillimos exhibeant in concedendo Novitiis alios confessarios. (*d.* 30, n. 2.) Nihilominus potest Superior sive domus sive provinciæ exigere ut semel vel bis in anno Novitii sibi aut alii sacerdoti a se deputando confiteantur. (C. G., XXIII, 30.)[2]

[1] Non videbitur fortasse omnino consonare cum decreto 30, C. G., XXIII, Compendium Priv., n. 125, ex quo requiritur ut Novitii quinque aut sex vicibus habeant confessarium extraord. At C. G., XXIV, d. 25, declaravit Compendium interpretandum esse ad sensum decreti 30, Congregationis XXIII. Cæteroquin de mente Societatis, cf. Cong. Gen., XXIII, decr. cit. Interim nota hoc Congregationis decreto antiquari responsum a P. Beckx, litteris suis 5 april. 1872 datum, et a P. Melot relatum (n. 400).

Ex hactenus allatis sequitur Novitios debere peccata confiteri soli Magistro aut aliis rite juxta dicta designatis. Hinc quærenti utrum quivis sacerdos possit eorum confessiones audire, respondendum videtur cum P. Villada : 1° Quoad liceitatem, negative : patet ex expositis. (Et cf. Priv. 13, perpet.

Leon. XII.) 2° Quoad validitatem, negative adhuc ; et quidem *certo,* si agitur de confessariis a Societate facultates recipientibus : hæc enim jurisdictionem in Novitios non dat nisi Magistro et confessariis specialiter designatis ; *probabilius* saltem, si agitur de confessariis aliunde habentibus approbationem et jurisdictionem : seclusa enim hac de re quæstione generali, quoad Societatem in specie mens videtur S. Sedis ut alii quam designati a Superioribus invalide audiant Novitiorum confessiones, ob ea quae ibid., pp. 80, 81, n. 74, expendit ex Urbano VIII laudatus auctor. Hinc emendandus Suarez, *De Relig.*, tr. VIII, l. II, c. XVII, n. 12 : at placent quæ habentur ibid., n. 15.

Hactenus de quolibet indiscriminatim mortali : de reservatis vero cf. infra ubi de casibus reservatis.

Dum iter faciunt Novitii videntur considerandi ut alii ex Nostris quoad confessionem. (P. Villada, *De confess. nostr.*, n. 77.) Cf. igitur infra, ubi de confessariis nostris.

Qui vero versantur in prima probatione « videntur quidem posse considerari in odiosis ut sæculares, ita ut possint confiteri cuilibet habenti facultatem ab Episcopo loci : sed etiam possunt ex nostris privilegiis... absolvi a deputatis per nostros Superiores, etiam a reservatis sive ante sive post ingressum perpetratis ; ast nisi mox ingredi et post experientias vota emittere parati sint, in pristinas reincidunt censuras. » (Ibid., n. 79.) Imo fortasse qui ficte candidatum agit ne valide quidem ab illis absolveretur. (Cf. Suarez., l. II, c. V, n. 15, 16.) Utrum Novitii incurrant reservationes nostras, cf. infra ubi de casibus reservatis.

[2] Id pro Novitiis nostris concessit Urbanus VIII, *In hoc auctoritatis ;* et in genere pro Novitiis regularibus concesserat Clemens VIII, *Cum ad regularem* (1603). At restringi ad solos Novitios et ita intelligendum Compendium Privilegiorum (n. 125), notat P. Villada. (l. c, p. 85.)

62 III. Possunt Novitii dispensari in irregularitatibus, ad suscipiendos exercendosve Ordines et gerenda officia, necnon redintegrari contra pœnas, privationes, inhabilitates juxta ea quæ habentur et declarantur in Comp. Priv. 164 et seqq. : at dispensatio pro homicidio voluntario, mutilatione, bigamia, Generali reservatur; pro ceteris Provinciali et quibus ipse commiserit, et insuper, semel in anno (pro foro conscientiæ), feria secunda post dominicam primam Quadragesimæ, Superioribus et confessariis ordinariis. (Cf. Comp., l. c.)[1]

63 IV. Non tenentur Novitii nostri decreto Trid., c. XVI, sess. 25, *De Regularibus,* nec decreto Pii IX (1 aug. 1862), *De renuntiationibus*[2]; sed licite et valide renuntiant bonis suis et resignant

beneficia ad tramitem Instituti (Comp. Priv., n. 482) : etiam professione forte non secuta, dummodo renuntiatio facta fuerit post primum annum. (Schmalzg., l. III, t. XXXI, n. 135, sqq. — Sed cf. infra, P. II, c. 3, ubi de bonis abdicandis.) Beneficia tamen non vacant ipso facto ingressus in novitiatum, imo emissionis votorum post biennium. (Comp., n. 424.)

[1] Hic loci intelligit P. Villada non Magistrum solum sed confessarios ordinarios domus. (l. c, n. 75, coll. cum n. 19.)

[2] Quibus scilicet prohibentur et irritantur renunciationes peractæ ante bimestre solemnem professionem præcedens ; et in his peragendis certa forma præscribitur. Responsum tamen, anno 1600 *(a)*, non expedire ut Novitii in sacris constituti beneficia abdicent ante vota post biennium emissa.

II. — De votis Novitiorum. 64

Possunt emittere vota devotionis[1]. (Ex., I, E. — Cst., III, I, T; — V, IV, 6.) Non tamen absque permissione Provincialis; et impelli ad id minime debent[2]. (C. G., XVI, 37. — R. M. N., 55. — C. G., II, 14.)

[1] Coadjutores temporales non excluduntur a facultate emittendi hæc vota ; imo ex textu Epitomes Instituti (P. 1, n. 93), clare innuuntur includi et consonat praxis restituta. (P. Villada, p. 83, not. 1.)

Præter vota devotionalia Novitii, dummodo in articulo mortis contituantur, possunt, etiam anno novitiatus non completo, si sint in ætate legitima, emittere vota religionis : ita tamen ut, si convaluerint, tempore novitiatus completo, iterum profiteantur. Ex communicatione cum Prædicatoribus. (Comp., Priv., n. 428.)

[2] « Nulli quidem præscribi potest ante biennium ut voveat, tametsi id est consilium Societatis in genere, quod ex tertia parte (Constitutionum), colligi potest ; et tamen ante biennium ad studia nullus mittitur, nisi qui sua voluntate vota fecerit ; quod ex traditione accepit Societas a P. Ignatio. Addidit ad hæc secunda Gener. Congreg. ne Novitii primo biennio ad vota emittenda instigentur. » (P. Natalis, Sch. ad Const., part. V, c. IV, in voc. *Propria impulsus*.)

Solus horum votorum effectus est in ipso emittente quatenus scilicet obligatio ea servandi ipsi inest, quamvis non constituatur religiosus, neque oriatur pro Societate obligatio eum retinendi

(Epit., p. I, n. 94)[1]; difficilius tamen dimittuntur qui ea emiserunt[2] (R. M. N., 55. — Cst., II, 1, 1, A, C), et ideo eorum nomen servandum est, et exemplar unum ipsorum votorum, juxta formulam Scholasticorum, Superiori tradendum est, alterum ab ipso Novitio servari. (Cst., III, 1, T; — V, IV, 6. — R. M. N., 55.) Hæc vota in secreto animi emitti debent. (Cst., III, 1, T.)[3]

65 [1] Effectus igitur est duplex : 1° Uberius meritum et spirituale solatium (Ex., 1, E); 2° Obligatio servandi promissam Deo paupertatem, castitatem, obedientiam, juxta Institutum. « Dum autem vovent se ingressuros Societatem, vovent se ex novitiatu non recessuros, sed, eo peracto, solita Religionis vota edituros : si ante resiliant, contra votum illud faciunt. Itemque si quid aliud committant, quod tribus votis substantialibus, quæ simul vovent, adversentur. Ab his autem votis dispensare possunt Provinciales, cum illos ex certa causa dimittunt » (*a.* 1613). At cum hæc vota « eos non constituunt extra statum novitiatus, non agunt contra votum si de deserenda Societate deliberent aut etiam statuant » (*a.* 1630). Quod videtur ita intelligendum ut hanc deliberationem facto complere possint tantum de dispensatione Provincialis vota solventis.

Quamvis Novitius ex his votis obligationes religionis suscipiat, attamen religiosus non efficitur. (Cf. *Litt. encycl.*, P. de Noyelle, 7 aug. 1683.) Scilicet cum emissionem votorum religiosorum duo sequuntur, obligatio servandi vota et incorporatio in religionem, vota devotionalia priorem inducunt effectum, non autem posteriorem. Hinc pœnis et censuris *in religiosum* latis non subjicitur is Novitius (*a.* 1610). De votis devotionis cf. quoque Sanchez in Decalog., l. VI, c. x, n. 8.

Quoad obligationem voti obedientiæ ex devotione emissi, dubitari potest an sub mortali obligare queat. Ratio dubitandi est quod Superior Novitiis in virtute S. Obedientiæ præcipere non valeat, qui solus casus est in quo votum sub gravi religiosos nostros obligat. Nihilominus censet Pellizzari posse Superiorem Novitio ita voventi præcipere sub gravi « non quod habeat jus in Novitium, cum vota ei non sunt emissa, nec ab eo acceptata ; sed quod Novitius per illam emissionem votorum promisit Deo exhibere obedientiam huic prælato ac proinde, hoc ipso quod is aliquid præcipit (intelliges : in ordine ad hanc promissionem), tenetur ille ei parere. » (*Manuale*, t. II, c. VI, n. 12.) Et revera si valeret ratio dubitandi allata, nec sub levi obligaretur Novitius ; indeque votum obedientiæ titulus esset sine re. Quidquid sit hac de re, posset saltem ex contemptu Novitius peccare : hoc tamen contemptus peccatum, sicut nec peccatum contra paupertatem quod furtum non esset, non videtur reservatum ; quia talem Novitium Societas non agnoscit ut constitutum in statu religiosæ obedientiæ et paupertatis.

[2] Hoc ex mera voluntate Societatis, nam « Societati per hæc vota, licet

ab ipsa permissa, nulla prorsus accrescit obligatio recipiendi eum. » (P. de Noyelle, 18 sept. 1683.)

[3] Hæc verba *in secreto animi sui* non impediunt quin coram tribus vel quatuor testibus Novitii vota sua emittant. Strictius quidem P. Oliverius hæc verba intellexerat, sed P. Natalis, in Scholiis, contrarium docet. « Non erit, ait, abs re, si cum primum ita vota emittunt in corde, simul ex scripto ea legant coram tribus aut quatuor fratribus privatim. » (Schol. in Declar. Const., p. III, c. I, ad v. *in secreto animi*.) Eodem sensu responsum fuit 1617 *(a)*.

P. Claudius (1582) respondit his verbis nihil addi præcedentibus : sine solemnitate.

Hæc deinceps singulis semestribus renovantur ab omnibus 66
simul qui ea emiserunt, eodem ordine ac vota post biennium (Cst., V, IV, 6), seorsim tamen a Scholasticis. (R. M. N., 55. — C. G., II, 14; — IV, 62.)[1]

[1] Renovant clara voce, præsentibus solis Novitiis renovantibus. Ita *(a)* 1568, 1606, 1627 ; quamvis antea *(a)* 1567 fuerit responsum posse adesse Novitii non renovantes. Nil prohibet quominus inter renovantes sit aliquis qui vota (devotionalia) prima vice emittat. (*a.* 1582.) Debet fieri Renovatio hæc in Missa, eodem ordine quo inter Scholasticos. (*a.* 1586.) Non est necesse ut præmittatur triduana recollectio. (*a.* 1627.)

CAPUT SEXTUM

DE MAGISTRO NOVITIORUM

67 Ad recte instituendos Novitios eligendus est vir fidelis et in spiritualibus versatus, qui hoc munus summi esse momenti intelligat, et ad id aptius in dies implendum propriæ perfectioni diligenter studeat. (Cst., III, 1, 12, K. — R. M. N., 1, 2, 8.)

Hic, in domibus Probationis separatis, omnibus Rectorum juribus potietur, exceptis iis qui novitiatui non conveniunt (R. M. N., 3)[1]; in cæteris Rectori seu Præposito subordinatus erit, non autem Ministro. (Ib., 5.)[2]

[1] Magister Novitiorum, in domo separata cui præest, cum in regula 3ª facultates Rectorum habere dicatur, habet etiam facultatem ad contrahendum. (*a.* 1649.)

[2] Magister Novitiorum, distinctus a Rectore, cubiculum clausum habere potest, item sigillum pro novitiorum litteris, et aliquam pro ipsis pecuniam dummodo de illa rationem reddat Provinciali (*a.* 1632, 1637). Ordinarie expedit ut cura litterarum Novitiorum permittatur Magistro (*a.* 1585).

De concurrente auctoritate Rectoris et Magistri, cf. Litt. P. Roothaan ad Provincialem Lugdun., 31 januar. 1852 (apud Montrouzier, *Comp. Instit.*, c. XIV, a. 3, et apud Mélot, *De Ordinibus Congregationibusque religiosis* n. 81); juxta quas Magister Rectori quidem subjicitur, nec nisi, eo probante, Novitios admittere aut dimittere potest, eos ad locutorium aut ad invisendos parentes mittere; aut Sacerdotibus Novitiis ministeria extra Novitiatum committere. « Il est soumis au Recteur, en un mot, ut ait P. Roothaan, pour tout ce qui est extérieur au noviciat. » Imo potest Rector, quoque semestri, per se vel per alium recipere rationem conscientiæ; attamen « en général, il conviendra qu'il laisse ce soin au P. Maître. » At subjungit : « Il ne serait cependant pas exact de dire que, pour ce qui concerne l'intérieur du noviciat, le P. Maître n'est pas plus que le Préfet des études ou des classes, par rapport

à ses fonctions. La formation des novices est, en effet, immédiatement confiée au P. Maître. Le P. Provincial lui-même doit faire grand cas de son jugement, quand il s'agit du renvoi d'un sujet. C'est le P. Maître qui fixe le temps et pour chaque individu la mesure des expériments. Aussi le P. Recteur excéderait-il ses pouvoirs, s'il disposait des Pères ou des Scholastiques novices pour la prédication ou les autres œuvres du sixième expériment sans l'avis du P. Maître ou contrairement à cet avis. Ainsi encore, le P. Ministre ne doit-il pas, sans s'être préalablement concerté avec le P. Maître, employer à un office quelconque tel F. Coadjuteur novice plutôt que tel autre... Mais le P. Maître ne peut pas non plus régler, sans le consentement du P. Recteur, ce qui, dans ces expériments, se fait hors du noviciat. » — « Si negotium aliquod occurrat paulo gravius, (Magister) conferat cum Rectore » (*a.* 1585).

Magistri erit pœnitentias, in novitiatu, Novitiis imponere (Ib., 6)[1]; 68
eorum confessiones audire, etiamsi sit Superior; eosque a reservatis casibus absolvere, nisi aliter Superiori videretur (Ib., 7)[2]; eos docere quomodo interius et exterius se habere debeant; eos ipsis libros legendos tradere qui Instituto nostro conveniunt (Ib., 8); regularum explicationem intra biennium ipsis tradere, et exhortationibus ad movendum aptis eos ad perfectionem excitare. (Ib., 44, 46.)[3]

[1] Pœnitentias ex devotione Novitiis Magister concedit (*a.* 1585). Alias vero satius est a Ministro injungi (*a.* 1581, 1585). Quod de Ministro idem tene de Socio Magistri, juxta Superioris aut Magistri præscripta. (Reg. Soc., M. 10.) Magister enim « cum ipsis esse debeat tanquam nutrix et mater, non deberet exercere in publicum rigorem, ut foveat in eis affectum amoris et confidentiæ » (*a.* 1581). Et addit P. Generalis (Aquaviva) : « Sed convenit ut Minister, dum alicujus momenti pœnitentiam injungit, prius conferat cum Magistro Novitiorum qui novit omnium dispositiones pro illo tempore » (*a*).

[2] At si non sit simul Rector, attendat responsum fuisse de Instructore Tertiæ Probationis, in eodem casu, eum non posse delegare alteri hanc facultatem (*a.* 1622, 1656).

[3] Concessum est olim Provinciæ Lusit., id quod in romano novitiatu in usu erat, ut scil, quatuor mensibus æstivis, a Junio ad septembrem dimidia tantum pars consueti temporis conferentiis, exhortationibus et repetitionibus impenderetur (*b.* ††, 1571).

Ita vero amanter et discrete cum eis aget ut ad eum in suis 69
tentationibus sponte confugiant, et sinceritate qua ei sua omnia

detegunt eos omnes penitus perspectos habere possit (Ib., 47), ad quod juvabit maxime frequenter sigillatim cum unoquoque agere et rerum suarum rationem suaviter exigere. (Ib.)

In suo officio adjuvabitur a socio sacerdote cujus est præcipue curare de externa Novitiorum institutione et de his qui in prima probatione versantur; et a Fratre manuductore Novitiorum Coadjutorum. (Ib., 4. — C. G., XII, 56.) Ii non subsunt Ministro [1].

[1] Socius Magistri Novitiorum et manuductor soli Magistro, in iis quæ ad suum officium pertinent, subjecti sunt; sed quoad cætera a Ministro pendent (*a.* 1602, 1612, 1629). Regulæ vero socii (reg. 2), postea jussu C. G., XII, 56, confectæ (i. e. non ante annum 1682), simpliciter statuunt « subordinetur Rectori, non etiam Ministro. » Et reg. 5, M. N. « Non erit (Magister) sub obedientia Ministri, sicut nec ejus Socius. » De manuductore tacent. — Socio Constitutiones non faciunt copiam nec proprii sigilli nec clausi cubiculi (*a.* 1641). — Visum est non expedire Socium esse simul Ministrum; nec Ministrum esse veteranorum confessarium (*a.* 1612, ex S. P. Borgia, 1565).

Potest aliquando, sed plerumque non expedit, ut aliquis ex humilioribus sacerdotibus, si id libens admittat, fiat manuductor (1637).

70 Ad Generalem scribet, ex Europa, tertio quoque mense, ex America bis in anno, ex Indiis semel, et quoties necessitas urgebit, ea potissimum indicando quibus Provincialis admonitus non providit. (Form. Scrib., 7, 8, 9.) Ad ipsum quoque Provincialem scribet ad minimum sexto quoque mense (*Practica*, c. II, n. 3), de iis maxime qui nostro Instituto inutiles videntur [1]; et sub finem biennii quid de singulis sentiat aperiet. (R. M. N., 56, 57.) Apud Provincialem vero judicium Magistri Novitiorum magni ponderis erit, speciatim ubi de alicujus novitii dimissione agetur. (Ins., VI, 2.) [2]

[1] Expedit ut inepti tempore probationis dimittantur. « Experientia enim ostendit quod tunc non fit, postea in collegiis majori cum dedecore Deique Domini Nostri obsequii detrimento, faciendum esse. » (PP. GG. Selectæ epistolæ et documenta, l. c, c. II, n. 10. — Libellus ille iterum editus fuit a Provincia Lugdunensi.)

[2] « Cum de Novitii dimissione agitur, Magister consultationi interesse debet, cum ejus sit Superior, omnemque optime cujusque statum novit et de eo informare potest. Quia tamen simul est confessarius, et notitia, per con-

fessionem habita uti non potest, hoc ipsum priusquam in consultatione veniat, expendendum illi est, cavendumque ne ex ea notitia, sed ex aliis quæ extra confessionem vidit, observavit, sententiam suam dicat » (*a.* 1601, i. e. P. Claudius).

SCHOLION I

DE ORDINANDIS NOVITIIS

Duplex distinguenda quæstio :

I. — *In genere quoad quemlibet ordinem.* — Utrum possint 71
Novitii nostri dimitti ad ordines non sacros per Societatem, haud secus ac scholastici approbati, i. e. ad quemlibet Antistitem, extra tempora, haud servatis interstitiis. Qua de re *dubitat* Sanchez. (l. IV, *In dec.*, c. XXXIX, n. 19.) Et responsum revera fuit eos non posse promoveri ad ordines, etiam minores, « cum plene nondum sint Nostri » (*a.* 1589, 1590), ubi allegatur Sanchez, l. c. Proprius autem Episcopus in casu est, juxta Suarez, loci novitiatus; juxta alios, prioris domicilii (Bouix, *De jure Regul.*, t. I, p. 599); cui addas, si datur, Episcopus originis aut beneficii, juxta ea quæ habent DD., l. I, Decret., t. XIII. Hactenus de priori sententia. At multi alii tenent etiam in hac re Novitios participare privilegium nostrum, cum Novitii in favorabilibus participant in genere privilegia Religionis, neque a privilegio de quo nunc in specie sint exclusi. (Cf. Lacroix, l. VI, p. 2, n. 2237.)

II. — *Quoad subdiaconatum in specie,* utrum possit ordinari Novitius ad titulum *paupertatis* ? Et respondendum negative, cum sive ex natura rei sive ex his quæ expresse requirit Gregorius XIII (*Ex Sedis Apostolicæ,* 1573) et Gregorius XIV (*Ecclesiæ Catholicæ,* 1591) a tali privilegio excluduntur qui tria vota Religionis non emiserunt.

Imo post decretum S. C. Episcoporum et Regularium *Auctis admodum,* 4 nov. 1892, requiritur ut dimissi *ad ordines sacros* triennium post vota biennii peregerint et, præmisso regulari stu-

diorum curriculo per tempus in eodem decreto constitutum, Sacræ Theologiæ operam dederint. (Cf. litt. A. R. P. Martin, 11 maii 1893.)

SCHOLION II

VARIA RESPONSA

72 **I. — Circa Novitios universim.** — 1° Novitii plenariam indulgentiam lucrantur, die qua religiosum habitum vestiunt, ex Concessione Pauli V (23 maii 1606) omnibus religiosis ordinibus. Id etiam ex rei natura esse censet Lancisius. (Opusc. v, 3, 21.)

2° Privilegia ordinis Novitiis communicari existimat Pellizari (Tr. II, c. VII, 9, 1) cum multis gravibus theologis, saltem in favorabilibus, et cf. Comp. Priv. 92.

3° Prænomina Novitiorum ethnica secundum consuetudinem plerumque mutantur. — Unum generatim prænomen retinendum est. Cognomina minus decentia, vel abbreviantur, etc... vel eorum loco nomen patris (in genitivo casu) aut patriæ ponitur.

4° « Privatæ inter aliquos novitios sive congregationes, sive confæderationes, institutæ ad augendum studium mortificationis, aut promovenda colloquia spiritualia omnino sunt prohibenda » (*a.* 1657).

5° Non permittendum est ut Novitii prandia faciant die ingressus vel votorum (*a.* 1640). Si quid eleemosynæ eo nomine offeratur, in domesticos usus convertatur (*a.* 1650).

6° Non sinantur Novitii canere in choro permixti cum sæcularibus (*a.* 1647-1657), neque in templo cum externis eant (*a.* 1641). Possunt tamen mitti ad externos qui in domo faciunt *Exercitia* tempore recreationis (*a.* 1620).

7° Novitii Sacerdotes in mensa cæteris sacerdotibus permixti sedeant (*a.* 1584). Quoad cætera, tractentur fere sicut alii Novitii (*a.* 1590).

8° Ad tollendum scrupulum utrum Novitiorum vota tempore probationis suspensa maneant, magister utatur facultate nobis concessa et mutet illa vota in exercitia religionis (*a.* 1587).

II. — **Quoad Novitios Coadjutores.** — 1° Non danda sunt ipsis 73
officia quæ requirunt conversationem cum externis : ut Janitoris, Sacristæ, Procuratoris. (*a.* 1565-1587. — R. M. N. 53. — Ins. IV.) Non adjungantur Patribus exeuntibus ad officia (*a.* 1565), nec ad hospitalia (*a.* 1616), nec soli ad peregrinationem mittendi sunt (*a.* 1568).

2° Non admittantur nimis juvenes, quia talium valetudo facile læditur (*a.* 1590).

3° Non expedit habere separatum Coadjutorum Novitiatum aut locum pro eorum institutione tantum, quia sic segregati minus animis coalescerent, nec multum proficerent. (*a.* 1582.) Id tamen in Algeria permissum est, ea tamen lege ut verum esset tyrocinium (*f.* 8 jun. 1844).

4° Qui ad Collegia mittuntur, cum junioribus vivere debent, non vero post expletum biennium (*a.* 1614).

5° Expleto biennio, examinandi sunt examine communi Novitiorum (1581).

6° Vota sua nuncupare debent seorsim, sicut Scholastici, non cum Coadjutoribus qui renovant. Post prima vota appellantur simpliciter Coadjutores; vel cum addito formati (*a.* 1584). Quædam alia cf. infra, P. III, c. XI, et sqq. ubi de coadjutoribus.

III. — **Quoad Novitiorum dimissionem.** — 1° Qui Novitiatus 74
tempore in morbum incidit unde Societati ineptus fit, si id eveniat ob labores extraordinarios ipsi impositos et exire nolit, retinendus est; secus si ex aliis causis, puta ex ordinariis laboribus, morbus oriatur. (*a.* 1586-1587. — C. G. V, 50, 3.)

2° Novitius qui ad Collegia missus ineptus apparet, inde dimittendus est; non ad Novitiatum remittendus (*a.* 1596). Verum minime expedit Novitium in vocatione vacillantem ad Collegia mittere experimenti causa (*f.* P. A., 31 aug. 1830).

3° Satius est ordinarie dimitti Novitium Scholasticum minus aptum quam permittere ut Coadjutor fiat (*a.* 1657). Similiter non expedit ut ob talenta in ipso agnita Coadjutor admittatur in Scholasticum (*a.* 1594) etsi id aliquando concessum fuerit (*a.* 1624).

4° Facultas Novitios dimittendi ad Provincialem pertinet, qui eam Magistro Novitiorum communicare poterit cum ea limitatione quam utilem judicabit (*a.* 1590). Cf. R. Prov. 40, 41. — At qui a Generali in provinciam destinati sunt, aut de Societate peculiariter meriti sunt, non debent dimitti (nisi urgeant causæ graves) inconsulto Generali. — Attamen « Magister novitiorum potest dimittere novitium male se gerentem non exspectato responso (Provincialis), eo fere modo quo potest Provincialis Scholasticum ante responsum Generalis, juxta Reg. 41 Prov.; multo magis si Novitius importune urgeat, quia tunc utitur jure suo nec invitus est retinendus. Quod si ipse non urgeat et res patiatur moram, consulendus omnino Provincialis. » (Rhen. Sup., 1649, apud Oswald. n. 92.)

5° In Novitios quos ad aliam Provinciam educandos misit Provincialis suam jurisdictionem eatenus servat quatenus absque novo examine recipi debent, nec nisi ipso præmonito et de causis dimissionis certiore facto, dimitti possunt, exceptis casibus extraordinariis. Hic cum Magistro circa eos litterarum commercium habere, eos visitare, et ubis opus est revocare potest, admonito tamen hujus provinciæ Præposito, aut Generali (*f.* P. A., 11 nov. 1830). Ejus approbatio necessaria est ut hi Novitii ad vota admittantur (*d.* 30 sept. 1852).

6° Novitii dimissi in catalogo inter dimissos ponantur (*a.* 1620).

7° Generatim expedit ut in singulis Provinciis unus sit novitiatus, isque bene fundatus (*b.* ††, 1625).

PARS SECUNDA

De materia votorum in Societate.

CAPUT PRIMUM

DE MATERIA PAUPERTATIS EX VOTO

Hujus voti materia, quoad elementum quod invenitur in quolibet paupertatis voto in Societate, est spoliatio omnis independentis dispositionis rerum materialium. (Cst., III, I, 7, 8.) 75

Peccatur ergo contra votum :

1° Accipiendo aliquid in usum proprium ; quod maxime inhibetur Confessariis principum et aliis Confessariis, Missionariis, Confessoribus, Præceptoribus ; et hæc prohibitio cognatos maxime respicit. Nec Superior licentiam ad id dare potest[1]. (Cst. IV, XV, 4. — C. G., VI, 21. — Or., IV, 9. — C. G., XVI, 27; — XII, 43; — XX, 7, 3.) Sed Superiores omnia quæ ad vitam communem pertinent omnibus suppeditare debent. (C. G., XXII, 26.)

[1] Verba illa can. 7, congr., VI, c. IV, Ord. Gener. n. 9. « *Neque Superiores ad eam rem ullam facultatem concedere possunt*, » intelligenda sunt de facultate generali (*a.* 1633). « Instructio, c. IV, monitorum, n. 9, ex decr. 21 Congr. VI, vetans ne Superior det facultatem confessariis etiam Principum

accipiendi aliquid ad usum propium. intelligitur de facultate generali » (*a.* 1628).

Etiamsi quis ex aliena provincia esset, nihil posset absque Superioris domus quam incolit licentia accipere, et id ad suam Provinciam quam citissime mittendum esset (1610). Facultas dandi quidlibet non extenditur ad tempus mortis, ita ut liceat alicui Nostrorum de suis reculis per testamentum disponere (1661).

« Quantitas ad quam accipiendam Superior localis possit dare facultatem non videtur determinanda. In dubiis consulat Provincialem vel Generalem. Non potest autem ulli dare facultatem disponendi de parte hæreditatis : nam de fructibus pertinet ad Provincialem, de capitali ad Generalem » (*a.* 1647). Quoad priorem partem idem responsum de Provincialibus « circa quantitatem acceptionis aut donationis » et additum « cauti et parci sint, et in dubiis recurrant ad Generalem » (*a.* 1647).

76 2° Utendo aliqua re velut propria[1]. (Cst., III, I, 7, 8.) Utque omnis proprietatis species tollatur, prohibetur *vi regulæ* ne quisquam aliquid obseratum habeat. (Cst., IV, X, 5, D. — Reg. comm. 11.)[2] *Vi quoque regulæ* prohibetur ne in libris scribatur *ad usum* aut asportentur. (Cst. IV, VI, 7. — Or., IV, 15.) Poterunt tamen cum licentia circumferri Constitutionum Summarium, Imitatio Christi aut aliquis similis libellus, breviarium, diurnale et, pro aliquibus, bibliorum exemplar, summula casuum et his similes. (Ins., I.)[3]

[1] Juxta Suarezium contra votum paupertatis est acceptio, vel retentio, vel usus alicujus rei sine Superioris licentia aut expressa ; aut tacita, quæ scilicet « virtualiter continetur in aliquo actu expresso ; » aut saltem præsumpta, nempe quæ de præsenti non existit, sed « probabiliter creditur futura fuisse si Superior conveniretur. » Et putat eximius Doctor præsumptam, ad votum quod pertinet, probabiliter sufficere, etiamsi Superior adiri possit. Ne tamen in præsumptione licentiæ sit hallucinationis periculum cf. P. Oswald, n. 608.

Signa vero retentionis indebitæ hæc affert. 1° Si quis retinet sine licentia, prout supra. 2° Si quis, occultans rem ita ut nequeat detegi mediocri diligentia, hoc facit eo animo ut res sive accepta sine licentia sufficienti, sive accepta cum licentia, a Superiori non auferatur. (*De Relig.*, l. VIII, c. XI et sqq. ubi cf. de variis casibus et in specie de licentia irrationabiliter concessa, necnon de distinctione inter peccatum contra votum paupertatis ut sic, et peccatum contra justitiam — cf. quoque Lugo, *De Justit.*, l. III, s. 7.)

Voto non putat Lacroix esse contrarium dare sine licentia sua scripta. (l. IV. n. 122, 123.) Attamen id prohibitum fuit Nostris (1577, 1583);

maxime quoad poemata et similia, quæ si sibi mutuo Magistri donent, desidia alunt et ignorantiam male tegunt (*b.* †, 1636).

[2] Usus clavium ad cubicula competit solis Superioribus, Procuratoribus, Instructoribus tertii anni, Magistris Novitiorum et Sociis Provincialis (*a.* 1625), item Ministris. (*a.* 1603.) Iis qui libros prohibitos (*a.* 1595) non quidem ad breve tempus sed *ordinarie* habent aut scripta secreta, possunt concedi scrinia clausa, ita ut Superior habeat clavem (*a.* 1632) — it. de PP. Aulicis (*a.* 1631). « Potius ferendum aliquod damnum quam inferendus privatorum clavium usus » (*a.* 1584, 1587). « Si quid diligentius custodiendum habeant, illud ad P. Ministrum deferant ad servandum, ut nihil necesse sit neque propterea expediat cubiculo serram apponere » (*a.* ad v. *Clausura.* n. 11). » Clausuræ scriniorum posthabenda quavis incommoda » (*a.* 1595). Si quibusdam permittatur clavis, alteram habeat Superior (*a.* 1595 et pluries). Qui vero ratione officii utuntur clavi, obeuntes cubiculum claudant, sed clavem tradant Superiori. » (Ibid.) Attamen Suarez, l. IV, c. VIII, non censet per se signum esse proprietatis si quis obseratas servet res quas cum licentia habet. (cf. not. præced.) Clavem vero communis januæ collegii qua utantur, neque Minister neque Rector debet habere. » (*a.* P. Claudius.)

[3] Sed ea nec vendere nec ad alium finem convertere Nostri possunt (*a.* 1597).

3° Depositam habendo, sive apud se sive apud alios, pecuniam 77
cujus dominium spectet ad alium et usus proprius et arbitrarius ad se; imo irrita esset licentia in contrarium a Superiore facta. (C. G., XVI, 35; — XII, 41.)

4° Dispensando pro libitu, etiam pias elcemosynas, quæ offerentis arbitrio relinquendæ sunt. (C. G., XVI, 35; — XII, 41.)[1] — Usus vero mittendi munuscula etiam cum facultate est corrigendus. (Ins., XIII, 5, 3.)[2]

[1] Cf. tamen P. Ciravegna, *De Paupertate, S. J.*, n. 184. At cf. quoque C. G., XVI, 21; et expende rationem cur eadem Congregatio declaret contra paupertatem esse si quis acceperit. pro missa, eleemosynam ad pios usus, ubi hæc non relinqueretur omnino offerentis arbitrio.

Minime vero permittendum ut nostri elcemosynas accipiant suo arbitrio distribuendas (*a.* 1625). Nequidem si Prælatus hanc curam nobis committere vellet (*a.* 1571). Quæ ad causas pias vel incertis pauperibus ex restitutione nobis committuntur ad nostros usus non sunt convertenda.

« Eleemosynæ applicentur in eum usum in quem sunt nobis datæ, tum quia id facere obligamur, tum quia id benefactoribus affert consolationem et alii moventur ad juvandum » (*a.* 1599). Nec prætereundum aliquando ex justitia posse nos ligare intentionem donatoris; et in genere jus permutandi

pias voluntates pertinere unice ad sanctam Sedem. (Innocent. XII, *Nuper*, 23 dec. 1697.) De executione vero earum reddere rationem Episcopo Regulares tenentur. (Cf. tamen Zitelli, Apparatus juris E[i], Romæ, 1886, p. 72, n. 10.)

[2] Superiores suis subditis dare possunt pro strena libellos (*a.* 1617). Si non subdito aliquid daretur, is a suo Superiore facultatem petet (*a.* 1625).

78 5° Ut quis licite re aliqua necessaria aut utili uti possit requiritur licentia Superioris, quæ aliquando præsumi potest, sed ratificanda est[1]. Qui contra agit peccat graviter vel leviter, prout peccarent alii si rem ejusdem valoris surriperent. (C. G., V, 50, 4. — Or., IV, 10.) Hoc peccatum, si grave sit, est reservatum. (C. G., V, 51. — Or., V.)[2] Facultates et dispensationes, in paupertate præsertim, a Superiore majori concessæ, scripto dandæ sunt, et minoribus Superioribus ostendendæ, quin tamen facultates oretenus impertitæ habendæ sint irritæ. Si facultas epistolæ includatur, hæc excluditur a lege de non ostendendis litteris Superiorum majorum. (C. G., XXIII, 39.) Superiores vero immediati possunt, nisi de hoc facta fuerit specialis dispensatio, limitare vel etiam suspendere usum facultatum suis subditis aliunde, etiam a Generali vel summo Pontifice, concessarum. (Greg., XIII. *Decet Romanum.*)

Qui vivunt in dispersione contra votum peccant, si de pecuniis quæ ipsis undequaque proveniunt, sine Superioris facultate, præter necessaria ad honestam sustentationem, disponant. Et teneantur singulis saltem annis dati et accepti rationem Provinciali vel cui ipse demandaverit, reddere ; eidemque quod superest tradere[3]. (C. G., XXIII. 42, 34.)

79 [1] Hæc maxime requiritur ut is qui discedit ex aliquo loco quædam secum asportet ; et ea omnino prius ostendere debet (*a.* 1597), non exceptis musicis scriptis (*a.* 1590). Superior aut minister inspicere debet quid proficiscentes secum asportent (*b.* †, 1606). « Constitutiones, privilegia, librum Exercitiorum, bullas sine facultate nemo secum auferat » (*a.* 1586). — « Migrantes de collegiis in collegium non ferant secum suppellectilem superfluam vel curiosam » (*a.* 1648). — « Nec remittant galeros vel pileos » (*a.* 1648).

[2] A quibusdam admittitur eam materiam ad peccatum grave requiri quæ pro filiis familias requiritur, sed *probabilius* id censet S. Alphonsus cum Lugone et Sanchezio negandum : nam religiosus eam spem hæreditatis non habet quæ causa est cur filius familias minus peccet. Insuper ob detrimentum etiam spirituale magis inviti sunt prælati quam parentes (l. IV, dub. 4, n. 24) Cf. tamen Ballerini (Gury, t. II, n. 159, not. a.). Addit ipse Lugo : « Fateor itaque religiosum non considerari omnino ut extraneum, sed ut partem illius communitatis; et ex hac parte benignius esse cum illo agendum ad designandam materiam gravem, quam cum extraneis. Hoc tamen temperandum est cum illa alia consideratione detrimenti spiritualis quod subit Religio ex vitio proprietatis, atque ex utroque capite judicandum est in singulis materiis, et juxta usum ac sensum cujusque Ordinis an Prælatus sit graviter invitus vel non. Ad quod potissimum debet considerari qualitas actionis : aliquæ enim ex se plus habent de proprietate quam aliæ, eo quod per illas magis aliquid extrahitur a communi usu quam per alias. » (*De Just.*, disp. 3, n. 172.) Et rem declarat auctor variis exemplis apud ipsum utiliter omnino expendendis. Hanc juxta varios casus prudentem æstimationem adhibet quoque Suarez. (Cf. *De Relig.*, l. VIII, c. VI, n. 13, et c. XI, n. 37 et sqq.)

[3] Cf. P. Beckx, de Sociis dispersis, 12 aug. 1860, apud Montrouzier, c. XXV, in append.) et in Instructione ejusdem ad dispersos, ita n. 6 : « Unusquisque Præpositum Provincialem vel Superiorem sibi assignatum conveniat de modo quo suæ sustentationi provideat : eique dubia proponat, si quæ occurant in materia ad votum paupertatis. » (*g.*)

CAPUT SECUNDUM

DE MATERIA PAUPERTATIS EX REGULA

80 Præter hæc quæ voto excluduntur, multa sunt quæ regula excludit. Excluditur.

1° Omnis *superfluitas*[1]. (Cst., VI, II, 11. — C. G., VII, 82, 7.) Tum quoad vestes quæ sericæ esse non debent sed humilitati, paupertati usuique regionis conformes (Cst., VI, II, 15)[2]; — tum quoad victum, in quo sanitatis et paupertatis simul ratio est habenda (Cst., VI, II, 16, N. — C. G., XII, 43. — XVI, 27. — XX, 7, 3)[3], tum quoad imagines quæ magni pretii esse non debent et reliquiaria, quæ unius aurei valorem non debent excedere. (C. G., VII, 80, 4. — Or., IV, 14.) Horologia rotata ea prohibita censenda sunt quæ sint aurea aut vulgare pretium excedant[4]. (C. G., XXII, 24.) Nostræ paupertati non congruunt duplices vestes, instrumenta itinerum et alia quæ in usu non sunt. (C. G., VII, 80, 3.)[5] In nostris domibus ædificandis paupertatis memores esse debemus, ita ut utiles, sanæ et fortes sint, non vero sumptuosæ et curiosæ ut palatia nobilium. (C. G., I, 113.)[6] Et cf. infra, P. IX, c. I.

81 [1] Utrum peccet contra *votum* Religiosus qui *de Superioris venia,* habet superflua, controvertitur. Affirmant Palao et Sanchez eo quod talis licentia sit illicita *simul* et *invalida.* Lugo putat licentiam esse validam sed peccari tamen contra votum, quia illud votum saltem in ordinibus ubi cum rigore observatur, est de *conservando statu* pauperis. (Disp. 3, S. 8, n. 31. Et cf. Giraldi, *Expos. Juris Pontif.* I., 555.)

At Suarez censet non esse contra votum quia Superior tenetur non ex voto

sed ex officio excludere superflua ; ac proinde subditus utens re cum licentia valida (quamvis illicita) non agit actum proprietatis. Per accidens tamen, ob scandalum vel periculum relaxationis, hæc superfluitas graviter peccaminosa fieri potest. (Cf. Suarez, L. VIII, c. x, et *De Paupertate Societatis Jesu*, n. 187.)

[2] Pannus vestium non sid admodum pretiosus, licet fortasse pretisoior diutius duret : hoc propter ædificationem (*a.* 1590, 1620).

Si detur pro alicujus vestibus pannus hujusmodi, vendendus est aut pro pileis insumendus. (*a.* 1594.) Non sunt permittendæ chirothecæ extra hiemem, (Prov. Polon., *a.* 1635.) longaque itinera vel morbum, et in eis nihil sit vanitatis aut superfluæ commoditatis (*a.* 1626-1640). Nec permittendi cinguli ex reticulato opere (*a.* 1640). Imo non fuit permissus usus, vel moderatus, amyli pro collaribus indusiorum (*a.* 1619), et prohibendus nomine Generalis (*a.* 1625). Subfemoralia et subtibialia non permittenda absque necessitate (*a.* 1597).

Ne permittatur habere aves sive in cubiculis, sive in valetudinario (*a.* 1581, 1590, 1640) : Attamen ramusculis et hujusmodi aliis oblectandi sunt infirmi. (Reg. Inf. 4.) « Nullo modo permitti debet Nostris ut alant domi aves, v. g. columbas, aliaque similia privatæ recreationis gratia » (*a.* 1660).

Responsum fuit Provinciæ Franciæ non esse in potestate Generalis permittere Nostris vestes sæculares in regionibus catholicis, sed petendam licentiam a S. Sede (*a.* 1648). Ex privilegiis vicennalibus Leonis XII possunt Nostri his indui, si aliter transire aut remanere nequeunt in locis Missionum : quæ licentia tamen non communicatur nisi iis in locis ubi similem S. C. de Propagandâ Fide concedere solet. (Comp. Priv., n. 307.)

[3] Tabaci fumum per tubum haurire sub præcepto fuit olim prohibitum (*b.* †, 1750).

[4] Hæc ipsis Provincialibus et Regum Confessariis negata fuerant (*a.* 1633, 82
1646). De eadem re cf. litteras P. Beckx (*i*, 5 febr. 1860) ex quibus : 1° Superior usum horologii concedere potest quibus necessarium judicabit ; 2° Non accipiatur ab externis nisi de licentia Superioris et ad rationem vitæ communis ; 3° Proprietas est penes domum ; ergo non asportantur, nisi ex licentia Superioris peculiari de causa, aut ex dispensatione Provincialis intuitu alicujus officii.

[5] Jam vero ut ipsi paupertati consulatur, dum a consuetudine honestorum sacerdotum non recedimus, permittitur ut duplicem vestem talarem nostri sacerdotes habeant ; et præterea pro æstivo tempore vestem superiorem leviorem, saltem pro Operariis (*f.* aug. 1838). — Tolerari possunt argentea conspicilia, si ab honestis sacerdotibus passim usurpentur, et ceterorum pretium non multum excedant. (P. Substit., 7 dec. 1845.)

Paupertatem in itinerando commendabat P. Anderledy litteris 24 maii 1885. Seclusa sanitatis ratione, classes intermediæ in curribus vel navibus eligendæ, primæ vero divitibus relinquendæ. Ita et P. Beckx, 4 april. 1874.

Ratio autem dati et expensi ab itinerante Procuratori tradatur; quod denuo inculcabat P. Anderledy. Non tamen nimio rigore exigenda (1857). Itinera cum alumnis collegiorum, præsertim unius cum uno, prohibuit P. Beckx ne Nostris permittantur « nisi admodum gravi de causa, nunquam vero cum licentia vestem sæcularem induendi. Quoties vero Provincialis hæc itinera permiserit, Præpositum Generalem admonebit » (*i.* 5 febr. 1860).

[6] Ut in domorum ædificatione a religiosa simplicitate non recedatur, huic negotio præficiendus esset vir traditionum Societatis gnarus et studiosus (*f.* 25 aug. 1842). In supellectili cubiculorum, aulæ recreationis, locutoriorum, refectorii, magnam simplicitatem semper affectavit Societas, nec elegantiæ, nisi in Ecclesiis et Musæis, ullum locum dedit. Hæc regula retinenda est, et in NN. cubiculis solæ imagines papyraceæ permittendæ sunt (*f.* 28 mart. 1835). Ubi vero ab antiquo more recessum est, ad eum redeundum est (*f.* 27 aug. 1835).

83 2° Excluditur omnis *compensatio* pro ministeriis vel quovis officio[1]. (Jul. III, *Exposcit debitum.* — Ex., I, 3; — IV, 27. — Cst., IV, VII, 3; — IV, XV, 4; — IV, XVII, F; — VI, II, 7, G; — VII, IV, 4, B; — X, 5.) Vel etiam eleemosyna in compensationem. Non est determinatum an vi voti aut Constitutionum id præcipiatur[2]; sed ipsi Generali prohibetur dispensare. (C. G., V, 29.) Nec dispensatio valida esse potest. (C. G., XII, 39.)

[1] Ne quidem pro grammatica aut lectione quacumque (*a.* 1581). Imo quamvis in fundationibus dotatio non accipiatur proprie in stipendio, sed potius titulo honestæ sustentationis, nihilominus prohibuit C. G., I, *d.* 74, ne Collegii ullius dotatio admittatur cum onere dandi concionatorem aut lectorem theologiæ, — idque Constitutionum corpori inseri voluit C., IV, 7, 3; quod tamen non impedit quin admittatur Universitas cum onere prælectiones etiam theologiæ habendi (Ibid E.): est enim consequentia acceptationis ipsius Universitatis.

Est igitur discrimen inter ministeria proprie sacra uti est traditio sacræ doctrinæ (cf. DD. in l. V, Decret., t. V); et ministeria quæ ex natura sua profana sunt. Quoad priora prohibetur conditio in fundatione apposita qua directe suscipiatur obligatio (*a.* 1644, et Epit. P. II, n. 27) : et hoc ut magis « absit Societas ab omni specie remunerationis in iis quæ aliquid sacri redolere viderentur » (*a.* 1585), « pro quibus nostræ professionis proprium sit nullum temporale præmium accipere. » (Epit., l. c.) Bene vero accipi potest obligatio *ex consequenti,* ut in casu acceptæ Universitatis (*a.* 1596, 1598). Quoad posteriora autem nil impedit quin ea in fundationis limine, « conventione aliqua promittamus. » (Ibid.)

Quoad priora tamen, « potest et subinde solet Generalis mandare Nostris

ut perpetuo doceant sacras lectiones... ita ut collegium ad eas maneat obligatum non donatori vel fundatori, sed Generali mandanti ; et ratio allata fuit ista quod mandatum istud Generalis revocari possit a successore ; obligatio autem facta benefactori in contractu sit irrevocabilis » (*a.* cum CC., 1598).

In specie de Missionibus responsum fuit (26 aug. 1834) fundationem ad 84
missionarios alendos accipi posse, patere ex decr. Congr. XII ; scilicet argumento deducto. Circa quod tamen notes pluries declaratum missiones gratis faciendas; nec proinde Societatem Generalemve posse instituere redditus perpetuos ut eos missioni applicet, nec eas fundari posse vel capaces esse reddituum stabilium (*a.* 1594, 1620, 1643). Hinc nec collegia nec domus capacia esse obligationum civilium ad missiones, sed solum ex caritate, fidelitate seu mandato Præpositi Generalis (*a.* 1651) ; nullam ex contractu civili admittendam obligationem præter illam quam ipsæ Constitutiones, Superiores et studium benemerendi de salute animarum nobis imponunt (*a.* 1610, 1625, 1626, 1628, 1634). Potest tamen pecunia applicari alicui collegio cum onere ut ad censum collocetur, et ex fructu annuo fiant missiones, sustententur illi qui missiones obibunt, quicumque illi sint, et procuretur bonum missionis (*a.* 1637, 1642, 1594). Nec fortasse omittendum missiones quas acceptavit C. G., XII, prælaudato decreto 27, fundatorem Societati « juxta ejusdem leges et Institutum commissas traditasque voluisse. »

[2] Ante C. G., V, (1593), dubitabatur utrum locus Cst., VI, 7, pertineret ad materiam voti vel regulæ ; controversiam Congregatio non diremit, sed decreto 27, prohibuit ne hac in Constitutione dispensaretur. (Cf. Suarez, l. IV, c. VIII, n. 6 et sqq.) Hinc P. Claudius (1598) distinxit inter *stipendium* et *eleemosynam in compensationem,* necnon inter ministeria *sacra* et *non sacra :* notans enim formulam Instituti a Julio III probatam loqui solum de stipendiis pro ministeriis sacris, concludit esse contra regulam tantum accipere eleemosynam pro sacris, vel stipendium pro non sacris : subaudiens ubi intercesserit valida licentia, secus acceptio ipsa, ex defectu licentiæ, esset proprietaria.

Hanc facultatem, ex decreto 27, C. G., V, Superiores saltem licite dare non poterant (cf. Suarez, l. c.) : utrum valide, omne dubium sublatum est a C. G., XII, *d,* 39 (1682) ; ex quo *in praxi,* quævis stipendii eleemosynæve in compensationem acceptio fuit contra votum.

Quæ sic donantur ut conjectura fieri possit donata esse intuitu 85
ministerii, non admittenda sunt donec donans intelligat nihil nisi nomine puræ et liberæ eleemosynæ nos accipere posse. (C. G., XII, 40; — XIV, 25; — XVI, 21; — Or., I, 14.)[1] Id ipsum quod fuit expensum pro itinere exigi non debet tanquam stipendium. (C. G., XIV, 25.) Nequidem licet eleemosynam, pro *lubitu* pauperibus distribuendam, pro missa accipere. (C. G., XVI, 21.)

[1] Licitum tamen videtur dicere missam pro eo qui accepit stipendium (*a.* 1641, et cf. Sanch. l. VII, c. XXVIII,). Id confirmavit R. P. Roothaan (1841) qui tamen suasit ut id nimis facile non fieret, ne ex nostra facilitate, in implendis obligationibus segniores fiant sacerdotes. Si publice loco parochi administraretur sacramentum pro quo datur stipendium, sciat populus hoc stipendium parocho esse tribuendum.

Responsum primo fuerat a P. Claudio non posse admitti stipendia cæteris dari solita, scilicet ne titulo quidem puræ liberalitatis, maxime si a Communitatibus et Prælatis offerantur (1582) et statim post peracta ministeria. (1583.) Item P. Mutius quoad eleemosynas aliis concionatoribus eo loco dari solitas, eo quod sit signum compensationis (*a.* 1628). Et cf. Or., I, 14. Facilius accipi posse censebantur quæ post aliquod tempus, quæque a privatis offerebantur et ea etiam quæ stipendio solito longe majora aut minora erant. Secus si juxta morem patriæ esset quasi commensuratum ministerii stipendio aliis dari solito (1626). Verum ex decreto 40, C. G., XII, deducitur posse accipi eleemosynam *occasione* alicujus ministerii, dummodo non accipiatur pro ministerio. Et jam mitigatus fuerat rigor responsi P. Claudii, ut patet ex litteris P. Sotwelli Secretarii Societatis (1665). « Multos alios torsit dubium Reverentiæ Vestræ et satis stricte concepta fuit illa P. Claudii explicatio § 14. (Ea nempe qua vetatur ne accipiantur quæ intuitu ministeriorum offeruntur.) Recentiora responsa Generalium sunt aliquanto mitiora et permittunt admitti eleemosynas etiam post ministeria, quando offeruntur ex gratitudine, et præmissa, ut sæpe fit, protestatione ex parte nostra, nos non posse accipere pro compensatione aut stipendio. Ita Parisiis, verbi gratia, accipiuntur quotannis post conciones quadragesimales in variis paræciis, præmissa protestatione, eleemosynæ quæ sine intuitu ad hoc ministerium certo datæ non fuissent. Ita in domo Professa Romana, quoties Nostri navant operam in audiendis confessionibus alicujus monasterii, juxta privilegium Concilii Tridentini, solent illa monasteria mittere eleemosynas aliquas ad domum Professam. Quare illa verba in Or., I, 14, *pro compensatione vel intuitu ministerii* intelligi debent *intuitu ministerii per compensationem vel stipendium remunerandi;* et congruit decisioni seu declarationi quam invenio approbatam manu S. P. N. Ignatii qua dicebatur *ponendum esse in bulla pro Instituto non posse nos accipere pecunias seu illarum valorem pro missis nec pro administratione sacramentorum, nec pro verbo Dei vel pro aliis ministeriis, ita tamen ut nullus scrupulus relinquatur accipientibus eleemosynas post ejusmodi missas,* etc., SED NON PRO ILLIS. In hunc sensum responsum fuit 1657, 1655 — usque dum C. G. aliquid statuerit. » Statuit porro, C. G., XII, 40. (Cf. Montrouzier, c. XXV.)

86 Extat speciatim pro Gallia responsum a R. P. Joan. Roothaan, 1842. « In præsentibus rerum adjunctis, satis est ut in Gallia quocumque modo sciatur Societatem stipendia pro ministeriis non accipere. Hæc porro opinio facile obtinebit si nostri concionatores nullam ostendant sollicitudinem, sed iis quæ ipsis offeruntur contenti sunt; si in stationum delectu spes pinguioris

eemosynæ ipsos ultra modum non movet..... et æque parati sint ad pergen-
tum eo ubi nihil se accepturos certo sciunt. » (Montrouzier, l. c.)

Quibusdam factis antiqua Societatis nostræ praxis illustratur. Sic anno 1655 (*a*) cum ad domum professam Romanam non secus ac aliis communita-
bus mandata fuisset pecuniæ summa cum hoc chirographo Thesaurarii Pontificii « pro missis pro felici regimine. S. S. P. P. Alexandri VII, » non est admissa hæc pecunia, licet Missæ lectæ fuerint. Verum eodem tempore accep-
ta fuit summa scutetorum 20 ab eodem Thesaurario missa pro cereis qui in expositione 40 horarum consumpti fuerant.

Quæ identidem Novitiatui a parentibus Novitiorum donantur facilius admitti possunt, quia præsumi nequeunt in ministeriorum compensationem fari (*a.* 1614).

P. Mutius non censuit Instituto contrarium acceptare 3000 florin. ea con-
ditione « sed sine rigida obligatione, » ut missa anniversaria dicatur quo-
tannis ab uno e Nostris (*a.* 1634).

Deinceps prohibuit ne acceptaretur in Bohemia donatio sub conditione certi numeri sacrorum (1638). Permisit tamen in Germania, eodem anno, dummodo non per Nostros sed per sæcularem sacerdotem, Nostris procu-
rantibus, dicerentur » (*a*). Item si dicatur : *Rogo* ut pro me dicant tot missas, quia non est obligatio rigida (*a*) ; vel si dicatur : ut NN. orent in missis pro animæ legatoris (*a.* 1595).

Admissa etiam fuit donatio sub conditione ut Societas curam habeat fune-
ris donatoris et quot hedomadis pro ipso sacrum celebrari a sæculari sacer-
dote faciat (*a.* 1616). Sed negatum, etiam in summa necessitate Collegii Ro-
mani (*a.* 1662), et domus Professae Parisiis (*a.* 1627), accipere eleemosynas pro missis. Negatum est etiam missas dicere pro eleemosynis factis fabricæ Oratorii B. M. V. (*a.* 1650).

Hactenus de jure stricto Societatis, seclusis dispensationibus. At post re- 87
stitutam Societatem, Gregorius XVI permisit ut in exteris missionibus, Nostri missarum Stipendia accipiant ; his missionibus adnumerata fuit Colonia Alge-
rensis (*f.* 2 aug. 1845), Borboniensis et Madecassensis (29 jun. 1846 ; — mart. 1847 ; — 22 maii 1874). Hæc stipendia accipi possunt etiam ab iis qui a missionibus ad tempus redeunt (*d.* 13 dec. 1867). Imo Pius IX facultа-
tem fecit P. Generali dispensandi in regula de non accipiendis eleemosynis pro sacris ministeriis, et permittendi iis qui, durantibus præsentibus difficul-
tatibus, necessitatem patiantur, ut tales eleemosynas accipiant (10 maii 1850, cf. Instit, t. III, app. p. 23).

In his paræciis quas Societas ægre admisit, NN. missarum stipendia non secus ac jura stolæ accipiunt, at iis ad honestam sustentationem non utantur Nostri nisi in casu necessitatis, « sed in utilitatem Ecclesiæ, pauperum, scho-
larum, uno verbo in commodum parocchianorum » expendant (*f.* 14 mart. 1850).

Commendatur tamen ut missæ pro quibus stipendium datur celebrentur potius ab aliquo ex Patribus dispersis (*d.* 21 janu. 1860). Parochus tamen

et Viceparochus dispensatione a Leone XII concessa uti possunt (27 janu. 1863).

De licentia accipiendi stipendis ad sustentandos parentes in necessitate redactos, ita rescribebat P. Roothaan : « Ce que j'ai répondu pour le P. N. est pour tous. Il y a eu erreur dans la persuasion que j'eusse accordé cette faculté. Je n'ai pu la donner et ne puis pas : elle serait nulle » (*d.* 13 mart. 1834). Deinceps deprehendimus summum Pontificem dispensationem concessisse pro iis qui secus ad parentes sublevandos e Societate exire deberent ex jure naturali (*d.* 30 maii 1863; 18 mart. 1865).

Unde P. Beckx : « *En vertu d'un pouvoir général reçu du S. Père* en faveur des Nôtres dont les parents (*Genitores*) sont en grande nécessité, je vous autorise à permettre à celui des deux Pères qui a déjà fait ses vœux de recevoir des honoraires de messes. Quant à l'autre qui est encore novice, on pourrait bien le lui permettre également jusqu'à ce qu'il doive faire ses vœux; mais convient-il de recevoir dans la Compagnie ceux dont les parents ont besoin pour leur existence? Si on ne peut trouver d'autres moyens d'existence, selon notre Institut et d'après le Droit canon, il faudra plutôt le renvoyer, à moins qu'on ne trouve quelque autre moyen de secourir ses parents, ce qui serait bien préférable aussi pour le premier de ces deux Pères » (*d.* 27 aug. 1859).

88 Quoad convictus in quibus convictorum pensionibus suppletur fundatio, has, abstracta tamen de externorum retributionis quæstione[1], paupertati nostræ non repugnare definivit C. G., XXII, 43. Utrum tamen pro Nostrorum sustentatione liceat, loco fundationis, a scholaribus retributionem accipere, major pars ejusdem Congregationis (*d.* 42) opinata est affirmative respondendum, amore tamen paupertatis noluit de statu illo, ut sperandum, transeunti, fieri decretum; sed rem commisit P. Generali ut, pro sua conscientia per media Instituto conformia huic provideret. Quod et confirmavit C. G., XXIV, *d.* 18, declarans « præsentem Collegiorum statum, in quo retributiones scholarium externorum ad sustentationem Nostrorum accipiuntur, posse permitti dum talia adjuncta perduraverint. » Addit : « Omni ope nitendum erit ut, quum per rerum et temporum adjuncta licebit, Collegia nostra in pristinam et Instituto nostro magis consentaneam formam, quoad fieri possit, restituantur. » Ac proinde non tam de multiplicandis augendisque Collegiis solliciti sint Superiores, quam ut media procurent quibus Collegia jam

cceptata secundum probatam Societatis normam rite et solide onstituantur. (R. P. Martin, Ord. pro reb. temp. n. 15.)

Nulla arca in ecclesiis nostris ponatur pro eleemosynis, nec pro obis nec pro aliis. (C. G., II, 78. — Cst., VI, II, 8.)[2]

[1] Cur de uno alteroque casu diversum fuerit judicium, ea fuit forte ratio, uod convictorum pensiones maxima ex parte destinantur ad compensandas xpensas, et consequenter, etiam abstracto Magistrorum sustentandorum itulo, non stipendii sed quasi restitutionis indolem pensiones illæ induant. e cætero etiam retributiones ad magistrorum sustentationem non habendas sse ut stipendium ex Instituto prohibitum jam responderat P. Aquaviva : Potest accipi quotannis summa aliqua pecuniæ pro lectione linguæ Indicæ el grammaticæ non ut stipendium, sed in necessariam sustentationem Nostrorum » (*a.* 1591).

[2] Nequidem in sacellis sodalitatum templo nostro adnexis arca permittenda st, nisi, ex gravi causa, Generalis dispenset (*a.* 1600). Sublatus est, utpote emunerationem redolens, mos, alicubi inter alumnos nostros vigens, offeendi aliquid pro oratorio sodalitatis, absoluto philosophiæ cursu (*a.* 1589). icet tamen admittere oblationes in Ecclesia factas et impendere in usum empli (*a.* 1639). Imo in usus nostros, modo Ecclesiæ nihil desit (*a.* 1641). ecuniam pro sedibus in nostris ecclesiis accipi, ubi hic usus communiter iget, toleratur (*f.* Viv. voce, Procuratori, *qui communicavit*, 20 dec. 1838), em usus pecuniam colligendi. (Quêtes, P. A., 9 nov. 1855.)
Quoad pecunias academicas cf. infra ubi de Universitatibus.

3° Prohibentur omnia quæ *speciem* habent *negotiationis*[1]; 89
. G., II, 61) qualia sunt, conducere agros ad quæstum, vendere ructus[2], emere res ut nostra industria carius vendantur; libros uppeditatis typographo sumptibus, lucro damnove nostro vendos suscipere (nisi gravissimis de causis id P. Generalis perittat) aut in typographia nostra excusos externis vendere[3]. . G., II, 61; — VII, 84.) Scriptores vero nullum contractum um bibliopolis inire possunt absque facultate Provincialis. . G., XVI, 33.)[4]

[1] Negotiatio, inquit Lugo, l. III, p. II, n. 996, tunc fit quando quis eo nimo rem sibi comparat ut integram et non mutatam carius vendendo vel ermutando lucretur.
Quando vero emitur materia ea intentione ut, meliori forma inducta, enuo vendatur, lucri faciendi gratia, hæc dicitur industria seu artificium,

quod tunc saltem Clericis, prohibetur, cum ei plus æquo dent operam. (DD. in l. III, Decret., t. I, 50.)

Non autem prohibetur Clericis negotiatio œconomica, qua quis ex fructibus sui sive patrimonialis sive beneficialis fundi, aut ex rebus quæ ad familiæ sustentationem administrationemve emit, aliquid ex honesto motivo vendit; ut, v. g. emere animalia quæ in prædiis suis saginata vendat aut greges alere quorum lac, lanam, fœtus vendant; aut ea carius vendere quæ, prudentiæ gratia, ultra necessitatem pro se emerunt. Sed multa ex his nostra regula prohibentur, utpote quæ non solam negotiationem sed ea quæ negotiationis speciem gerunt a nobis arcet.

[2] Ex declaratione C. G., VII, 84, speciem negotiationis non habet conducere agros alienos ad administrationem nostrorum prædiorum aut animalium nostrorum *sustentationem;* nec vendere fructus agrorum aut animalia quæ ad comedenda pascua emuntur, aut ex his quæ Nostris necessaria censebantur, superflua denuo divendere.

At non licet animalia *in conductis prædiis ad hoc* saginare ut carius vendantur (1622).

Prohibitum fuit in domibus nostris aut Collegiis pharmacopolium institui, ex qua pharmaca externis vendantur, quamvis nostris Collegiis et domibus vendi possint (*a.* 1655); emere imagines aliis cum lucro vendendas (*a.* 1630); vendere vinum aut cerasiam (*bière*) minutatim, etiam per famulos, exceptis locis ubi privilegium habetur, aut etiam pars fundationis ea est; tunc enim licet etiam populos (*houblon*) et hordeum emere. Consultum tamen erit hæc diversoria aliis elocare (*a.* 1646).

Licet vero alere vaccas et oves, non autem equas ad prolem (*a.* 1587); pecora externis alenda pro medietate tradere et partem lucri accipere (1579); ligna sylvarum comburere ad cineres vendendos (*a.* 1594); ex propriarum ovium lana in propria textrina vestes conficere et vendere (1625); rerum permutationem exercere iis in terris ubi nulla est pecunia sed ejus loco fit realis commutatio (1621) aut vendere carius quæ ex errore ut necessaria empta fuerant. (C. G., VII, 84, 2.)

[3] « In utraque tamen India, partibusque septentrionalibus, pro libris piis et ad religionem spectantibus, scholarumque nostrarum, cum vel typographi desunt, vel catholici desunt, judicio P. N. rem totam committendam censuit. » C. G., VII, 84, 4. Et cf. paulo infra.

90 [4] *De vendendis libris Nostrorum scriptorum,* Cf. infra, P. IX, ubi de Scriptione librorum. De libris vero qui venduntur alumnis in collegiis nostris, cf. litter. P. Beckx, 10 junii 1860, ad Prov. Hispaniæ, circa coll. Guatemalense. In genere, ait P. N., venditio, quæ ob graves rationes in commodum alumnorum, non nostrum, suscipitur, non est consentanea Instituto, nisi notum sit, maxime parentibus alumnorum, omne lucrum in utilitatem convictorum cedere. In specie permittit ut pretio majori vendantur libri quam quo fuerunt empti, et inde fiat aliquantulum quæstus, non solum ut lucrum forte

cessans et expensæ compensentur, sed etiam detrimentum, si quod occurrat, resarciatur : at minuendum pretium, si sors ex lucro conflata sufficiat ad lacturam, quæ accidere posset, reparandam. Quidquid vero lucri acquiritur, expendendum est in præmia et alias res alumnis proficuas nec jam pro pensione debitas.

Proprietas vero sortis ex lucro, et ipsius lucri, consideranda est ut in ceteris convictus bonis mobilibus : hinc, si, manente convictu, Nostri discedant, convictui id relinquendum; si vero convictus a NN. solvatur, a NN. asportari potest, eo quod convictus qui dissolvitur Nostrorum personis tanquam parte præcipua constat. Hac ratione et sub quibusdam conditionibus, P. N. huic collegio venditionem supradictam permittit ad decennium (*i*). Ex quibus mentem Societatis de ratione agendi, quoad pannorum et rerum usualium (*boutiques*) officinas, facile deduces. Et cf. Ordin. pro rebus temp. a R. P. Martin data 21 julii 1894, n. 42. Licet vendere res parvi momenti quibus alumni vere uti solent; at curandum ut per alium (v. g. convictorem), minime vero per Nostrum id fiat, et totum lucrum impendatur in res alumnis proficuas, nec jam pro pensione debitas (n. 42).

De pecunia collocanda, cf. litter. P. Beckx ad Prov. Lugd. 19 mart. 1858. 91
(Montrouzier, *De Instit.*, VI, c. xxiv, 6.) Ex quibus : 1° Licet census emere ad fructum legitimum ex propriis pecuniis percipiendum, non vero « eo fine ut varius postea vendantur. » Quoad titulos, quorum census, incertus pro majori vel minori lucro ex usu summæ capitalis percepto, inter socios dividendus est, « Nostri bene attendant responsum a R. P. Mutio Vitelleschio d. 16 mart. 1624, in hæc verba datum : *Est negotiatio nobis prohibita, si quis NN. præstet mercatori pecuniam ad aleam incertam quæstus et damni.* » 2° Census emptos vendere et permutare licet, ratione periculi aut damni vitandi, vel alios utiliores nec minus securos acquirendi; minime vero pro variabili ipsorum valore, ita ut ipsa hac permutatione lucrum quæratur; et multo minus « patrimonium illud pauperum, lucri gratia, velut aleam jaciendo, incertæ fortunæ committere. » Hinc præferendi census a sæculi fluctuationibus magis remoti. Non sinat autem Provincialis a Procuratore Provinciæ permutationem fieri, nisi accepta ab ipso facultate; quam, antequam concedat, ubi de summa notabili agitur, audiat CC. et, si tempus patitur, approbationem exspectet Generalis. Procurator vero Provinciæ non debet permutare censum alicui domui applicatum, inscio Superiori locali, nisi in casu urgentis inopinati periculi (*g*). In litteris vero 15 augusti 1861, observationem hujus instructionis inculcabat idem P. N., addens : « Superiores has litteras nonnunquam relegant, et præcipua saltem capita earum coram Deo serio meditentur » (*i*). Quæ inculcat A. R. P. Martin, in Ord. pro reb. temp. citat., ne « ob frequentes rerum publicarum perturbationes ac fortunæ inconstantiam, et magis adhuc ob notam hujus ætatis temeritatem..., domus nostræ, immo et Provincia ac Societas ipsa communi opprimantur ruina. » (n. 40.)

4° Prohibetur ne quis *pecuniam apud se habeat;* apud alium 92

vero nec pecuniam nec aliud quidquam de quo ad libitum disponere possit, etiamsi dominium sit penes alium. (Ex., IV, 4. — Cst., VI, II, 11. — C. G., XII, 41; — XVI, 35.)[1] Si cui vero permittitur (quod raro præsertim junioribus et Coadjutoribus temporalibus permittendum est) ut habeant pecuniam in honestos usus destinatam, apud Superiorem totius domus deponenda est[2], nec nisi cum ejus licentia ea utendum erit. (C. G., XII, 42; — XX, 7, 2.) De hac disponere potest Superior, nec subditus jus conquerendi habet, etsi eo inscio et invito fiat; nisi tamen ad certum opus hæc pecunia legitime tradita fuisset; tunc enim Superior ad alium finem nequit eam impendere. — Non permittatur ut hujusmodi deposita alantur et quasi perpetua fiant et species peculii evadant; nec ut iis quisquam ad usus mere personales aut ad victum aliaque vitæ communi necessaria utantur; nec etiam penes Provinciales vel quoscumque alios Superiores est hac in re facultatem dare. (C. G., XXII, 26.)[3]

[1] Neganda est igitur Nostris generalis potestas expendendi juxta arbitrium pecuniam acceptam in pios usus (*a.* 1625). Nec permittendum ut a pœnitentibus, maxime feminis, parentur vestes earum confessariis, multo minus ut præbeantur a consanguineis alimenta (*a.* 1585). Vestes quæ alicui offeruntur, ad commune vestiarium deferantur et Superioris arbitrio dispensentur (*a.* 1641). Generatim omnia quomodolibet acquisita a Nostris, applicanda sunt ei domui vel provinciæ in qua degunt (*a.* 1641). Prohibuit P. Mutius ne doceatur non esse contra votum esculenta vel poculenta sine facultate accipere (*a.* 1618). Ipsi Superiores non in suis cubiculis sed in cista pecuniam servent (*a.* 1646). Si quam vero in arca inferendam non putant, Provinciali in visitatione rationem de hac reddant (*a.* 1628). Cæterum hujus pecuniæ quæ etiam titulo eleemosynæ Rectoribus datur, eadem ratio est ac reliquæ pecuniæ Collegii (*a.* 1584). Ad dispensendas parvas summas (nempe infra 100 florenos) facultatem dare potest Provincialis (*a.* 1606, 1659).

« [2] Non permittenda privata deposita apud Procuratorem vel alium nisi Provincialis ex speciali causa dispenset » (*a.* 1628).

[3] Si quando gravi ex causa hujusmodi deposita permiserit Superior, expedit aliquid ex iis in alios usus impendi, ne deponentes putent id non posse fieri sine suo consenso (*a.* 1622).

Nec necesse est deponentes prænonere (*a.* 1620). Si vero deprehendatur aut serio timeatur abusus, depositum abrogandum est (*b.* † 1642). Externorum vero deposita si honeste recusari nequeant, serventur potius apud amicum quam domi nostræ (*a.* 1581).

Id tamen non esset peccatum, sed serio Nostris commendatur (1603, 1607, 1671.)

Quid proprie sit peculium cf. apud P. Oswald, n. 682 et sqq.

5° Prohibetur in virtute S. Obedientiæ *mutuo pecuniam* accipere 93
pro se vel pro aliis, etiam in pios usus expendendam, sine expressa facultate (C. G., XII, 41; — XVI, 28), aut ad lucrum collocare, sed quidquid alicui personæ obtingit permittatur arbitrio Superioris[1]. (C. G., XVI, 16.) Consideratur ut negotium prohibitum si quis præstet mercatori pecuniam ad incertam aleam quæstus vel damni. Omnibus interdicitur legatorum confidentialium exsecutio eadem plane ratione ac testamentorum : ad causam tamen majoris momenti, poterit ad tempus dispensare Generalis vel qui ab eo facultatem acceperit. (C. G., XII, 38. — Cst., VI, III, 7, D.)

6° *Pensiones* Nostris assignatæ, sive a consanguineis sive quacumque alia ratione, quantum fieri poterit, certo alicui Societatis domicilio sunt applicandæ, cujus Superior de pecuniis inde provenientibus plenam habet potestatem.

Quod si fieri id nequeat, summa integra harum pecuniarum veniat in manus potestatemque Superioris sive localis sive provincialis, arbitrio Generalis; nunquam vero ipsi subdito liber earum usus concedatur. (C. G., XII, 37.) Quod etiam de tenuibus pensionibus intelligendum est. (C. G., XIV, 14. — Or., I, 10.)[2]

[1] Rector nonnisi urgente necessitate, ad 30 vel 40 aureos, idque tantum 94
bis in anno, absque Provincialis facultate mutuari potest (1607). In majoribus tamen Collegiis potest major summa permitti (1611). Nulla regula prohibet quin Provincialis pecuniam mutuo accipiat et suo chirographo id testetur. Curarum ad incommoda multa vitanda, nihil hujusmodi faciat inconsulto Generali (*d.* P. A., 28 nov. 1868). Rector vero qui sine facultate Provincialis ob probabili causa, domum suam gravaret ad 14,000 lib. privandus esset officio et voce tum activa tum passiva (1659). Licet quidem, ad bona Collegio utilia emenda, canonem constituere, sed si constituatur hypotheca requiritur consensus Generalis (*a.* 1594). Non detur Judæis ad censum pecunia nisi id fiat ab ecclesiasticis fiat; minime vero ineantur cum eis contractus societatis (*a.* 1647).

[2] P. Claudius non permiserat ut certa pensio alicui e Nostris ea conditione assignaretur ut cum ipso de Collegio in Collegium transferretur (*a.* 1646).

Hæc prohibitio renovata est sæpe ab aliis Generalibus, speciatim a P. Oliva (1677) qui tamen declaraverat conditionem implendam esse si census fuisset admissus (1670-1671) : et exstant viginti fere responsa has pensiones ambulatorias prohibentia. Mox vero C. G. XII, auctoritate suprema, hac de re statuit (1682).

Si cui Professo legata fuerit aliqua pensio, non potest admitti nisi titulo puræ eleemosynæ, nec actio civilis competit domui in qua Professus vivit (*a.* 1648). Permissus fuit admitti, hac ratione, census annuus 2,000 libellarum, relictus cuidam Professo cum hac clausula : « Solum ad ejus res particulares » (*a.* 1663).

At jam de his pecuniis titulo pensionis aut depositi habitis « meminerint Nostri neque ipsos Superiores, etiam Provinciales aut quoscumque alios, facultatem dare posse ut quis eas (pecunias) impendat ad ea sibi comparanda quæ ad vitæ communi necessaria pertinent, vel in ullos usus mere personales et proprios adhibeat » (R. P. Martin, Ord. pro reb. temp., n. 29.)

95 7° *In ipsa eleemosynarum petitione* moderati omnino esse debemus. (Or., IV, 8.) Prohibetur ne quis suadeat alicui externo ut Nostris potius quam aliis det. Sufficit nostras necessitates explicare, definitione donatori relicta. (C. G., II, 56. — Cst., VI, II, 6.) Caveaturque ne ipsa eleemosynæ petitione præjudicium fiat ministeriorum gratuitati. (Ex., I, 3; — IV, 27. — Cst., IV, VII, 3; — IV, XVII, F; — VI, II, 6; — VII, IV, 4, B; — X, 5.) Nec licet migrare ad corrogandas eleemosynas in alienam provinciam sine illius provinciæ Præpositi venia. (C. G., XXIII, 35.)

Distributio autem eleemosynarum, præsertim mulieribus, aliena manu, quantum fieri potest, facienda est (Ins., XV, 2, 6); et ita secreto ut importunas sollicitationes nobis non attrahamus. (Ins., XII, 11.)[1]

8° *Vita communis* maximopere commendatur, perfectaque uniformitas tam superiorum cum inferioribus, quam inferiorum inter se, quoad victum, vestitum, cubiculi supellectilem et cætera. Superiores igitur, etiam Provinciales, sicut ad omnia necessaria inferioribus subministranda tenentur, ita nec debent nec possunt permittere ut hæc sibi alia quacumque via procurent. Quod vero justa de causa conceditur censendum non est vitæ communi repugnare. (Cst., VI, II, 11. — C. G., XII, 43; — XVI, 27; — XX, 7, 3. — Ins., I, 4, 6.)

[1] Pœnitenti pauperibus pecuniam dare cupienti licet nostras necessitates 96
manifestare, nullatenus tamen urgendo (*b.* †† 1584). Quod tamen statuit C. G., II, 56, « non est intelligendum de præcepto stricte sumpto sub peccato, sed solum ut seria commendatio » (*a.* 1605, 1607, 1611).

« Parmi les effets de la pauvreté, il faut aussi compter cet aveu que nous devons faire d'être nous-mêmes des pauvres qui n'ont pas de quoi donner aux autres, à moins qu'ils n'exercent la charge de supérieurs. » (*y.* P. Anderledy, 24 maii 1885.) Attamen itinerantes eleemosynas statui paupertatis nostræ convenientes erogare possunt (*a.* 1613).

Lacroix permittit præterea itinerantibus munuscula ex gratitudine dare, secundum consuetudinem. Licitum esse, ait, iis qui Romam perrexerunt pia munuscula ibi emere quæ deinceps distribuant. (L. IV, n. 122, 123.) Licentiam tamen requiri docet ad dandas res etiam parvas, non secus ac ad vestes mutuandas.

Iis qui se militibus in Flandria impendebant permissum fuit ut reciperent eleemosynas ad militum necessitates providendas (*a.* 1628). Summa 500 francorum militaribus capellanis ad hunc usum quotannis expendenda relinqui potest; sed ejus ratio ab iis exigenda est, cavendum enim maximopere ne introducantur peculia (4 jul. 1875).

Superiores possunt pro eleemosyna extraordinaria unum ex centum ex reditibus Collegii, ultra ordinarias eleemosynas, dare, dummodo ære alieno gravata domus non sit (*a.* 1646). De cætero ad Provincialem pertinet præscribere quasnam eleemosynas erogare Rector possit (R. Pr. 96), vel potius debeat, cum familiæ religiosæ modo quodam peculiari, devinciantur præcepto caritatis erga indigentes. (A. R. P. Martin, Ord. pro reb. temp., n. 30.) Oportet autem ut caritas ordinata sit : ac proinde præ cæteris Nostrorum inopiæ subveniendum est. (Ibid.)

CAPUT TERTIUM

DE PAUPERTATE RELIGIOSORUM NON FORMATORUM

97 I. — **De bonis dum conservantur.** — 1° Votum simplex paupertatis scholasticum et coadjutorem non formatum relinquit capacem *dominii directi* sive retinendi sive acquirendi (Cst., III, I, 7, F; — IV, IV, E; — VI, II, H; — C. G., I, 140) idque, inter alias causas, ut liberius inepti dimitti possint (Gregorius XIII, *Ascendente*).

2° *Administratio* tamen et *usus liber* adimitur, etiam in favorem Nostrorum, ita ut quolibet actu administrationis independentis contra votum peccetur. (Gregorius XIII; — Ex., IV, 4; — Cst., III, I, 7; — VI, II, 11, H; — C. G., V, 10, 50; — VII, 17; — X, 2; — XII, 36; — Or., IV, 17.) — Si vero ex causis gravissimis alicui hæc bonorum suorum bonorumve Societati a se donatorum administratio a Generali, qui in hac re valde difficilem se præbeat, concedatur, id non fiat nisi ad tempus et cum obligatione reddendi rationem. (C. G., XVII, 11; — R. Prov., 90.) Generatim hanc administrationem Provincialis ei committere debet qui majori fide eam tractaturus putatur. (C. G., VII, 17.) Cum vero ob temporum nostrorum adjuncta debeat sæpe dari licentia acquirendi bona ex honesta industria aut alio quocumque titulo, hæc ejus est indolis ut bonorum omnium dominium quæ post vota biennii acquiruntur, penes Religionem maneat, cui, non sibi, acquirunt religiosi; nisi hæc bona patrimonium constituant aut

ad illud ex sua natura donatorisve voluntate spectent. (C. G., XXIII, 32.)

3° Quamvis *dominii indirecti* incapaces proprie hi non sint vi voti, nihilominus vi regulæ nostræ prohibentur ne ex annuis bonorum suorum post novitiatum proventibus quidquam capitali accrescat : sed fructus tales in causas pias e Provincialis judicio impendi debent (C. G., VII, 17, 5, 6). Si tamen Provincialis aliter permitteret fieri, actus validus esset; et quamvis illicitus, id non in materia votove paupertatis. (C. G., XI, 15.)[1]

98 [1] Ita habet C. G., VII, 17. « Quando..... ultra quadriennium prorogata possessio fuerit, nullo modo ex annuis post novitiatum proventibus debet, etc... » Unde posset dubitari, quando circa finem quadriennii fit abdicatio, utrum fructus post novitiatum potuerint accrescere. At ex Reg. 90 Prov. videtur prohibitio intelligenda simpliciter de quolibet ex fructibus augmento post novitiatum.

Prima solvenda sunt debita quibus obnoxia sunt bona illa (*a.* 1633). Non possunt autem Scholastici de fructibus bonorum suorum disponere ad libitum in beneficium Collegiorum in quibus degunt, cum ex Can. 17, C. G., VII, fructus illi ex solius Provincialis judicio impendi permittuntur (*a.* 1644, 1648, 1650).

Peccaret contra paupertatem qui fructus bonorum suorum impenderet « sine licentia Superiorum », in augmentum sortis vel ex illis summam numeratæ pecuniæ cumularet (*a.* 1650). Et revera C. G., XI, 15, declaravit : « *Relicta in suo vigore paupertatis obligatione intuitu subditi bona possidentis*, nullum Provinciali per laudatum decretum in materia votove paupertatis gravamen imponi, etc. » — Dispositio vero fructuum pertinet non ad Superiorem localem sed ad Provincialem ex decr. 17, Congr. VII (*a.* 1640, 1650).

99 II. — **De bonis dum abdicantur.** — 1° Hæc bona debent abdicari post primum annum Novitiatus, si Superiores id exigant. Intra tamen novitiatum *de legitima* renunciatio non fiat absque consensu Generalis. (Ex., IV, 2, 3, 4, 5; — Cst., III, 1, 7; — Or., 1, 10.)[1]

Post novitiatum statim ac Superior judicabit (Cst., III, 1, 7; — VI, 2, H; — C. G., I, 140) et quidem intra quadriennium nisi Generalis dispenset, ob bonum commune et possessoris[2] (C. G., VII, 17, 5); verum etiam ante aut post quadriennium, si id me-

lius esse judicetur (C. G., XV, 8), dummodo possessor annum vigesimum attigerit et stabilis judicetur, nec id contra leges patrias sit (P. Prov. 86). Sed non priusquam licentiam Superioris obtinuerit (Or., IV, 17). Ne fiat ante finem quadriennii sine facultate Generalis, ubi fieret in favorem Societatis. (C. G., VII, 17; — Or., I, 10; — Epit., P. 1, n. 114.) Qui sine legitima facultate bona abdicaret, contra votum peccaret. (C. G., V, 59.)[3]

100 [1] Potest *ingressurus* Novitiatum *antea* disponere de bonis suis; id tamen non debet fieri suasu nostro (*a.* 1648). Nec permittendum ut Societati bona tunc renuntientur (*a.* 1606). *Novitii* vero abdicare se non debent nisi expleto Novitiatus tempore et cum facultate Generalis (*a.* 1635). Quod intelligendum est certo de *abdicanda legitima*, ex sup. cit. Ord., I. Quoad cætera, restringendum ad donationes in favorem Societatis suadet Responsum hoc : « Quotiescumque Novitii exuere se volunt bonis suis, eadem alicui ex domiciliis nostris applicando, petenda est facultas ; secus si externis ea donent » (*a.* 1644). Valida igitur est donatio facta, *ante ingressum*, domui probationis ; *post ingressum*, non est valida, nisi cum consensu Generalis. Idem dic de pecunia huic domui mutuo data (*a.* 1628). « Non permittendum est ut nostri candidati bona sua applicent certo Societatis domicilio ; nam tunc ea applicabimus non illi sed alteri domui : nec permittendum est jam ingressis : si aliter fiat jam declaratum est irritum esse applicationem, et illa alteri loco applicanda » (*a.* 1611).

Cæterum consensus immediati Superioris minime requiritur sive ad validitatem sive ad liceitatem ut Novitius sua bona Societati donet, *arbitrio Generalis* ea relinquendo (*a.* 1618, 1625).

Si candidatus a parentibus, etiam haud juste, adactus fuerit ad renuntiandum bonis suis, hæc renuntiatio nullo modo est revocanda post ejus ingressum, ob metum scandali (*a.* 1582).

Porro obligatio renunciandi si Superior exigat post primum annum, quam Novitius ingrediens suscipit, est non voti, sed promissionis sub conditione perseverantiæ in novitiatum et jussi Superioris. (C. G., III, 19.)

[2] Numerandum est quadriennium a primo exordio novitiatus (*a.* 1603, 1611). Si necesse videatur ultra hoc tempus differre abdicationem, causæ Provinciali scripto exponantur, qui eas cum suo et CC. judicio Generali transmittet (*a.* 1636). In visitationibus domorum, Provincialis hanc obligationem revocare debet in memoriam eorum qui ei non satisfecerunt (*a.* 1635, 1638). De praxi tamen qua hodie sæpius ad tempus instantium ultimorum votorum abdicatio differatur, Cf. Epist. S. Ignatii ad S. F. Borgiam. (*Cartas de san Ignacio*, t. V, epist. 598. — Madrid, Aguado, 1889.)

101 [3] Censet tamen Suarez, l. IV, c. VI. (Contra Molinam de justit., t. I, tract. 2, disp. 139, et Lessium, l. II de just., c. IV, dub. 5, n. 28.) hanc

dispositionem contra Superiorum voluntatem factam, utut illicitam, validam esse, cum Scholasticus de re sua disponat et aliunde nihil sit quod eam irritet in jure Societatis clare expressum ; eam tamen posse a Superiore rescindi, ob dominium Superioris in voluntatem inferioris, i. e. ex voto obedientiæ. Imo Lugo et Sanchez negant hanc ipsam irritandi potestatem. (Cf. *De Paupertate S. J.* Ciravegna n. 97.) Validitati actuum hujusmodi favet P. Mutius : « Quamvis peccent Nostri contra votum sic donando bona sua, donatio tamen est valida externis sic facta : quia ipsi sunt adhuc veri eorum domini » (*a.* 1618, 1620, 1628, 1639). Nota insuper cum P. Claudio (*a.* 1595), eadem ratione, hæc bona posse alienari absque formalitatibus pro alienatione bonorum ecclesiasticorum præscriptis. Inde quoque sequitur eum qui rem sic donatam accipit eam retinere posse donec a Superiore revocetur donatio.

Censet etiam Suarez posse absque peccato fieri testamentum, si voluntati Superioris subjiciatur ejus executio. Illud tamen deinde secuta renunciatione infirmabitur.

Ex eo vero quod voto prohibeatur abdicatio facta absque Superioris venia et quilibet usus proprietarius, Suarezius concludit similiter contra votum peccare eum qui sua bona impenderet in usus voluntati Superioris contrarios. (L. IV, cap. VI, n. 4.)

Igitur post vota simplicia, ipsa distributio et abdicatio cadit sub voto ; ita ut qui *absque facultate* abdicaret, reus esset saltem (ex modo dictis) sacrilegii. De quo cf. Suarez (l. IV, c. VI, n. 3 et 10), qui decretum Congregationis intelligit tum de profana tum de pia distributione.

2° Hæc abdicatio debet esse absoluta omnino, ita ut nulla 102
apponatur conditio ex qua spes remaneret ad sua bona redeundi (Ex., IV, 1. — C. G., VII, 17, 4. — XX, 7, 4. — Or., I, 10. — C. G., X, 2.), nec licet partem usui pio reservare qui pro lubitu semper ab eo designetur a quo fit abdicatio (C. G., XXIII, 31)[1] ; — universalis, complectens dominium bonorum, pensiones, census personales, reales, vitalitios, jusque omne ad bona sive quæ habentur sive quæ sperantur. (Cst., III, I, F.)[2] Si vero judicetur non expedire ut quis se pensionibus ecclesiasticis et censibus vere personalibus abdicet, Patris Nostri judicio, in pios usus distribuantur. (C. G., VII, 17, 4.) Cf. supra de pensionum administratione.

[1] Reprobatur stipulatio in renuntiatione inserta ut in die primitiarum sacerdotalium certa summa Collegio solvatur, ad vestiendum neomystam et

lautiores epulas celebrandas (*a.* 1606, 1643). Multo minus probatur ut renuntians sibi certam pensionem reservet. Si id fecerit, pensio pauperibus erogetur (*a.* 1611, 1625). Nec reservari debent redditus annui ad abdicantis dispositionem : et tales stipulationes pro nullis habendæ (*a.* 1633). Valet equidem, sed minime probatur renuntiatio ante ingressum facta ea conditione *si perseveret* (*a.* 1596), sed tum post emissionem votorum debet absque conditione fieri (*a.* 1646); secus esset contra Instit (*a.* 1583, 1588).

103 [2] Renuntiatio bonis futuris prius non exigebatur statim post quadriennium (*a.* 1606, 1607, 1624). Deinceps statuta est formula quæ hæc etiam bona complectitur (*a.* 1649, 1650). Potest aliquando esse difficultas ad determinandum quænam ex bonis quæ sperat religiosus valeant renuntiari. P. Roothaan (*i.* 26 junii 1847) distinguit : 1° Bona *actu* possessa; et de his potest disponi libere; 2° Bona *eventualia*, ad quæ scilicet pro nunc nullum jus habetur; et de his non est cur in renunciatione mentio fiat; 3° Bona *hæreditaria*, et his debet simpliciter renunciari. — Videtur quoque posse distingui renunciatio in favorem tertii, seu *translativa* (cf. Reiffenstuel, l. III, t. XXVI, n. 533), qua jus renunciatum transfertur in personam a renunciante designandam (huic positive religiosus confert jus); et *abdicatio simplex* qua abdicans quasi a linea possessorum se retrahit et sinit rem obvenire illi cui aliunde et defectu sui competat (huic religiosus non positive transfert jus, sed negative se habet, auferens ex parte sui impedimentum ut ei jus obveniat). Hoc posito, sic videtur posse tradi regula generalis : bona quæ sperat et ad quæ, jam, tempore renunciationis, habet jus quæsitum, religiosus renunciare potest in favorem tertii; bona quæ sperat sed ad quæ nullum adhuc habet jus, simpliciter abdicare potest. — Post vero ultima ipsius vota, Societas acquiret tum jura antea quæsita et in favorem Societatis renunciata; tum jura antea quæsita et, si forte sunt, nec renunciata nec abdicata; tum denique jura antea non quæsita, sed obvenientia, nec abdicata; *dummodo in triplici casu Societas sit horum jurium capax.* (Cf. Lugo, *De just. et jure*, d. 3, s. 9. — Et Resp. mor., l. IV, dub. 4, præsertim n. 7; et dub. 5; præsert., n. 9. — Et cf. cap. sq. cum notis ibid.)

Hinc deprehendes errare illum qui prætenderet renunciare in favorem alicujus *legatum* quod scit sibi inscribi in testamento sui amici adhuc viventis : debet enim aut legatum simpliciter abdicare, quo in casu legatum obveniret hæredi amici morientis; aut illud in instrumento renunciationis prætermittere et tunc, moriente amico, ipso jure obveniet Societati.

104 3° Pactiones cum parentibus aliisque de legitima parte potest quidem abdicans facere, non tamen antequam de conditione abdicantis et de re tota præmoneatur Generalis, et monendi erunt parentes Societatem nullum jus habere [1]. (C. G., III, 39. — IV, 65. Or., I, 10.) Cf. cap. sq. in notis.

[1] Parentes si quid titulo puræ donationis dare velint, ei domui cui voluerint dare possunt. — Si vero hæc sit pars legitimæ, inducendi sunt ad illud relinquendum Societatis arbitrio (1635). « Applicatio legitimarum Fratrum Nostrorum ad certum locum aut usum, quando offeruntur Societati, pertinet ad solum Generalem, qui tamen ex quadam convenientia ordinarie fere solet audire Provinciales provinciarum in quibus sunt sita, priusquam illas applicet, et exsecutionem illis committere. Ut autem, præter Provincialem, etiam aliorum judicia exquirantur, vel ut exsecutio aliis etiam committatur, est novitas quam pluribus de causis non putamus inducendam » (*a.* 28 aug. 1651). « Nostræ Congregationes et decreta expresse volunt applicationes ad determinatum locum bonorum a Nostris Societati datorum fieri non ab ipsis, sed a Præp. Generali (*a.* 1655). Possunt quidem Nostri, quando bona sua dant Societati exponere propensionem si quam habent, ut certo loco applicentur, et propensionis illius habuerunt mei antecessores et nos habebimus magnam rationem; sed debent tamen simpliciter applicationem permittere arbitrio Præpositi Generalis » (*a.* ibid.).

Quodnam autem Societas in legitimam Nostrorum jus habeat, cf. infra, c. sq., I.

4° Applicationem horum bonorum in hæc vel alia pia opera 105
pro sua devotione unusquisque facere potest. (Cst., III, I, 7.) Sed primo in res debitas et id quam citissime. (Ex., IV, 1.) [1]

Si quis in Societatis subsidium sua bona applicare velit, monendus est majoris perfectionis esse ut hæc relinquat Generalis arbitrio [2], qui hæc bona iis locis applicabit quæ magis egere censebit (Cst., III, I, 9. — IX, III, 6), in eadem tamen provincia in qua bona sita sunt, intelligendo nomen Provinciæ more Societatis [3] (C. G., II, 23. — III, 16); — Generalis certior fieri debet, si is qui se abdicat erga certum locum majorem propensionem experiatur. (Cst., III, I, 9, H.) [4]

Si quis alicui Societatis loco extra Provinciam sua bona applicare vellet, Societas acceptare non posset (C. G., II, 23), exceptis tamen Collegio Romano et aliis Nostrorum Seminariis, quibus applicari possunt Nostrorum bona in qualibet provincia sita. (C. G., IV, decret. ult. — C. G., VI, 8.) [5]

Nec valida erit donatio ante Generalis approbationem, qui eam ratificare poterit etiamsi donans moreretur aut Professionem

ederet antea. Non obstantibus rescriptis contrariis Præpositorum Generalium. (C. G., XI, 17.)

Monendus est igitur a Provinciali Generalis de valore bonorum et de necessitate variorum Provinciæ locorum. (R. Prov., 88.) Circa bona sic Societati donata, vitandæ sunt exactiones odiosæ. — Per procuratores externos res transigatur et eleemosynæ pauperibus oppidi distribuantur; ratio dati et accepti scripto servetur. (R. Prov., 89. — Or. I, 10.)

106 [1] Non est igitur necessario monendus Generalis si bonorum applicatio fiat bonis operibus extra Societatem (*a.* 1583); excipias : nisi in casibus superius expressis.

[2] Quod vero pensio ipsum de domo in domum sequatur constanter prohibuerunt Generales (*a.* 1606, 1621, 1643, 1641, 1639, 1633, 1631). « Est ordinatio P. Mutii ut si quis Rector aliquem e Nostris sollicitet ad applicanda bona suo potius collegio quam alteri, eo ipso omni jure ad illa careat » (*a.* 1635, i. e. P. Nickel). Non valet ulla promissio hæreditatis alicui collegio a scholasticis, etiam scripto facta; sed sola donatio inter vivos cum consensu Generalis (*a.* 1647). Is vero qui bona sua alicui Collegio dederit, quamdiu non poterit in alterius Collegii utilitatem solitis ministeriis applicari, alendus erit ab hoc Collegio (*a.* 1654).

Si quid Societati relinquatur, debet ea formula fieri dispositio aut testamentum ut detur non Generali, sed Societati ad dispositionem Generalis (1597).

Censum vitalitium Provinciæ a socio attribui nihil vetat, nullaque specialis licentia ad hoc requiritur (*f.* P. A., 23 feb. 1832). At attenta incapacitate Provinciæ ut talis ad stabiliter possidendum, in modo retinendum erit responsum anni 1651, infra in nota, n. [4].

[3] « Bona Nostrorum stabilia, vel quasi stabilia, vel pretium illorum non possunt transferri in aliam Provinciam. Mobilia vero possunt juxta rescripta Generalium; et parata pecunia, *quæ non sit pretium vel fructus bonorum stabilium* » (*a.* 1654). Aliquantisper diversum, ut videtur, responsum fuerat : « Decretum C. G., III, non intelligi de pecunia parata, *vel de fructibus* : hi enim possunt sequi aliquando personam, vel alio modo, ratione habita personarum et consulto Generali, dispensari » (*a.* 1587, 1611); sed addebatur : « Habenda est tamen ratio ædificationis Nostrorum et Externorum. » *(a.)* — E contra in resp. 1620 *(a.)* comprehensa dicebantur in decreto pecunias et census; at simul « infra summam 100 aureorum potest permitti » translatio. — Decretum sese extendit ad portiones legitimæ patrimonii (*a.* 1641); non tamen ad pecuniam paratam provenientem ex

legitima ; hæc est enim res mobilis (*a.* 1639) ; neque ad ea quæ ad alia opera pia extra Societatem donantur (*a.* 1633).

Post restitutam Societatem dubitari potest utrum, motivo legis magna saltem ex parte sublato, hujusmodi translatio adhuc sit prohibita. Verum tutius est ut nihil hac in re inconsulto Generali fiat (*d.* P. A., 2 jul. 1858).

[4] Nihil enim insciis ipsis possessoribus faciendum est, sed desiderii eorum 107
magna ratio est habenda (*a.* 1626).

Bona stabilia quæ in usus communes Provinciæ donantur, constituuntur sub potestate alicujus Collegii. — Sed fructus expenduntur arbitrio Provincialis (*a.* 1651).

[5] Hoc tamen loco « non videtur » intelligi nomine Seminarii *Novitiatus* (*a.* 1647). — Nihil impedit quominus quis bona sua, hypothecæ nomine, in favorem alicujus domus Societatis obliget (*a.* 1640), aut domum Societati oblatam vendat sine consensu Summi Pontificis (*a.* 1637). Quamvis enim ad alienanda bona ecclesiastica requiratur ejus consensus, attamen in casu bonum est *ecclesiastici*, nondum vero *ecclesiasticum*.

Renuntiatio non est absque magna ponderatione facienda, utpote quæ absolute irrevocabilis est, cujusque mutandæ ipse Generalis facultatem dare nequit (*f.* P. A., 7 sept. 1833). Jus ergo legale quod post renuntiationem NN. competit exerceri nequit nisi ad proprietatem legaliter transmittendam ad eos ad quos reapse pertinet. (*f.* P. A., sept. 1833. — Et cf. P. Roothaan, 26 jun. 1847, in sua epist. de renunciat.) Attamen qui, ante renuntiationem proprie dictam, bona sua fratri vendiderat ea conditione ut census vitalitius ei (nempe Societati) solveretur, potest, quando tempus absolute renuntiandi advenit, hunc censum, ex justa causa, v. g. in sororem indigentem transferre (*f.* 24 jul. 1836). Qui bona sua parentibus se daturum promisit, et deinceps, dubitans an hæc dispositio Evangelio satis conformis sit, pervigilio suæ professionis, rem judicio Provincialis absentis submittit, intendens dare vel pauperibus vel parentibus prout hic melius esse judicaverit, id agere valide potest (*f.* 27 jul. 1836).

5° Si quis in parentum favorem sua bona abdicare vellet, consilii 108
Evangelici meminisse debet : Da pauperibus. (Ex., IV, 1, 2. — Cst., III, I, 7, 25. — C. G., II, 23.) — Nihil nisi ex arbitrio eorum consiliariorum quos cum approbatione Superioris elegerit faciat. (Ex., IV, 3. — Cst., III, I, G.) Cavendæ tamen erunt diligenter in executione hujus regulæ sinistræ opiniones. (C. G., II, 76.)

7° Habenda est in toto hoc negotio ratio regum et potentatuum. (Cst., III, I, 9.) — Nec violanda sunt edicta regia circa extrac-

tionem pecuniarum ex suo dominio (C. G., II, 15); etiam intra eamdem Societatis Provinciam. (C. G., III, 16.)

8° Ipsa beneficia ecclesiastica ante prima vota, finito biennio, abdicanda sunt, non obstante Can. 1, C. G., I. (C. G., V, 19.)

SCHOLION

DE PAUPERTATE SOCIETATIS NON FORMATÆ

109 I. — **Collegia nostra** (sive Nostrorum sive Externorum) et Domus Probationis possunt, imo debent habere bona stabilia, reditus certos et alia jura temporalia. (Ex., I, 4. — Cst., IV, II, nn. 2, 5, 6, et E ac G. — VI, II, n. 4.) Nec ullum collegium acceptandum esset quod non fuerit necessaria fundatione dotatum. Deficiens tamen dotatio suppleri poterit tum aliis mediis tum maxime convictorum pensionibus et externorum scholarium minervalibus : quamvis omni ope nitendum sit, ut loco harum contributionum pristina forma restituatur, et ad id præsertim Superiores animum intendant. (Cst., IV, II, n. 6. — C. G., II, 27; III, 25; XX, 14; XXII, 42, 43; XXIV, 18. — R. P. Martin., Ord. pro reb. temp., 15.)

110 II. — **Inter varia Collegia**, in primis juvanda sunt Seminaria Nostrorum, et enixe commendatur Provincialibus ut omnia ad hoc tentent. (C. G., VIII, 60, 3.) Ad quod, cum licentia Generalis, hæc media adhiberi possunt : 1° Contributiones aliorum collegiorum ad normam Instituti, cum tot Scholastici ex Instituto a collegio sustentandi essent quot sunt operarii nostri ibidem inservientes. (P. Martin., l. c, n. 34, et loca Instituti ibid. alleg.) 2° Donationes ad hoc factæ. 3° Patrimonia a Nostris renunciata, necnon legata aliaque Societati relicta ut pro lubitu disponat. Et conceditur Provincialibus ut sine peculiari Generalis facultate dona hujusmodi quæ summam quinque mill. franc. non excedunt Seminario Provinciæ applicent. 4° Stipendia ministeriorum quæ

ex dispensatione S. Sedis admittuntur a Nostris sive in ipsis collegiis, sive in residentiis (ubi hæ non indigerent), sive in Seminariis Episcopalibus aliisve locis quorum Societas solam administrationem habet. Cavendo tamen ne Collegia vel Domus nimis graventur. (P. Martin, l. c, n. 34 et sqq.)

III. — **Cum sicut unumquodque Collegium Domusve Probationis, ita collectio** horum capax sit bonorum stabilium, ubi nequit haberi fundatio propria cujusque Seminarii aut Domus Probationis, summopere commendatur, ut, Generali probante, constituatur *arca Seminariorum*, quæ ab his domibus in communi possideatur et ex qua sustententur, donec rita dotatio ad tramitem Instituti haberi possit. (P. Martin., Ord. cit., n. 6, 33.) De indole et administr. hujus arcæ cf. infra ubi de bonis communibus Provinciæ. 111

IV. — **Superintendentiam bonorum Collegiorum** et administrationem habet Societas professa, ita tamen ut nil ex reditibus in suum usum convertere possit. Hanc autem curam exercet Societas per Generalem, is vero per Rectores a se constitutos. (Cst., IV, II, n. 5, et III, n. 5, X, 4.) Qua tamen ratione possint professi habitare in collegiis, cf. art. sq.

CAPUT QUARTUM

DE PAUPERTATE SOCIETATIS PROFESSÆ

112 I. — **Quoad Professos Coadjutoresve formatos seorsim sumptos.** — 1° Professos votum solemne paupertatis, et Coadjutores formatos votum idem simplex publicum, reddit incapaces omni rerum possessione et dominio. (Julius III, *Exposcit debitum*, 1550. — Ex., IV, 5.)

2° Non solum ipsi, sed ipsæ domus, ecclesiæ, collegia Societatis incapaces sunt hæreditariæ successionis quæ *ratione eorum* obveniret[1]. (Cst., VI, II, 12. — Gregorius XIII, *Ascendente Domino*, 1584.) Et jussu C. G., I, 38, expuncta est ex Constitutionibus declaratio qua dicebatur non adversaturum huic Constitutioni, si quis obtineret a S. Sede facultatem ut ipse vel domus in qua professus esset, jus haberet successionis, in usus tamen non suos, sed maxime pios expendendæ sub obedientia Generalis[2].

113 [1] Quod nequeat Societas, ratione religiosorum suorum formatorum, hæreditatem sive per testamentum sive ab intestato obvenientem adire, hoc nostræ paupertati peculiare est. Utrum vero possit saltem religiosus renunciare ante professionem in favorem Societatis hæreditati suæ, et possit Societas hæreditatem ita renunciatam, si post ultima religiosi vota obveniat, adire, dubitatur inter auctores nostros.

Sed quidquid sit de jure, id ob majorem puritatem paupertatis nostræ, juxta mentem C. G., I, 38, vetuit P. Carrafa (*a.* 1646), et P. Piccolomini (*a.* 1650), ac denuo ex consult. AA. P. Gosw. Nickel (*a.* 1656); novissime vero P. Beckx per Assistentem Galliæ, 28 jul. 1860. (Epist. P. Rubillon ad P. Studer Prov. Tolos., quam cf. gallice apud Montrouzier, c. 22, et latine apud Oswald, 2ª ed., n. 641 et sqq.); et P. Anderledy, 29 januar. 1876. (Cf. ibid., n. 644.)

At nequaquam prohibetur Societas adire *legata* suis religiosis formatis obvenientia ; nec religiosus incapax est legati, quamvis illud non sibi, sed Societati acquirat. (Cf. P. Anderledy, l. c.) Hinc subdit P. Rubillon, l. c. : « Si les parents déclarent leur volonté de *donner*, de *léguer* à leur fils religieux un capital, un viager à payer, même après les derniers vœux de celui-ci, alors, ce n'est plus en vertu du droit d'héritage détruit dans le religieux par ses derniers vœux, mais en vertu d'une *donation, legs* ou *promesse* dont il reste capable après le degré, que la Compagnie reçoit cette somme ; et tous les théologiens déclarent que l'opération est licite. »

« Il faut encore ajouter que, d'après l'Ordination générale, c. I, n. 10, 2°, nous devons déclarer à nos parents que la Compagnie n'a aucun droit à l'héritage de ses membres. La justice et la loyauté demandent que les parents sachent que le droit que nous donne la loi civile à leur héritage ne vaut plus *in foro conscientiæ* après les derniers vœux. Il faudrait que le P. Caius fît savoir à son père... que s'il veut lui assurer quelque chose après lui, il ait la bonté de consigner cette volonté ou dans ses dernières dispositions, ou dans un écrit, ou dans une simple lettre. Alors le P. Caius, pauvre de J.-C., recevra cette aumône paternelle. » Et idem P. Anderledy, resp. cit. (Oswald, n. 644), ubi ait : « In praxi si parentes adhuc superstites sunt, tum quando fit abdicatio, suaderem hunc modum : ipse abdicans, consentiente et dirigente Superiore, contrahat formaliter cum parentibus, juxta reg. et Ord., c. I, n. 10. Ista bonorum pars, quæ ex hoc contractu obsignatur ei qui facit suam abdicationem, et quæ ab eo Societati donatur, obvenit Societati vi hujus contractus non vero vi juris hæreditarii, etiam post ultima vota abdicantis ; cum hic ante ea emittenda jus suum, quod revera habebat, in Societatem transtulit. » Deficiente hujusmodi declaratione parentis, monendi erunt cohæredes de incapacitate Caii, ipsique poterunt, si placet, concedere Caio legitimam titulo *liberæ donationis*. Hæc de praxi tenenda. De quæstione tamen theoretica, Cf. *Disputatio de renunciatione in favor. Societ. facta hæreditatibus post ultima vota admissis*. Truncinii in Belgio, 1893 (auctore P. Génis).

Ex hactenus dictis nequit religiosus renunciare hæreditati in favorem 114
Societatis : utrum possit in favorem alicujus tertii, ex propositis supra, cap. III, 2, videtur negandum. (Cf. tamen Reiffenstuel, l. III, t. XXVI, n. 534, quoad jus romanum ; attendendum est utrum vi legis patriæ, renuncians habeat tempore renunciationis jus vere jam quæsitum, et quosnam actus circa hæreditatem, attenta lege, conscientia permittat.) Sinat igitur eam obvenire illi cui cederet, si tempore obvenientis hæreditatis defunctus fuisset religiosus. Ex ibidem declaratis, neque videtur posse religiosus renunciare *legatis*, etiam, si accurate loquamur, in favorem Societatis : si vult illa Societati obvenire, nil habet faciendum, quia pleno jure subintrat Societas in jura legataria religiosi formati non abdicata. Si vero non vult legata Religioni obvenire, simpliciter legata abdicet, et cedent illi cui cessissent si defunctus tunc fuisset legatarius. Præter illum aut Societatem non videtur posse dari tertius. Ex quibus deprehendes bono sensu intelligendum id quod habet

Montrouzier, c. XXII, quæs. 1. (Cf. supra, cap. III, 2, not. et Lugon. ibi alleg.)

Hactenus de obvenientibus post ultima vota. — « Eæ vero hæreditates quæ post abdicationem quidem, sed ante gradus susceptionem obveniunt, adiri possunt a NN., sed pertinent ad Societatem, nisi aliter sancitum sit in ipsa bonorum abdicatione. » (Prov. Venet., 1868.) Et revera Societas capax est adeundi hæreditatem ratione religiosi non formati; ille vero ob renunciationem non amplius sibi, sed Religioni acquirit. Intelligas renunciationem jam a P. N. confirmatam, et pro nunc effectu suo sortitam.

115 [2] Inde elucet amor Societatis erga paupertatem ut matrem diligendam; hinc tamen B. P. Ignatii provida sapientia. Similis enim huic B. P. concessioni dispensatio facta est pro Regularibus, in Belgio, a SS. PP. Leone XII (per organum Pœnitentiariæ, 1 decembris 1820) et a Leone XIII (per Congregationem Negotiorum Ecclesiasticorum extraordinariorum, 31 julii 1878).

Scilicet, cum exigat lex civilis in Belgio, ut unusquisque Regularis conservet omnimodam proprietatem bonorum suorum et fructuum, necnon jus ea administrandi, *concessit* Leo XII, « de *expressa auctoritate apostolica,* Regularibus utriusque sexus jam solemniter professis, ut ea bona acquirere, retinere et administrare, deque iis in pios honestosque usus disponere possint, non obstante paupertatis voto, dummodo cum debita a Superioribus legitimis dependentia hoc faciant. » Hinc, juxta declarationem Leonis XIII, prædictos omnes actus Regulares « valide ac licite exercuerunt et exercent, » ac proinde potuerunt et possunt « tuta conscientia, etiam cum jurejurando, asserere se voluisse ad normam legum civilium verum dominium bonorum a se possessorum acquirere, una cum jure de iis disponendi. » (Cf. textum utriusque responsi apud Bucceroni, *Enchiridion morale,* n. 153.)

Ex qua *dispensatione* valide, et sub obedientia Superiorum suorum licite, Regulares etiam solemniter professi in Belgio, bona sua personalia in vero dominio retinent et administrant. Utrum vero possit hæc concessio extendi ad bona quæ nomine Congregationis Professus forte possideret, cf. Ciravegna, *De Paupertate qq. variæ,* n. 118.

116 **II. Quoad professos collectim sumptos.** — 1° Nec in communi Professi Coadjutoresve formati i. e. Domus professæ [1], aliquid stabile stabilesve redditus habere possunt, præter ea quæ ad usum et habitationem sunt necessaria aut valde convenientia, videlicet supellectilem domesticam, librariam, ecclesiam rebus necessariis instructam, prædium rusticum pro relaxatione et pro spirituali recessu, annuos tamen redditus non producens : sed ex eleemosynis hæ domus sustentandæ sunt [2]. (Cst., VI, II, 5. — Julius III,

Exposcit.) Renuntiavit enim Societas juri possidendi in communi quod ipsi, non secus ac aliis religiosis Ordinibus, a Concilio Tridentino (sess. 25, cap. III), attributum fuerat[3]. (C. G., II, 33.)

[1] Incapacitas Societatis professæ ad possidendum deprehenditur præsertim 117
in inhabilitate Domus professæ; at aliud rei clarum exemplum habes in inhabilitate Provinciæ (Cf. infra, app., II.); ex qua forte deduces et inhabilitatem Societatis ut talis. Hæc tamen incapacitas non est simpliciter absoluta : nam Domus professa capax est possidendi ea quæ sunt saltem valde convenientia ad usum et habitationem.

[2] Non est autem necessarium ut petantur ostiatim, si sufficientes mittantur (*a.* 1611). Imo constat id non esse juxta mentem B. P. Ignatii (*a.* 1581, 1584). Et facta consultatione cum Assistentibus veteribus et novis, anno 1594, die 20 junii, ex omnium sententia resolutum fuit ne Fratres mitterentur qui panem mendicarent per Urbem cum saccis (*a*).

[3] Neque videtur posse Societas ex seipsa tale jus resumere ob votum Professorum de non relaxanda paupertate, juxta Suarez. (Tr. X, l. VI, c. VI, n. 16, 17). At, juxta eumdem, posset acceptare novam, si a Pontifice fieret, dispensationem.

2° Quoad ea quæ sunt valde convenientia Domus professæ 118
fundari possunt (C. G., III, 41); si quid præterea stabile fuerit donatum vendendum est. (Cst., VI, II, E.) Potest tamen opportunitas vendendi exspectari. — Non repugnat paupertati aliquid stabile datum aut emptum ad ecclesiam ædificandam locari, dum ædificandi commoditas se obtulerit. (C. G., VII, 51.) Nullum jus civile habent Domus professæ ad eleemosynas perpetuas, si quæ relictæ fuerint, exigendas (Cst., VI, II, 6), etsi admoneri possit is cui hoc officium incumbit, quin Societati competat actio in ipsum. (Cst., VI, II, B.) — Verba autem « *et sic in rebus similibus* » quæ leguntur in l. c. Constitutionum, C. G., XXIV (*d.* 16), declaravit hoc sensu intelligenda esse : 1° ut non solum ad fabricæ usum aliqui redditus relinqui possint, dummodo nec dispositio eorum ad Societatem pertineat, nec sit unde ei competat actio in illos, sed ad alios etiam similes fines, ut ad sacristiæ vel bibliothecæ usum, atque etiam in sustentationem; 2° ut hujusmodi eleemosynæ accipi queant, sive a domorum vel ecclesiarum

fundatoribus relinquantur, sive a quocumque alio benefactore. »

Quamdiu autem non possident ea quæ superius dicta sunt sibi licita, fas est adhibere media quibus illa sibi comparent; possunt ergo *ad hunc finem* eleemosynas colligere, retinere, administrare, easque fœnori dare aut in *titulos, obligationes*, et *actiones* mutare. Item nihil obstare videtur quominus pecuniam servent, ut ex ejus fœnore pendant gravia tributa, quæ bonis sibi propriis a gubernio imponuntur; aut quominus propriis ædibus carentes, pecuniam sepositam ad censum dent, ut ex ejus proventu locationis pretium solvant. (R. P. Martin, Ord. pro temp., 10. — C. G., VII, 51.)

3° Professorum Domus ne quidem pro fabrica aut sacristia bona immobilia possidere possunt. (Cst., VI, II, 2.) Villam quidem possunt habere (Cst., VI, II, 5); sed prohibetur ne certi inde proventus ducantur (Cst., VI, II, 5, F), etsi fructibus villæ in proprium commodum uti possint[1]. Si quid stabile ultra valorem 300 ducatorum detur Domui professæ, nec sit ejus pretium ipsi necessarium, consulendus est Generalis de modo utendi. (R. Prov. 76.)

119 [1] Scilicet prohibentur fructus qui « reddituum loco esse possint; » non autem ita intelliguntur olera quædam vel fructus qui usu consumantur. Ex villis seu vineis quas Domus professa habere potest, non debet ullus proventus duci præter fructus qui mensæ inserviunt, ut olera, poma, uvæ, etc... (*a.* 1587). Sed hæc vendi non debent, ne quidem ad solvendas expensas culturæ (*a.* 1622). « Si Societas sæcularem hominem haberet, qui hortis vel agris quos dictæ Domus habent, præesset, non esset etiam ei prohibendum ne ad privatam suam utilitatem quod videretur convenire, ex dictis, faceret : dummodo tunc nec ad domos nec ad particulares personas Societatis utilitas interim ulla perveniret. » (Cst., VI, II, F.) At « repugnat paupertati nostræ ut cultori villæ dentur in partem stipendii olera, etc. » (*a.* 1622, 1623, 1636, 1655); « aut agri pro certa pecuniæ summa annua locentur : adeoque contractus super ista cum hortulano initus est nullus. » (Ibid., 1636.) Nec potest conduci vinitor pretio vini. (*a.* 1622, ex P. Natali, Sch. in Decl., Cst., II, ad v. *Qui hortis.*) Nec potest domuscula horto annexa elocari pro pretio, nec etiam dari incolenda opifici, ut viliori pretio Domui professæ locet suam operam (*a.* 1623, 1655). Quomodo concordent hæc responsa cum l. supra c. Constitutionum, habes ex P. Natali, sch. cit. « Cum utilitas illa quam

colonus accipiet, non possit deputari in stipendium (nam is censeretur esse reditus proveniens Societati ex hortis, quod haud dubie intellexit et vitavit Declaratio (sc. F), ubi proventum hortorum aut agrorum donat colono, vel permittit in ejus privatam utilitatem, neque dixit in stipendium) fiet ut detur in eleemosynam, ut liberale donum. » Unde deducit P. Natalis, cum neque possint Domus professæ, etiam ad illis donandos, possidere redditus annuos, illam liberalitatem colono permissam non ultra sese extendere quam ad exigua usui nostro superflua. Hinc, rite ex Lacroix, non licet pacisci cum colono de medietate fructuum. (L. IV, n. 149, ubi cf. varios casus : citatur locus a Montrouzier, c. XXII, II.)

Prohibentur etiam animalia ad proventum nutrire, ut sunt qui magnum emolumentum afferunt, v. g. vaccæ ; vel alvearia unde habeatur copia mellis aut ceræ ; bene vero aliquid mellis aut ceræ potest colligi potius ad recreationem quam ad ordinarium usum (*a.* 1623, 1655) ; tot pisces ut vendi possint, vel quasi semen in piscina unde multiplicentur (*a.* 1617, 1640). Nec vendendæ arbores horti, sed in nostros usus possunt impendi (v. g. ad focum, ædium reparationem) (*a.* 1637). Conformius est paupertati non ex horti fructibus divenditis, sed aliunde, solvi census civitati, in cujus fundis ille hortus situs est (*a.* 1637). At permittuntur columbæ, gallinæ et alia domestica, « præsertim propter ægros, parvo numero » (*a.* 1615) ; pisces commodo tempore comparati, et in usum asservati (*a.* 1637). Non debent Professi nisi raro, ter aut quater in anno, ire ad vineam (1587-1628). Toleti permissum est ut decies irent, ob defectum horti in domo (*a.* 1642).

Notat Suarez (l. IV, c. IX, n. 12) præter villam posse haberi hortum Domui professæ contiguum ; nam ille se habet ut pars ipsius domus : ei applicanda quæ de villa. Hanc autem tradit Doctor regulam : in his quæ possit possidere Domus professa, quidquid non concessum est, censeri prohibitum (l. c.). Et consonat responsum : « In dubiis circa paupertatem Domus professæ, inclinandum in partem strictiorem, saltem ob reverentiam voti simplicis Professorum » (*a.* 1623).

« Perpetuus usus sub tot Generalibus, et praxis quæ est optima interpres legum satis monstrant licere Domui professæ (quando ex justa causa, alioquin...) imponere census reales super domum hortumve » (*a.* in Congr. IX).

4° Professi in suis Domibus, Collegiorum redditibus ali non 120
possunt (Cst., IV, II, 5 ; — VI, II, 3)[1] ; quamvis in ipsis Collegiis ad longum tempus habitare possint, sive ad visitandum, sive ad gubernandum, sive ad docendum, sive ad scribendum, sive ad ministeria spiritualia exercenda (Cst., IV, II, F ; — VI, II, 4, D)[2] ; ibique divertere valeant iter faciendo. (Cst., VI, II, C.) Possunt etiam, absque paupertatis detrimento, Professi iter agentes a

Rectore Collegii, modicum quid viatici aut simile accipere, ut in hujusmodi rebus parvis quæ pro nihilo reputantur, absint scrupuli inde inhumanitatis, hinc infidelitatis. (Cst., IV, II, F.) Item possunt Collegia vestitum ac viaticum supplere iis qui ad ipsa a Domibus professis mittuntur. (Cst., VI, II, D.)[3] Possunt etiam senes et infirmi in Collegiis et villis recipi (Julius III, *Sacræ religionis*).

[1] Professus qui ante Professionem bona Collegio applicavit nequit postea ex iis eleemosynam facere Domui (*a.* 1622).

[2] Non leviter peccaretur contra paupertatem, si Professi et Coadjutores formati passim et sine causa in Collegiis habitarent (*a.* 1603).

[3] Tempore Congregationis provincialis, si Domus professa, in qua celebratur, sumptus ferre nequit, licet a Rectoribus Collegiorum eleemosynas accipere (*a.* 1625).

121 Non autem possunt Collegiorum fundationes accipi cum onere censum annuum Domui professæ solvendi (C. G., VII, 50)[1], etsi possint gravari ad ædificandum templum et redditus annuos solvendos, quamdiu fabrica duraverit. (C. G., XI, 20.)[2] Non debent tamen Professi ordinarie Rectores Collegiorum esse (Cst., VI, II, 3); nec in iis absque ratione commorari; sed ubi non sufficiunt Domus professæ, monendus est Generalis. (C. G., VI, 18.)

[1] Ne quidem ad alendas lampades in templo (*a.* 1663), aut solvendos musicos (*a.* 1630). Fieri non potest, salvo paupertatis jure, ut pecunia detur ad census stabiles alicui Collegio, ex quibus deinde solvantur census vitalitii Domui professæ (*a.* 1634). Legatum annuum Domui professæ solvendum a Collegio est contra Constitutiones (*a.* 1600, 1603, 1658). Permissum fuit tamen ad decem annos (*a.* 1658). — Neque etiam fieri potest ut Domus professa Collegiis det ad censum eam pecuniæ summam, qua potuisset alios census apud amicos nonnullos exstinguere, nisi timore majoris damni : secus verissime diceretur eam habere proprios redditus (*a.* 1635). At non est contra C. G., VII, 50, si Collegium obligatum ad solvendum alicui tertio vitalitium annuum, ab illo jubeatur illud solvere Domui professæ : tunc enim proprie dat non Collegium, sed tertius (*a.* 1642). « Anno 1665 in Sept. mota quæstione in Cons. cum AA. an posset continuari solutio redditus annui a Domo prob. S. Andreæ pro alendis duabus lampadibus in Ecclesia Domus

professæ, facta jam per annos 18 bona fide, et judicatum est non posse propter dictum decretum (C. G., VII, 50) : sed nec convenire ut redditus ille eleemosynaliter quotannis detur Domui professæ a Domo probationis, quæ fuerat instituta hæres a quadam domina cum onere alendi illas duas lampades » (*a*). — « Anno 1665 Congr. Prov. Lith. postulavit a P. N. inter alia facultatem nuncupandi votum faciendæ servandæque lampadis perpetuo accensæ, ad sepulchrum S. P. N. Ignatii : responsum à P. N. de Cons. AA. posse si vellet Provincia lampadem ex voto offerre sepulcro S. P. N. Quod si deinde pro illa perpetuo alenda voluerit quotannis mittere convenientem eleemosynam, et hoc posse, sed sine ulla obligatione. Nam obligationem ad hoc suscipi a Provincia non esse conforme Instituto nostro » (*a.* 1665).

[2] « Æque repugnat Constitutionibus ut Collegium vel Novitiatus fide jubeat 122
pro Domo professa accipiente mutuam pecuniam ad censum, quam repugnat habere redditum annuum » (*a.* 1636). Domus professa non potest a Collegio accipere donum viginti aureorum, « sed consuetudo explicat per *exiguum* intelligi in Constitut. aliquid ex fructibus horti » (*a.* 1628, 1659), vel eleemosyna ex vino, etc. (*a.* 1619); non autem ex frumento quo abundat Collegium (*a.* 1624). Nec potest ædes et supellex Collegii converti in usum Domus professæ, nisi persoluto justo pretio (*a.* 1602). Permissa fuit eleemosyna sex scutatis singulis annis triennii Rectoris, « modo non inducatur consuetudo, sed interrumpatur » (*a.* 1662). Goæ permissa duodecim (*a.* 1666). Repugnat Instituto ut Præpositus Domus professæ in Collegiis colligat eleemosynas, qua de re olim exigebat juramentum S. Ignatius (*a.* 1654-1668). — Prohibentur tractationes mutuæ inter Collegium et Domum professam, at licuit invitare, semel aut bis in anno, decem aut duodecim e Collegio, et vice versa (*a.* 1628).

APPENDIX

§ I. — Varia responsa circa paupertatem Societatis Professæ

123 Ubi est simul Domus professa et Collegium, omnes eleemosynæ ad Domum professam mitti debent, et Collegii indigentiæ alio modo erit subveniendum (1624-1626). — Ubi est dubium an Domui vel Collegio legatum quid fuerit, cedat Domui (*a.* 1579). Huic dandæ sunt eleemosynæ collectæ a mendicantibus ante gradum (*a.* 1629).

Potest admitti a Domo professa eleemosyna perpetua, dummodo nullum sit ad eam jus civile (*a.* 1625). Rejecta tamen est fundatio hujusmodi eleemosynæ Goæ oblatæ, et sufficientis ad totam domum alendam, ea conditione facta ut donator titulum fundatoris haberet cum suffragiis (*a.* 1659). — Potest admitti certa summa pecuniæ pro fabrica templi, per aliquot annos solvenda (1587). Non vero fundus ex cujus redditibus construeretur ecclesia, et qui deinde venderetur (1603), etiamsi interim alteri traderetur cum conditione illum reddendi (1667). Neque potest domus donata vendi ea conditione ut, emptore mortuo, Domui professæ reddatur (*a.* 1643). Id tamen Lacroix licitum esse opinatur, si domus donata prævideatur fore aliquando utilis. Idem permittit domum donatam retineri usquedum occasio opportuna ad eam vendendam se offerat. (Lacroix, lib. IV, n. 150.) — Census vitalitii admitti nequeunt (1636), nisi hæredibus significetur nos eos

accipere posse solo titulo eleemosynæ (*a.* 1581). Alia legata graduatis facta acceptari possunt, non vero importune exigi (*a.* 1620); nec ii quibus inscripta sunt libere de illis disponere possunt (*a.* 1637).

Si fundaretur Seminarium ea conditione ut alumni in Domo professa canerent, hæc fundatio non esset admittenda (*a.* 1632); nisi jus alumnos cogendi non competat Collegio aut Domui, sed familiæ fundatoris, aut cantent in loco qui Societati non subsit (*a.* 1637). — Domus probationis fundata cum ea conditione alendi duos musicos pro Domo professa, hanc conditionem pro nulla habere debet (*a.* 1629). Aliquoties ordinatum est ut loco census perpetui qui nequit Domui professæ a Collegiis solvi, ipsa sors semel solvatur (*a.* 1603). Non est concessum Domui professæ Tolosanæ mutuam pecuniam accipere ea conditione oblatam, ut Collegium aut Novitiatus pro ea fidejuberet (*b.* † 1636).

Optandum esset ut in Gallia Domus professa statueretur; id tamen absque magna consideratione faciendum non est, ob difficultates quæ oriri possunt ex impossibilitate ullum fundum, ullumve fixum censum accipiendi (*f.* 31 decemb. 1836).

§ II. — Varia Responsa circa bona communia Provinciæ

I. — Provincia *adæquate* sumpta bonorum stabilium capax 124
non est, cum ex Professis ut principaliori parte constet (*a.* 1630, 1643, et novissime P. Beckx, 19 mart. 1859, *i*). Hinc, quamvis hæreditatem aliquam, cujus Domus professa esset capax, Provincia possit accipere; si quid stabile ipsi detur, id nequit retinere Provincia, ut talis, sed debet applicare alicui Collegio (*a.* 1644). Nec census annuos suscipere potest, nisi ea ratione qua Domui professæ id liceret (*a.* 1623, 1631). Ut igitur solvantur communes Provinciæ sumptus, aut poterit imponi variis domibus contributio communis, habita personarum ratione (*a.* 1611), et a qua non

est immunis ipsa Domus professa (*a.* 1649 et sæpe); vel assignari alicui Collegio reditus cum onere ferendi hos sumptus communes (*a.* 1603, 1642); et rursus P. Beckx, l. c. : « Si quæ sunt bona stabilia vel summæ capitales censuum ad usus communes Provinciæ donata, ea, ut sæpe a Prædecessoribus meis declaratum est, sub proprietate alicujus Collegii constituenda sunt, ea conditione ut fructus annui fideliter in hos solos usus communes Provinciæ expendantur. » Et addit quod si applicentur Seminario NN., non confundenda hæc bona erunt cum aliis bonis Seminarii.

Quod tandem sancivit C. G., XXIV, decr. suo 17, declarans : « Provinciam, proprio sensu acceptam et prout a Collegiis et Domibus suis contradistinguitur, reditus habere non posse ex bonis stabilibus, quorum dominium non sit penes Collegium aliquod... cum onere reddendi Provinciæ fructus annuos ex iisdem bonis perceptos, ad expensas communes sublevandas. » Et addebat Congregatio : « Licet autem Societas professa suis bonis ita applicatis uti non poterit ad suam sustentationem, licebit tamen Nostris, ingruente gravi necessitate, propter calamitosas rerum publicarum perturbationes, ex iisdem sustentari, si donatorum voluntas hæc fuisse præsumatur. »

125 II. — At Provincia *incomplete sumpta,* quoad nempe partem minus principalem, seu Collectio Collegiorum et Domorum probationis Provinciæ, est capax stabilis possessionis, non secus ac ipsa Collegia. Hinc, ita intellecta, poterit habere census activos et passivos (*a.* 1651). Quare anno 1675 probatum est postulatum Provinciæ Tolosanæ, quo petebatur ut ex legitimis FF. NN., quæ 500 aureos excedebant, constitueretur commune Provinciæ ærarium ad sublevandas permanentes necessitates Seminariorum et Domorum probationis; ex minoribus autem legitimis, Provincialis præsentibus necessitatibus occurreret. — Ærarium hujusmodi quod jam passim habetur, non *arca Provinciæ* (caisse de la Province), sed *arca Seminariorum* nuncupandum est (*f.* 19 dec. 1844).

Quo nomine igitur « vocamus varii generis census et reditus qui

in communi possidentur ab iis Seminariis Nostrorum quæ hujus arcæ proventu sustentantur. » (A. R. P. Martin, Ord. pro reb. temp., n. 6.) Et pari ratione haberi potest *arca fundationum*, qua fundationes sive determinatæ sive a Superioribus opportune determinandæ instituantur aut perficiantur (Ibid., n. 7); et *arca causarum piarum* ad pios fines extra Societatem (v. g. orphanotrophium), cujus ultimæ Societas non habet proprietatem sed solum administrationem. (Ibid., n. 8.)

Porro C. G., XXIII, 33, decrevit ex arca Seminarii nihil posse Provincialem in alios usus impendere, ac servandam esse Ordinationem a P. N. (Beckx) datam die 19 mart. 1859. (Et cf. A. R. P. Martin, Ord. pro reb. temp.)

Jamvero in his litteris, inculcat R. P. Beckx hanc arcam esse 126
summam a Provinciali administrandam, sed a domibus in quibus Nostri educantur, in communi possessam, et cujus proventu singulæ sustentantur. De qua hæc declarat et statuit :

1° Non licet Provinciali instituere hanc arcam ubi non existit; ubi existit, si fieri potest, res reducatur ad Instituti normam, ac proinde proponat Provincialis Generali rationem qua dividatur inter Domos (probationis) et Collegia.

2° Facta divisione, Rectoris est administrare per Procuratorem. Si quæ a singulis Procuratoribus curari commode nequeant, Procurator Provinciæ, aut deputatus, teneat rationes distinctas cujusque domus, et Rectoribus singulis rationem reddat, et redditus integros ipsis remittat ab ipsis dispensandos. (P. Martin, l. c., n. 20.)

3° Ubi nequit fieri divisio, Provincialis fixum animo teneat proprietatem arcæ nequaquam esse penes Provinciam, sed penes Domus et Collegia.

4° Nequeunt igitur hæ pecuniæ impendi in alios usus.

5° Neque in usus communes Provinciæ, aut alia opera, quantumvis pia. In exigenda contributione ad sumptus communes servetur R. Pr. 83.

6° Quamvis per se non sit vetitum ex arca pecuniam mutuam dare, nequaquam fiat absque expresso Generalis consensu.

7° Permittit P. N., ad mentem Cst., IX, III, n. 6, 7, ut possint Provinciales ea bona quæ donantur non ad finem determinatum sed pro arbitrio Societatis, si non excedunt summam mille scutatorum romanorum, applicare Seminario, aut, si huic provisum est, alii Collegio, nisi ea dona, pro occurrente quavis necessitate, ad tempus (non tamen ultra duorum annorum spatium) deposita servare maluerint. Commendat P. N. curam sufficienter fundandi Seminarium NN. Tandem ordinat ut cum catalogis triennalibus mittatur catalogus rerum Seminarii; quotannis vero status temporalis Seminarii a Provinciali examinatus et subscriptus, et ratio expensarum Provinciæ communium. (Cf. quoque litt. 15 aug. 1861.) Et iterum P. Ass. 19 oct. 1864, de ratione arcæ Seminarii quotannis Generali reddenda.

Sentit autem P. Montrouzier arcam Seminarii, ex usu Societatis, admunerari bonis immobilibus, indeque non posse alienari sine beneplacito apostolico. (Cf. auctores in l. III, Decret., t. XIII.) Et confirmat eo quod P. Beckx noluit concedere ut desumeretur ex arca aliqua pecunia non restituenda, quin res cum S. Pontifice componeretur. (Montrouzier, c. XXIV, quæs. 3.)

127 *N. B.* — Quamvis ex dictis possit Collegium aut Domus probationis jus suum possidendi exercre collective cum aliis, tamen principium est in Societate bona temporalia esse ita propria singulis Provinciis, Missionibus, Collegiis, Domibus, etc., ut ne Generali quidem fas sit ea pro arbitratu suo de Provincia in Provinciam, de Missione in Missionem, de Domo in Domum transferre, quæque unius cujusdam sunt alii donare. Diversæ Societatis partes, utpote membra moralia ejusdem familiæ religiosæ, amoris quidem vinculo inter sese colligantur, rei vero familiaris communione utantur nulla : unde sequitur justitiam commutativam inter eas lædi posse, non secus ac inter fratres germanos quorum quisque proprium patrimonium habet. (A. R. P. Martin, l. c. 4, ex Constitutionibus, III, I, et P.; IX, III, § 5; — C. G., II, 23; III, 16.)

CAPUT QUINTUM

DE PAUPERTATE RESIDENTIARUM, MISSIONUM ET QUORUMDAM PIORUM SOCIETATIS INSTITUTORUM

I. — **De Residentiis.** — Triplicis generis esse possunt. 1° *Resi-* 128
dentiæ dependentes, quæ sunt membra alicujus sive Collegii sive principalioris Residentiæ, et ab ejus Superiore pendent. 2° *Collegia inchoata* ex acceptatione Generalis. 3° *Residentiæ nudæ* seu absolutæ, quarum Superiores a solo Provinciali pendent.

Haberi insuper possunt *Residentiæ temporaneæ,* seu *Stationes,* necnon *Missiones* quatenus audiunt antiquo stylo. (De Missionibus veró *exteris*, cf. infra, n. II.)[1]

Jamvero de paupertate Residentiarum hæc statuit C. G., XXIV, d. 15 :

1° Residentiæ quæ sunt Collegia inchoata vivere possunt ex redditibus bonorum suorum[2].

2° Residentiæ quæ sunt membra alicujus Collegii aut Domus probationis horum redditibus sustentari possunt[3].

3° Reliquæ residentiæ æquiparantur Domibus professis quoad paupertatem; ideoque ea tantum habere possunt quæ licita sunt Domibus professis. (Cf. R. P. Martin, Ord. pro temp., n. 125.)[4]

Et idem de iisdem dicendum est, quando paræciam aut quasi paræciam adnexam habent, et de residentiis pure parochialibus. Quamvis enim paræcia redditus habeat, Nostri, *nisi vi dispensationis apostolicæ*, nil de redditibus percipere possunt præter honestam sustentationem, nec pro ministeriis retributiones percipere. (P. Martin, l. c.)

129 [1] De his missionibus cf. supra, caput 2[um], ubi de ministeriis non retribuendis.

[2] Hujusmodi Residentiæ bona stabilia habere possunt (*a.* 1628). Eo ipso quod stabilis esset aliqua Residentia et in spem Collegii constituta, judicata fuit independens (*a.* 1654). Non debet tamen Generalis titulum Collegii inchoati alicui Residentiæ tribuere eo solum fine ut redditus habere possit : esset prætextus quo « non satisfit conscientiæ nostræ » (*a.* 1578, 1584).

[3] Superiores harum Residentiarum, non secus ac convictuum, quæ Collegiis adnectuntur, subordinantur Rectori Collegii aut Residentiæ principalis, sicut ministri, cum ea potestate quam ipsis Rector vult concedere (*a.* 1628, 1651). — Sacra distribuuntur inter membra harum Residentiarum, quasi in Collegio essent, eademque suffragia pro ipsis fiunt a collegialibus et vicissim ab ipsis pro collegialibus (*a.* 1641).

Bona hujusmodi Residentiis donata ad Collegium pertinent et ab ipso administrantur ; sed cum onere ea impendendi in commodum Residentiæ : si quid sit superfluum potest augendæ fundationi Collegii applicari : ita tamen moderate ut nequeat Residentia conqueri deteriora ipsi relinqui aut necessaria non satis benigne suppeditari (*a.* 1628). Si bona Residentiæ tantum adscripta essent Collegio, nec illi præterea ullo modo Residentia contribueret, non posset Rector aliquid convertere in utilitatem Collegii (*a.* 1655). Si autem Residentia in Collegium converteretur, bona Collegio applicata reddenda essent (*a.* 1628). Contractus a Superioribus harum Residentiarum absque Rectoris licentia initi, sunt invalidi ac proinde, ut subsistant, debent ab eodem confirmari (*a.* 1640). Potest tamen a Rectore Superiori delegari potestatem celebrandi contractus, sicut et facultatem absolvendi a reservatis (*a.* 1652), quam non habet ordinariam (*a.* 1639, 1649) : at noluit permittere P. Nickel ut potestatem sic delegatam absens subdelegaret (*a.* 1652). Ejus officium non comprehenditur in voto simplici Professorum de non ambiendo. Si tamen subditus ipsis diceret *nolo,* incurreret casum reservatum (*a.* 1615). — Hi Superiores, si Residentiæ sunt perpetuæ, non secus ac Rectores, ad Provincialem et Generalem suis temporibus scribere debent (*a.* 1601). Nequeunt vero aperire litteras Rectoris a quo pendent ad suos subditos et vicissim (*a.* 1639).

130 [4] Statuerat C. G. VIII, 51, harum Superiores non habere jus ad Congregationem Provincialem, excepto Superiore primariæ Residentiæ in Indiis ; at res secus se haberet si ibi constituerentur repetentes nostri aut PP. tertiæ probationis (1638). Superiores tamen nudarum Residentiarum eadem auctoritate quoad forum internum potiuntur ac cæteri præpositi (*a.* 1612), et generatim eamdem potestatem habent eademque privilegia ac Rectores (*a.* 1600, 1620). — Et consonat praxis hodierna.

Jam ab anno 1594 (*a*) respondebatur non expedire multis Residentiis distrahi Societatem. Nec admittendæ censebantur Residentiæ perpetuæ, nisi vel tanquam membra alicujus Collegii vel tanquam Collegia inchoata (*a.* 1619-1628).

Si quæ proinde offerrentur quæ ad neutrum aptæ essent, modeste respuendæ censebantur aut donatoribus, per missiones, sive temporaneas residentias, satisfiebat (*a.* 1619.) Idem denuo post restitutam Societatem, quoad parvas residentias commendatum est, utpote in quibus regularis disciplina difficile vigere possit (6 aug. 1844). Attamen in civilibus perturbationibus valde utile esse potest hujusmodi parvas domus habere (*d.* 1848). Licet Provinciali, imo expedit, peritiori alicui ex Superioribus jus inspectionis dare in Superiores minorum Residentiarum, ita tamen ut ille non censeatur vice-Provincialis (*f.* nov. 1832). Illa quoque passim adhibita praxis : scilicet ut ex variis domibus minoribus, quibus respective aliquis præesset vice-Minister, componeretur, tamquam ex membris, unica Residentia cum suo Superiore. (Utrum et qua ratione hæ Residentiæ sint exemptæ, cf. infra, app. de Privilegiis, P. 2ª, a. 1.)

II. — **Missio** sive dependens a Provincia sive independens, 131
qua talis et prout a Collegiis et Domibus suis contradistinguitur, non potest retinere dominium bonorum immobilium nisi ad breve tempus, nec habere potest jus civile ad ullos redditus stabiles ex quocunque capite hi proveniant (C. G., XXIV, 17, n. 2, et P. Martin, Ord. cit., n. 5, ex Cst., IV, II, 2, 5, E; — X, 5); sed eamdem paupertatis indolem præ se fert ac Provincia qua talis. Collegia vero et Domus probationis, in Missione, eisdem juribus potiuntur ac in Provincia, indeque eorum collectio. Quare constitui potest *arca Missionis*, at eodem tantum sensu et ratione ac constituitur *arca Provinciæ*. Illi igitur applica quod supra, de hac, dictum fuit. (P. Martin, Ord. cit., n. 5, 6, 9.)

III. — **Domus Scriptorum** (excepto collegio *Civilitatis catholicæ* 132
quod speciali Pontificia Constitutione regitur) redditibus stabilibus dotatas, minime conformes esse nostris Constitutionibus declaravit C. G., XXIV, d. 19; bene vero posse Præpositum generalem concedere ut aliqui Scriptores habitent in Collegio vel in Domo aliqua applicata instar membri ipsi Collegio, ejusque redditibus utantur. Quodcumque autem lucrum ex editis scriptis proveniens, Rectori Collegii consignetur, cui integrum erit illud impendere sive ad promovenda studia aliosque usus litterarios, sive ad alium quemcumque utilem finem, prout a Provinciali

cum approbatione Generalis constitutum fuerit. (P. Martin, l. c., n. 14.)

133 IV. — **Seminaria Episcopalia aut Pontificia, Scholæ Apostolicæ et Convictus** (prout hi stylo Instituti intelliguntur), redditus stabiles habere possunt : at nisi adsint conditiones omnes quæ ad vera Societatis Collegia saltem inchoata requiruntur (quod pendet a multis circumstantiis, singulis expendendis et in dubio ad Generalem deferendis), sunt Instituta Ecclesiastica aut pia opera, quæ Societas tantum administrat, at in quorum bona jus nullum habet. Ex his Nostri nil percipere possunt, præter honestam sustentationem et si quid aliud cum fundatoribus aut patronis pactum sit, Instituto non repugnans. (P. Martin, l. c., 16.)[1]

134 V. — **Si qua collegia aut domus possidentur a Societatibus civilibus** quarum Nostri partem constituunt, aut a quodam Nostro vel etiam non Nostro coram lege civili, ea, *qua parte ad Societatem pertinent,* iisdem legibus subjiciuntur ac alia collegia et domus ejusdem generis. (Ibid.. 17.)

[1] Quæ tamen, sive ex jure communi et nostro, sive ex Indulto apostolico perciperent Nostri, hæc *Societati acquiruntur* et in eum usum adhibenda quem Generalis definiverit. De bonis enim Societatis nefas est disponere nedum in favorem Seminarii, Convictus, etc., sed ne quidem in fines Societati proprios absque licentia Superioris qui ea applicare potest. (P. Martin, Ord., pro temp., n. 37, ex Leone XIII, *Romanos Pontifices.*)

Utrum possit schola apostolica uniri Collegio ut membrum dependens indeque pro paupertate se habere fere ut Residentia dependens, cf. *De Paupertate S, J.*, n. 78 et sqq.

Utrum repugnaret Instituto pactum, quo Societas reciperet a Seminario contributionem pro sustentandis Scholasticis qui formantur, ut aliquando ibi doceant, negat Auctor operis *De Paupertate S. J.*, n. 83, sqq. Affirmaverat P. Assistens 24 maii 1853, pro Seminariis in Gallia : at forte non prætereundum quod hæc Seminaria tunc habebantur (utrum merito an immerito, non vacat quærere) ut vera Collegia. Recole dicta P. IV, c. XII, in scholio. Quod autem l. c. negat cl. Auctor Scholasticos, dum formantur, posse sustentari retributionibus Externorum, expendas velim ex n. 15 Ord. R. P. Martin, ubi asseritur posse fundationem suppleri hujusmodi minervalibus.

CAPUT SEXTUM

DE VOTO CASTITATIS

Vis hujus voti est : 1° ut quidquid aliunde contra hanc virtutem 135
peccaminosum esset, fiat præterea sacrilegium grave aut leve pro gravitate aut levitate culpæ luxuriæ in casu ; 2° ut Scholastici, Coadjutores et Professi nequeant nec licite nec valide matrimonium inire[1]. (Gregorius XIII, *Ascendente Domino.*) Imo votum solemne Professorum dirimit matrimonium jam contractum et non consummatum. (DD. l. III, Decr. t. XXXI, XXXII.)

Ad hujus virtutis, quæ viros Societatis angelis quam simillimos efficere debet, perfectionem (Cst., VI, 1, 1) conferunt sequentia :

1° *Omnia præsidia quæ ad viros spirituales* efficiendos tendunt, quæque quam valida sint, in Novitiis, quamvis ætate ac recenti seculari consuetudine debilioribus, apparet. (Or., v, 1, 2.) Ut sunt Sacramentorum frequentia, ratio conscientiæ, duplex examen, etc. (Ibid.)

2° Conferunt etiam *Regulæ modestiæ,* quæ a C. G., XX, 17, enixe commendantur[2], regulæ de non tangendis aliis[3], et regulæ Communes 12 et 13, et Summarii 29.

[1] Quod votum solemne irritet matrimonium contractum ratum, proprium 136
est non Societatis voto, sed, in præsenti disciplina, cuilibet voto solemni castitatis. Quod irritet matrimonium contrahendum votum simplex Societatis, sive publicum sive privatum, hoc ex speciali privilegio venit Societati. Post Breve Leonis XIII *Dolemus inter,* de vi hujus privilegii nullus relinquitur scrupulus. (Cf. Comp. Priv., n. 382.) Utrum autem ex natura sua hanc vim

habeat idem votum controvertitur. (Cf. P. Montrouzier cum notis P. Adigard, c. XVI, n. 4.)

[2] Decentiæ repugnat dormire tectus solo linteamine, maxime in cubiculo ubi quis conspici potest (*a.* 1587). De balneis, cf. infra. ubi de valetudine.

[3] Majori ratione tangere externos prohibetur (S. Franc. Borgia, *a.* 1570), etiam supra vestes (*a.* 1585). Quoad tactus impudicos, abhorrendum est ab opinione quæ ea a gravi peccato excusat (*a.* 1606). Nequidem manum osculandam feminis ac puellis porrigere decet (*a.* 1596). Id igitur vitandum est quantum mos patriæ permittit (*a.* 1629). S. Ignatius non judicabat esse contra hanc regulam manum præbere more Germanorum (*a*). De joco cum canibus et felibus, cf. Nigronum, in reg. Com. 34, (n. 6 in fin).

137 3° Confert *Clausura*, quæ strictissime custodienda est ex Constitutionibus Pii V (*Regularium Personarum,* 1566, et *Decet Romanum,* 1570), et Gregorii XIII (*Ubi gratiæ,* 1573), et Benedicti XIV (*Regularis,* 1742), recenter confirmatis, quoad jus pœnale adnexum, a Pio IX, *Apostolicæ Sedis* (1869); solis reginis exceptis[1]. Eam iterum enixe commendat C. G., XXIV, 20, n. 3; et servari mandat quæ P. Beckx pro Convictibus statuit die 31 aug. anni 1886[2]. Cf. P. Anderledy, 24 sept. 1891, et R. P. Martin, 10 nov. 1893.

[1] Hac in materia clausuræ, regitur Societas jure communi canonico, quod sedulo inculcat P. Anderledy (21 nov. 1891). Prohibentur porro mulieres intra septa monasterii ingredi, nisi sint reginæ, earumve filiæ aut comitatus; nequaquam vero permittuntur fundatrices, nisi legitimo alicui titulo (v. g. conditioni in limine fundationis appositæ) accesserit confirmatio S. Sedis ad tramitem Cst. Benedicti XIV *Regularis* (1742), et sub limitibus ibidem indicatis. Perseverare tamen videtur licentia a Pio V facta *(Decet Romanum)* ut mulieres clausuram ingrediantur, quando ob concursum populi non possint commode ingredi vel egredi per portam exteriorem ecclesiæ, ita tamen ut recta tramite accedant ad portam qua egreditur a monasterio. (Cf. Pennachi, Comment., in Cst. *Apostolicæ Sedis*, t. I, p. 798. — Romæ, Typ. de Propag. Fide, 1883.) Insuper admittit Reiffenstuel hac in re vim consuetudinis legitimæ, etiam decennalis. (L. III, t. XXXV, n. 46.)

Clausura porro comprehendit totum illud spatium quod ambitur muris seu septis monasterii, v. g. prata et hortos contiguos, nisi separentur muro congruo et janua clavi obserata; sacristiam, nisi unicum habeat aditum qui sit per ecclesiam publicam; nec comprehenditur illa probabiliter, si habeat duplicem

aditum, unum in ecclesiam, alterum in claustrum. (Cf. Ferraris, v. *clausura*, n. 13.)

Quoad vero Collegia nostra declaravit, vivæ vocis oraculo, Gregorius XIII, non comprehendi « atria et classes ad quos externi accedant ; sed tamen expedire ut moneantur dictæ feminæ ne accedant. » (Comp. Priv., n. 89.) Et consentaneum respons. 1576 (*a*), nempe : Quamvis atrium primum Collegii in clausura non includatur, ab eo mulieres arceantur. — Et rursus : quoad ingressum intra convictoria, ad spectandas actiones, servetur mos regionis (*a.* 1638).

Generalis porro est et Provincialis clausuræ terminos in singulis domibus determinare, at solum in dubiis aut pro locis ab ipso jure jam non determinatis. (Comp. Priv., n. 89. Reiffenstnel, l. c., n. 27.) Et sapienter addit Pennachi « Prælati limites clausuræ ita præfigere debent ut pericula et scandala caveantur, et ut S. Sedes finem sibi præstitutum in imponenda regularibus viris clausura assequatur. » (l. c., p. 775, quem cf. de censuris et pœnis latis contra mulieres contravenientes et Regulares admittentes.) — Subjacent porro clausuræ papali quæ a sola S. Sede dispensabilis est, omnes domus regulares proprie dictæ, formaliter ut tales erectæ : non autem extenditur ad domicilia in quibus dispersi habitant ; quamvis et decentiæ et S.C. EE, et RR. mentis sit ut cubicula in quibus Regulares dormiunt, edunt et coquunt, mulieres non ingrediantur. (Cf. Ferraris, l. C. n. 8.) Et P. Anderledy, l. c. « Clausura primum esse debet quod appareat, cum sedem novam figimus ; ultimum quod desinat, cum sedem deserere adigimur. » (Cf. ibid. quoque de viris lustrandi nostras domos cupidis.)

De hospitiis proprie dictis cf. Comp. Priv., n. 323. Villæ vero ordinarie non eriguntur in verum monasterium : attamen responsum fuit non permittendum esse colonis habitare cum suis uxoribus in his villis ad quas Nostri accedunt (1600). Insuper contra mentem Societatis est, imo et S. Sedis, ut in parvis domibus, et etiam villis, adhibeantur famulæ : et potius quam hæ asservarentur, prætulit P. Anderledy ut, ubi haberi non possint Coadjutores aut famuli, domus, imo parochiæ a Nostris derelinquerentur. (Cf. litt. ad Provinciales, 24 sept. 1891.)

[2] Decretum C. G., XXIV, et præscripta P. Beckx inculcat A. R. P. Ludovi- 138
cus Martin, litteris suis 10 nov. 1893, ubi sancit : 1° in Domibus probationis, Collegiis Nostrorum, majoribusque Residentiis ad religiosam formam exactis, clausuram ambituram esse totam domum ad juris tramitem ; 2° in convictibus alummorum, iisque domibus quæ ad formam religiosam omnino exigi vix possunt, partem ubi Nostri fere habitant, ita intercludendam ut a feminis nullo unquam tempore adiri queat ; in cæteras autem partes non ingressuras feminas nisi comitante aliquo e Nostris, ætate ac virtute maturo.

« Possunt fenestræ alicujus ædificii constitui versus plateam, dummodo ex adverso non sint ædes ex quibus in Nostrorum cubicula, et contra, prospectus sit » (*a.* 1604). Cf. Clemens VIII, Pro ref. Reg. 1601.

139 4° In *Pœnitentiæ ministerio cautio* magna adhibenda. Confessarii maturi sint præsertim moribus, nec primo biennio Neo-sacerdotes occupentur, ut operarii ordinarii, in ministeriis; et intra et post illud prius exerceantur in confessionibus virorum audiendis quam mulierum[1]. (C. G., VII, 80. — Or., I, 8. — Ins., III, 1.) Hæ confessiones ad crates semper audiantur; nec summo mane, aut sero vespere, nisi ob magnam frequentiam et accensis sufficienter facibus; nec per recreationem. (Instr., XV, 5.) Confessionalia in locis patentibus constituantur, et ita ut confessarii sint quasi socii mutui. (Ins., XV, 2, 4.) — In audiendis feminarum confessionibus severi potiusquam familiares sint Nostri, et breves (Ins., III, 3), nec nimium frequentes. (Ibid., 4, 6, 8.) — Extra confessionem eas non alloquantur, nisi in loco patenti[2], oculis demissis et breviter. (C. G., VI, 7, 43; — VII, 80, 11, 12, 13.) Syndici secreti quoad hæc constituantur et interrogentur; invigilet Præfectus Ecclesiæ et Ædituus (Reg. Præf. Eccl., 12), Consultoresque scribant ad Generalem. (Ins., III, 5. — XV, 2, 1, 7.)

140 [1] Non est contrarium regulæ ut audiantur mulierum confessiones tempore Missionum, etiam non expleto biennio (1607). Regulam ita intelligit P. Villada ut ad exponendos juniores sacerdotes ad illud ministerium, et quidem tantum extraordinarie, solus dispensaret Provincialis in rigore juris : in praxi sufficiet non dissensus (n. 112).

[2] Allocutoria feminarum claudantur in tenebris tam matutinis quam vespertinis, nec ullæ feminæ excipiantur in villis, prædiis aut scholis; nec devotas comitentur Nostri in itinere, quamvis sint illustres (*a.* 1581). Quantum fieri potest, in iisdem conductitiis curribus cum eis non versentur (*a.* 1548); in propriis feminarum nunquam (*a.* 1649). Ne permittantur Nostri excipere confessiones feminarum quæ sequuntur ipsos de civitate in civitatem (*a.* 1617). Imo confessarium e Societate, etsi cum socio, adhærere semper alicui nobili viro non visum est Instituto nostro satis consentaneum (*a.* 1656).

Omnes pueri qui vigesimum annum non attigerunt e domiciliis nostris eliminentur (*a.* 1651). — Etiam post restitutam Societatem locutorii pro mulieribus prope januam usus, utpote priscæ Societati prorsus ignotus, reprobatus primo fuit (*f.* 1 mart. 1836). At propter temporum necessitates multis in locis usus ille inolevit. Imo A. R. P. Martin, litteris suis 10 nov. 1893, commendavit ut « in omnibus Domibus quas Nostri incolunt,

habeatur certus aliquis locus, excipiendis audiendisque feminis quæ Nostros conveniunt, deputatus, januæ proximus ac janitori patens. » Mens tamen Societatis in utroque casu satis claret eadem.

Nostri vero non instruant puellas pro actiunculis (1610-1650). Nullo autem modo admittantur feminæ ad mensam nostram, nisi sint supremæ principes, quas Bullæ pontificiæ excipiunt a lege clausuræ. Et generatim in toto hoc negotio ad praxim strictiorem potius propendere debemus (*a.* 1648).

5° *Visitationes mulierum* non permittantur nisi viris valde pro- 141
batis, ob graves rationes[1] (Or., I, 9. — Reg. Rector, 70), nec unquam sine socio qui omnia videre possit; curetur saltem ne ostium sit clausum et locus obscurus. (C. G., VI, 43. — R. Sac., 18. — Ins., III, 7.)[2] In ipsis virorum visitationibus deberet socius præsens esse[3]. (Or., IV, 3. — Ins., XV, ult. parag.) Socius vero arctissime tenetur Superiori manifestare quidquid contra hanc regulam actum est. — Quod nisi faciat, primo puniendus erit; secunda autem vice, Generali deferendus. (C. G., VI, 43. — R. Coad. 5. — Ins., XV, 2.) — Sacerdotes etiam præcepto obedientiæ adigendi sunt, si parum exacti sint : ubi vero locus in quo sunt infirmæ mulieres, socium non admitteret, videat Superior annon parocho relinquenda sit hujusmodi confessio. (Ins., III, 7.) Ad ægrotantium monialium confessiones audiendas monasteria ingredi Nostris non licet. (Or., II, 11.)[4]

[1] Tres conditiones exigit P. Claudius. (Ins. III, 9.) 1° Ut mulieres quæ 142
visitantur sint altioris gradus; — 2° Ut sint de Societate benemeritæ; — 3° Ut nemo ex cognatis id grave habeat. Nec vult ut id fere alii quam Superiori et Confessario liceat. — Minus probatur ut exercitia spiritualia mulieribus dentur (*a.* 1599), multo minus domi earum, extra Collegia; melius est ut juventur per libros spirituales, aut ad summum de ratione meditandi in templo nostro privatim doceantur, et meditationum capita ipsis communicentur (*a.* 1600). Nequidem monialibus exercitia tradere olim licebat absque facultate Provincialis (*a.* 1603). Hanc facultatem sibi reservavit Generalis qui toties quoties monendus erat (*a.* 1625). — Generalis facultas data est Provincialibus per Galliam permittendi Nostris ut alternis annis Exercitia Spiritulia monialibus traderent, ubi Societas habet domicilium. In aliis locis major commendatur cautela, maxime ubi stricta observantia non viget (*a.* 1650). Generatim a locis ubi mulieres collectæ manent arcendi sunt Nostri juxta Cst., VI, III, 2, (*a.* 1586), nec prætextu exhortationum vel lectionum,

hujusmodi loca ingredi debent (*a.* 1604-1607). Nec prætereundum est lege ecclesiastica, additis pœnis, prohiberi, ne Regulares accedant ad crates ut colloquantur cum monialibus (Sixtus V, per Cong. EE. et RR. maio 1590); ita ut accedentes sine licentia (a Sacra Congregatione, juxta probabiliorem, ut plurimum, petenda), et colloquentes per quodcumque modicum temporis intervallum, peccent mortaliter. (Cf. S. Alphonsum, *De censuris,* n. 236. — Ferraris, v. *Moniales,* c. IV. — Bizzarri, *Collectanea,* Ed. 1863, p. 484, 485.) Et quamvis hæc lex tantum ad moniales stricte dictas, i. e. votorum solemnium, sese referat, ac fortasse alicubi ex consuetudine fuerit emollita, nihilominus quænam sit mens S. Matris Ecclesiæ satis aperit.

Non permittendum est ut mulieres devotæ templi nostri altaria diebus festis ornent (*a.* 1635), nec sacellum associationis in templo Ursulinarum (cujus Nostri curam habebant), nec in illo conventus ullos habent nisi patentibus foribus templi ejusdem (*a.* 1646). Non permittantur mulieres ingredi cancellos communicantium, in ecclesiis nostris, contra antiquos canones (*a.* 1649). Non est apud nos celebranda solemnitas devotarum consecrantium se Deo.

Non probabat S. Pater morem dandi feminis munuscula imaginum, libellorum et similium ob abusus qui irrepere poterant (*a.* 1569).

143 [2] Ordinatio de Socio non obligat eos qui in missionibus versantur (*a.* 1611); nocte tamen semper conveniant (*a.* 1624). Non videntur socii Patrum in missione obligandi, ut toto tempore quo Pater audit confessiones in templo ei semper adsint. Curent tamen ne diutius Patrem solum relinquant, et ipsi probo teste careant (1624). Hi ipsi feminarum confessiones in cubiculis vel hypocausto suo audire non debent, neque etiam soli in ecclesia (1579). A socii regula sola necessitas eximit : imo hæc Societatis famæ ac securitati cedere debet. Concessum quidem fuit ut aliquis ex NN. absque socio ad Episcopum mitteretur qui socii vices se impleturum promittebat (1631. — *b.* † 1642). Verum hoc ipsum postea (*b.* † 1655) negatum fuit. — Hujus regulæ observatio post restitutam Societatem vehementissime commendata fuit (*f.* 17 mart. 1835. — *f.* 1 mart. 1836, — et sæpius P. Anderledy in suis epistolis).

[3] Quando quis cum viris primariis colloquitur, socius se subducat et bene occupetur (*a.* 1603). Socium habere debent Patres castrenses quando sunt in urbibus (*a.* 1648); necnon Procurator exiens ad prædia, nisi equitet et eodem die redeat domum (P. Claudius).

Externos in villis visitare non permittatur, etiamsi non sumatur prandium (1601). Nec adsint NN. iis prandiis quæ a nostris quondam discipulis celebrantur apud cauponem (4 apr. 1874). Nemo, etiam sacerdos, intra vel extra provinciam mittatur sine socio e Nostris, præsertim in longioribus itineribus (*a.* 1607). Id denuo commendatur (4 apr. 1874). Si quis legitime mittitur ad suos, adjungatur socius itineris. (*g.* P. Anderledy, Ep. parenet., 20 nov. 1891, n. 17.) Adjungatur socius etiam iis qui vehiculis per urbem utuntur : nam non obest paupertati quod ad virtutes et famæ præsidium penditur. (Ibid., n. 29.)

[4] Difficile tamen id subinde negari poterit (*a.* 1629), sed non nisi urgente morbo ad mortem concedendum (*a.* 1639). Nec nisi iis quibus aliunde commode succurri nequit, et ex Ordinariorum beneplacito (*a.* 1550). Et hæc quidem licentia requiritur a jure canonico, si agitur de moniali proprie dicta, insuper et copulative, licentia Superioris regularis, ubi tales moniales habent Prælatos regulares. (Cf. Pennachi, l. c, p. 732 et sqq.) Ne quidem viri ægrotantes a Nostris visitandi sunt, si intra clausuram Monialium decumbant, etiamsi clausura minus stricte servetur (*a.* 1611).

6° Superiores diligentissime curent ut sui subditi *viri spirituales* sint. Ii qui non sunt, periculo non exponantur, nec ad speciosa munia promoveantur quæ ipsos caros externis faciant. — Nullam vel levem in gravissima hac materia transgressionem incorrectam præterire patiantur Superiores. Quoad Coadjutores in villis occupatos servetur Ins., V, III, 4. (Cl., v, 3.) 144

Confessarii Nostrorum ne nimis indulgentes sint, omnia levia et sine periculo ducentes; considerent quo res tandem terminentur; evellant laxas de levitate peccati aut omissione distinctæ accusationis opiniones. Sciant peccatum reservatum esse omnem actum externum contra castitatem, et prohiberi opinionem quæ materiæ levitatem in re venerea admittit. (Cl. v, 3. — C. G., V, 51.)

7° *Libri lascivi aut vani domi non serventur* (Cst., III, I, 14, M); libri veterum non expurgati nec Scholasticis nec ipsis magistris nisi maturis permittantur. (Cst., IV, v, 4, E. — Or., II, 1.)[1] Neque admittantur in domo instrumenta rerum vanarum, ut ad ludum aut musicam. (Cst., III, I, M.)[2]

[1] Lectio Terentii, Plauti et aliorum poetarum obscœnorum nonnisi magna cautione adhibita permittenda est, juxta ordinationem P. Everardi. Præstat enim aliquid scientiæ detrahi, quam integritati (*a.* 1615, 1587). Libri magici non asservandi sunt, sed comburendi, quia nullius usus esse possunt (*a.* 1587). 145

Libros prohibitos quosvis legendi facultatem Provinciales concedere quidem potest (Comp. Priv., n. 381), etiam ut putat P. Villada (n. 186), libros prohibitos ab aliquo Episcopo in sua diœcesi. Verum caute et ex prudentum virorum consilio concedenda fuit, cum Provincialis nonnisi auditis CC. aut idoneis, et cum ipse Generalis nonnisi auditis Assistentibus eam det (*a.* 1606). Ad duplicem finem dari potest, nempe vel ad refutandos hujusmodi libros

vel ad indicandum fidelibus quid in iis cavendum sit (*a.* 1595, 1604). Præstaret facultatem habere scriptam manu Superioris, ad mentem reg. 4 Indicis. Proprie tamen hæc regula Indicis se refert ad versiones Scripturæ in lingua vernacula. De Collegio Nostrorum Valsensi in Gallia ita, die 4 aprilis 1832, rescribebat P. Assistens : « Il paraît convenable que les professeurs aient la permission générale. Toutefois Sa Paternité pense que les livres des hérésiarques, l'*Augustinus* de Jansénius par exemple, ne devraient pas être indistinctement permis à tous les professeurs, surtout à ceux qui sont *juniores*. Pour les Scolastiques, et principalement pour des cas particuliers, tels qu'une dissertation destinée à réfuter un livre condamné, le Provincial peut abandonner cela à la prudence du P. Recteur. Quelquefois, pour les Scolastiques, l'agrément du confesseur est aussi requis. » Reponendi autem essent hi libri in arca obserata, cujus Superior alteram clavem habeat (*a.* 1594, 1600).

[2] Regula Rectoris de instrumentis musicis non permittendis domi, intelligitur ad usum Nostrorum, non autem ecclesiæ (*a.* 1657). Sed Nostri hæc ipsa pulsare non debent (*a.* 1633, 1638, 1657) : multo minus pueros docere (1649 et pluries). Nec cum externis in ecclesia cantent (*a.* 1635, 1649). Attamen permissum est, ut in odeo templi Lovaniensis essent instrumenta quæ pulsarentur a Nostris in præcipuis solemnitatibus, ex deputatione Provincialis (*a.* 1648). De organis, cf. infra, P. VII, c. 4, in notis, ubi de choro.

Classicarum tubarum usus in Seminariis non est permissus (1640). Famulis nostris, incolentibus, intra septa collegii, domum a NN. habitatione separatam, concessus est usus fidium, et in area separata ludus globorum (*b.* ††, 1584). Ne quidem cantare Nostris licuit nisi in vinea aut loco recreationis (*b.* ††, 1584). Musica instrumenta, vacationum majorum tempore in villa haberi P. N. non prohibet, licet rei utilitatem non percipiat (*f.* P. A., 6 jul. 1830).

CAPUT SEPTIMUM

DE VOTO ET VIRTUTE OBEDIENTIÆ

I. — **Hujus voti extensio.** — Per illud obligamur ad obediendum imprimis Summo Pontifici[1], deinde Superioribus Societatis (Cst., VI, I, 1), ac iis proinde quibus delegaretur potestas jubendi ex vi voti. 146

[1] Vi voti S. Pontifex, præter jurisdictionis auctoritatem quam habet in quoslibet christianos ut princeps societatis catholicæ, acquirit in nos, ut Superior primarius Ordinis, potestatem dominationis, tam late se extendentem quam se extendit in Ordine obligatio obedientiæ. (Cf. Suarez, l. c, l. VI, c. IV.) Vi dominii quod acquirit Superior in voluntatem religiosi, potest irritare actus inferioris, et quidem indirecte (seu quatenus incompossibiles cum exercitio suæ dominationis), si agitur de voto simplici obedientiæ; directe etiam, si de solemni.

II. — **Ejus materia.** — Materia voti obedientiæ sunt omnes actus non peccaminosi[1], qui in virtute obedientiæ vel in nomine Domini nostri Jesu Christi præcipiuntur. (Cst., VI, V, 1.) Non tamen ita præcipiendum est nisi in iis quæ multum conveniunt, ab bonum particulare aut universale : potiusque amore quam timore inferiores ducendi sunt (Cst., VI, I, 1); nisi pertinaces essent. (Cl., IV, 9.) Hujus voti materia vel gravis vel levis erit, juxta Superioris intentionem et rei ipsius naturam[2]. 147

[1] Non tamen per se opiniones aut veritates credendæ. Auctoritas enim Superioris dogmatica non est; attamen virtus obedientiæ inclinat ad doctrinam Societatis, quæ communis Ecclesiæ doctrina est, admittendam. At vero

prohiberi potest quominus doceantur opiniones quæ singulares et periculosæ judicantur, uti prohibetur revera Cst., III, 1, 0. (P. A., 1879.)

[2] Quia vovetur obedientia juxta Institutum, nihil in virtute obedientiæ præcipi potest quod non comprehendatur in fine proprio Societatis. (Suarez, l. IV, c. XII, n. 10 et seq.) Et hoc valet etiam quoad potestatem dominativam S. Pontificis. (Suarez, l. VI, c. IV.) Nihil proinde quod sit contra, vel infra, vel supra regulam; sed hoc ita intelligendum est, ut minime censeatur (S. Lig., l. I, c. IV, n. 38), contra regulam præcipere Superior si, ad finem regulæ melius attingendum, a regula dispensaret. Nec infra regulam censendus esset quilibet actus ex se vilis aut etiam ridiculus, cum hujusmodi actus ad humilitatem acquirendam sæpe perutiles sunt. — Demum supra regulam non esset præceptum quo injungeretur religioso fratribus lue infectis succurrere, etiam cum periculo vitæ, aut mortificationem gravem subire ob gravem culpam. Nec in Societate Jesu contra regulam esset præceptum prædicandi fidem apud Indos, etiam Scholasticis aut Coadjutoribus impositum. Ad id vero præstandum absque viatico, sine excusatione, etiam cum mortis periculo Professi, certius quam cæteri, quarto suo voto obedientiæ adigi possent, saltem ubi suppetunt Professi ad id commode exequendum. (Suarez, l. VI, c. IV, n. 26 et seq.) Actus internos præcipi posse docet S. Ligorius (l. IV, 452); alii vero negant.

148 III. — **Quomodo violetur hoc votum.** — Violaretur graviter :

1° Non implendo præceptum in materia gravi, et in virtute obedientiæ sub gravi impositum [1].

2° Dicendo se nolle parere, etiam Superiori qui in virtute obedientiæ non præcipit, potest graviter peccari, ratione v. g. contemptus formalis [2]. Et hic est casus reservatus in Societate. (C. G., V, 51; — VII, 45. — Or., II, 18.) [3]

[1] Formula in qua oneramus conscientiam, obligationem ad peccatum per se non importat (*b.* ††, 1628). Nihilominus potest Superior, in præcipiendo, uti quavis formula quæ clare et sufficienter significet suam voluntatem obligandi sub peccato. In dubio, attenta indole Instituti, præsumendum est non dari obligationem sub peccato. — Quamvis possit Superior materiam gravem præcipere sub levi, tamen ubi simpliciter præcipit in virtute S. Obedientiæ aliquid grave, ex natura rei videtur præcipere sub gravi. Nota insuper materiam de se levem posse ex circumstantiis evadere gravem. (Cf. Villada, n. 96.)

149 [2] Certum est in Societate peccatum aliquod inobedientiæ expressæ esse reservatum, etiamsi Superior non præcipiat in virtute S. Obedientiæ. (Cf. notam sequentem.) Aliunde certum est non reservari nisi peccata mortalia. Igitur, etiam secluso præcepto obedientiæ, potest aliquando deveniri ad culpam

lethalem : quod accideret præsertim si quis ageret ex contemptu formali, in quo contemptu, saltem sæpius et regulariter, adest peccatum grave ; maxime si contemnitur non tam res imperata aut imperans prout aliqua persona est, sed imperans prout imperans. (Cf. Suarez, *De legibus*, l, III, c. XXVIII. — S. Ligori, l. V, n. 61.)

[3] Scilicet : 1° Reservavit C. G. V. illud peccatum inobiendiæ expressæ quod quis asserendo se nolle parere committeret. — Igitur reservationem incurrit qui, expressis aut æquivalentibus verbis, asserit se nolle parere, ubi Superior expresse aut æquivalenter præcipit in virtute S. Obedientiæ materiam absolute aut relative gravem.

2° P. Caudius (Or., II, 18), in hac Congr. V reservatione includit casum Coadjutorum vel aliorum qui idem responderent Ministro præcipienti aliquid, quamvis ipse nequeat præcipere in virtute S. Obedientiæ (subaudias : ubi tamen hæc responsio importet culpam gravem.) Porro Cong. VII, 45, decrevit standum esse huic ordinationi vel declarationi P. Claudii. Videtur ergo sensisse Congr. VII casum Ministri jam fuisse præcontentum in reservatione a Cong. V edita ; ac proinde intellexisse casum in genere incurri ab illo qui Superiori præcipienti, quamvis forte non ex virtute S. Obedientiæ, asserit se nolle parere, quotiescumque talis assertio habet rationem peccati mortalis inobedientiæ expressæ. Videtur hanc malitiam constituere, et præ oculis in reservatione habitus fuisse, contemptus formalis in tali culpa inclusus. Cf. Lugo, (De Pœnit., XX, IV, 48), disputantem contra Sanchez (Decal., VI, 4, n. 72), quod illud contemptus peccatum merito dicitur inobedientia.

Et confirmatur ex responsis Generalium. « Tametsi Constitutiones et regulæ non obligent sub mortali, nisi adsit præceptum, est tamen casus reservatus inobedientiæ, si quis dicat, etc..., eo quod ex vi voti et obedientiæ obligamur, etiam secluso præcepto, ne Superiorem vel obedientiam contemnamus quod in proposito accidit » (1620, 1628, apud P. Mélot, n. 439, § 10). Peccatur lethaliter a dicente « nolo facere » propter contemptum Superioris, etiam secluso omni præcepto (*a.* 1611, 1652). — Item responsum fuit incurri, etiamsi mandaretur res levis, reservationem ob contemptum Superioris latam (*a.* 1615). — Utrum vero incurreretur, si peccatum grave esset non ex contemptu, sed aliunde, v. g. scandalo, expende verba reservationis.

3° Incurritur non solum a Coadjutoribus, sed etiam ab aliis : etsi enim Congr. VII et Or. II Coadjutores specialiter meminerint, ceteri non excluduntur sed indefinite exprimuntur et supponuntur (*a.* 1628, 1613, 1641, 1642, 1646).

4° Non tamen incurritur si id Subministro dicatur, licet hic sit Superior (i. e. non sacerdotum) (*a.* 1584) ; eo quod fortasse Subminister non sit ex suo officio, sicut est Minister, quasi persona moralis Rectoris. Idem tenendum de Regente Convictus qui non esset Superior Societatis (*a.* 1647).

5° Videtur incurrere qui Ministro non expresse, sed æquivalenter, dicit

se nolle obedire. (Tamburini, De cas. res., c. VII. — Cf. tamen P. Villada, n. 96.)

Declaravit P. Mutius, cui C. G. VII, 45, curam reliquerat interpretandi Or. II, 18, P. Claudii, non incurrere illum qui dicit *non faciam*, cum id possit significare *non possum facere* (*a.* 1617); at incurreret, si idem sonaret ac *nolo facere* (*a.* 1652).

6° Putat Lugo posse incurri si responsio fiat non Superiori sed ipsius internuntio, ut internuntio; quamvis forte rarius tunc malitia erit mortalis. (Resp. mor., l. IV, dub. 22. — De hac reservatione, cf. Mélot, n. 439. — Pellizzari, t. I, tr. 4, c. IV.)

150 Obedientiæ non obsunt representationes. (Ex., VIII, A. — Cst., III, II, 1. — Epist. Obed., 19.)[1] Verbo aut scripto, breviter et cum simplicitate, sed nonnisi post orationem et cum plena indifferentia faciendæ (Ibidem), ita ut inferior suum judicium omnino submittat. (Cst., VII, II, 1, I.)

[1] Si quis dicat se non posse id facere quod jubetur, et de ejus mala voluntate constet, adigendus est; si vero non constet, caritas prævalere debet (*b.* †, 1636).

151 IV. — **Recursus etiam patet ad Superiores mediatos.** — Sed aperiri debet sententia immediati Superioris ejusque rationes[1]. (Reg. Comm., 23.) Prohibetur porro sub pœna excommunicationis S. Sedis reservatæ, ne quis a Præposito Generali aut Visitatoribus ab ipso deputatis, etiam ad Sedem Apostolicam appellet, nisi in Generali Congregatione et in casu denegatæ justitiæ aut notoriæ injustitiæ. (Cens. et Præcepta. Ex communic. cum Cisterciensibus.) Et generatim appellatio ab Instituto, ordinationibus, correctionibus et mandatis Superiorum est illicita et irrita. (Comp. Priv., n. 52, et sqq.)[2]

Omnino prohibentur intercessiones sive a Nostris factæ (Monit. Gener., 12. — Ins., VII, 3. — Cl., IV, 4), sive, et multo magis, externorum a Nostris procuratæ (Cst., VI, I, 3; — VII, 2, K. — C. G., V, 14, 49; — VII, 20), præsertim ubi de dimissione obtinenda agitur (C. G., VII, 22); et sub præcepto inhibetur, cujus violatio Superiori reservatur, ne quis procuret externorum intercessiones. (C. G., VIII, 24; — IX, 24; — X, 18; — XVI, 17.)

Eæ porro intelliguntur intercessiones quæ Superiores impedirent. — Jubentur, etsi non sub præcepto, qui intercessionum hujusmodi sunt conscii Superiori id revelare. (C. G., VII, 20. — IX, 24.) Qui vero intercessione externorum uteretur ad Provinciarum novarum erectiones procurandas vel avertendas, ut perturbator haberi et puniri deberet. (C. G., IX, 5, 25; — V, 54. — VI, 2. — Cf. infra ubi de censuris et præceptis.)

[1] Nemo, licet petat, ad mediatum Superiorem mittendus est, nisi Provinciali prænonito et permittente. Si necesse sit aliquem prius mitti quam responsum venerit, detur fidus socius, cum litteris patentibus, nisi, vitandi scandali causa, aliter agendum sit (1597).

[2] Prohibetur appellatio proprie dicta, qua scilicet causa devolvitur ad judicem majorem, et ille cogitur juridice ad eam cognoscendam, nisi velit incurrere crimen denegatæ justitiæ : non autem his nostris privilegiis prohibetur simplex recursus extra-judicialis, quo, remanente integro circa causam jure inferioris prælati, nulla necessitas juridica enascitur in Superiori majori. (Cf. Comp. Priv., n. 54.) Insuper hæc privilegia respiciunt correctionem et ordinationes regulares, in quibus Superior, ut Superior religiosus, agit, ex potestate dominativa, juxta regulam ; non autem actus stricte judiciales quos perageret prælatus, ut magistratus ecclesiasticus, ex potestate jurisdictionis, juxta jus canonicum sive commune sive suæ Religioni speciale. (Cf. Suarez, tr. X, l. X, c. XII, n. 34. — Tr. VIII, l. II, c. II.) At sive fiat simplex recursus, sive appellatio, nunquam poterit fieri extra Societatem, ob ejus exemptionem, nisi ad S. Sedem.

IV. — **Virtutis vero obedientiæ** quæ Societatis nostræ peculiaris 152
nota est (Epist. de Obed. 3), vinculum ejus unionis (Cst. VIII, I, 3), et ad ejus conservationem maxime necessaria (Cst., X, 9), obligatio multo latius se extendit. — Hæc enim perfectissima esse debet :

1° Tum quoad motivum, utpote quæ Christum in Superiore cernit. (Ex., IV, 30, 31. — Cst., III, I, 23, 24; — IV, X, 5.)

2° Tum quoad extensionem, complectens æque et executionem et voluntatem et judicium (Cst., VI, I, 1, C. — Ep. de Obed.); omnia quæ peccata non sunt (ibid.); etiam quæ ab officialibus subordinatis, coquo, etc., præcipiuntur. (Ex., IV, 29, 31. — Cst., III, I, 24.)[1]

3° Tum quoad qualitates : scilicet promptitudinem, ad pulsum

campanæ[2], littera etiam inchoata relicta (Cst., IV, x, 9; — VI, 1, 1); indifferentiam erga ea quæ petuntur, oratione præmissa (Sum., 46)[3]; humilitatem et integritatem (Cst., VIII, 1, 3; — VI, 1, 1); sanctam demum cæcitatem. (Ep. obed.)

Ut vero perfectius exerceatur hæc virtus, nemo ullum negotium etiam pium suscipiat sine consensu Superioris, aut ad illud propensum se ostendat. (Reg. Comm., 41.)[4]

Nemo de iis quæ circa ipsum agenda sunt conjecturas faciat aut curiose inquirat. (R. C., 21.)

[1] Secretum inter nos nullum esse debet quod Superiori celandum sit, nisi in iis quæ ad conscientiam spectant et Præfecto Spirituali aut Confessario manifestantur. (*b.* ††, 1584. — Cf. Or., xv, 1, 4.)

[2] « Regula de signo campanæ, an de initio, an de fine sit intelligenda, moraliter est intelligenda » (*a.* 1584). Campanæ ad examen vocanti et regulæ satisfacit, qui, ea audita, se confert ubi illud obiturus est (*a.* 1641).

[3] Oratio quæ juxta regulam præmitti debet quando aliqua exemptio valetudinis gratia, postulatur, laudabiliter in pœnitentiis petendis adhibebitur (*b.* ††, 1584).

[4] Non tamen prohibetur promptum se ostendere ad ministeria Societatis consueta, concione excepta quæ reservatur Superiori (1588).

Est contra regulam dicere se aliquid libenter facturum habita licentia (1584). Litteris ad Provinciales, 24 maii 1885, commendabat P. Anderledy ne ullus permitteretur procurare sibi aliquod ministerium, sed ut, si offerretur, moneret Superiorem; ne in specie sese immisceret in præparando aliquo matrimonio (et si id accideret, Generali deferatur); ne scriptores aliquem librum, aut studiosi scientiarum aliquod opus aggrederentur, nisi consulto et consentiente Provinciali (*i*).

PARS TERTIA

De natura et ratione votorum in Societate.

CAPUT PRIMUM

DE TRIBUS VOTIS SCHOLASTICORUM

I. — De effectibus qui ad ipsum religiosum spectant. — Qui his votis ligati sunt. — 1° Societatis vere membra sunt (Cst., V, I, A), etsi contrarium dici videatur (Ex., IV, 17), ubi de Societate professa sermo est; omniumque Societatis meritorum et privilegiorum participes fiunt. (Cst., V, I, A.) 153

2° Sunt vere et proprie religiosi [1], ut declaratum est a Gregorio XIII, tum in bulla *Quanto fructuosius,* 1583, ubi motu proprio et ex certa scientia statuit : « Eos qui hæc vota simplicia emiserunt et emittent vere religiosos esse et fuisse; » tum in bulla *Ascendente Domino,* in qua confutat adversariorum Societatis calumnias qui errant, « non considerantes voti solemnitatem sola Ecclesiæ institutione inventam esse, triaque hujusmodi Societatis vota, tametsi simplicia, ut substantialia religionis vota ab hac Sede fuisse admissa; » et eadem Constitutione rationem reddit cur vere religiosi sint — quia nempe, « se Societati addicunt et tradunt,

seque divino servitio mancipant. » Et in hoc differunt hæc vota a votis in sæculo emissis. (Cst., V, 1, 1, A.)

3° Sunt et quidem non ex privilegio, sed ex natura Societatis vere *mendicantes*. Ita Pius V declarans « omnes et singulas Societatis personas vere et non ficte mendicantes fuisse, esse et fore. » (*Dum indefessæ*, 1571.)

[1] Sanctus Thomas quidem (2, 2, q, 88, a 7 et 9; q, 184, a 4), in ea sententia esse videtur religiosum statum sola votorum solemnitate constitui; quia juxta antiquum jus ratiocinatur. At probat Suarezius Gregorium XIII non jus constituisse, sed jus ab initio Societatis constitutum declaravisse (l. III, c. IV.) De cetero doctrinam a Gregorio expositam, quam suo tempore existimavit Eximius Doctor infaillibilem nec sine errore in fide negandam, hodie explorati omnino juris est, cum induxerit Pius IX in omnes virorum Religiones professionem votorum simplicium solemni professioni necessario præmittendam. (Cf. Bizzarri, *Collect.* circa fin.)

Non potest igitur simpliciter et absolute dici Societatem non acceptare vota scholasticorum : acceptat eorum traditionem, ita ut ipsos sibi incorporet, at non inconditionate, remanente nempe Societati jure hanc incorporationem destruendi justis de causis.

154 4° A Societate ex sua auctoritate recedere nequeunt, quin hoc ipso excommunicationem latæ sententiæ, Generali reservatam, ipso facto incurrant (Pius V, *Æquum reputamus*, 1565); omnibusque apostatarum pœnis subjaceant. (C. G., IV, 53.) Conceditur tamen Provinciali facultas absolvendi per se vel per alios eos qui sine licentia discessissent, postquam redierint. (Comp. Priv., n. 40.) Incurrunt quoque excommunicationem latæ sententiæ, Papæ reservatam, omnes qui eisdem auxilium, consilium vel favorem præstiterint, saltem si sunt de Societate. (Comp. Priv., 39, 40. — Cf. infra, p. 6, c. 3, ubi de dimissione.)

Si vero dimissionem impetrent causis fictis, fraude, dolo, delictisve gravibus eo fine perpetratis ut facilius dimittantur, nullo modo in conscientia tuti sunt; irrita est dimissio, iisdemque pœnis obnoxii sunt ac supra; et si de re in foro exteriori constiterit, Superiores agere possunt in eos, tanquam in veros apostatas. (C. G., VII, 22, 4.) Imo si aliquem externorum de sua dimissione

consulunt, inconsulto Provinciali, aut ad impetrandam dimissionem eorum auxilio et intercessione utuntur, incurrunt excommunicationem Provinciali reservatam. (Ib., n. 2.)[1]

Ad nullum alium Ordinem, *etiam* Carthusianum, nisi de licentia S. Sedis aut Generalis, transire possunt; secus ipso facto incurrunt excommunicationem Papæ aut Generali reservatam ipsi et religiosi recipientes. (Paulus III, *Licet*, 1549. — Pius V, *Æquum*, 1565. — Comp. Priv., 529 et sqq.)

5° Solus Generalis discedendi facultatem ipsis tribuere potest, et tunc in ipso actu dimissionis a suis votis liberi sunt[2]. (Ex. IV, 42.)

[1] Is proinde qui, post vota, Societatem omnimodo deserere statuit, nec paratus est Superioris judicio suæ dimissionis causas submittere, tutus in conscientia non est, nec absolvi potest (*a.* 1590, 1612, 1618). Secus ii qui cum hac submissione dimissionem petunt. Ii vota interim renovare possunt (*a.* 1620). 155

[2] Hanc facultatem exercet Generalis, non dispensando sed potius purificando conditionem irritationis sub qua emissa hæc vota sunt. Ut licite fiat dimissio requiritur causa justa juxta Institutum ponderanda. (Cf. infra, ubi de dimissione P. VI, c. 3.) Et ideo P. Beckx rescripsit Provinciali Tolosano : « Nullam invenio causam in qua possit coram Deo fulciri postulatio dimissionis (quam tantopere sollicitat P. X.)... Ipse vero rei rationem Deo reddet integram, et Superiores in ipsum propriam exonerant conscientiam de tremenda decisione quam nunc dare ab eo coguntur. » Et « ad Patrem N... quod attinet, rationes quas allegat, *horror laboris et difficultatis*, non satis sunt ut possim *tuta conscientia* ipsum a votis absolvere ; antequam illa emisisset, aliter res sese habuisset ; at nunc cum ea fecerit, et fecerit non P. Generali sed Deo, ea præsertim ætate qua eorumdem valorem cognoscere valuerit, ab ipso petenda est Deo gratia servandi. » (*f.* P. Beckx, ad Prov. Tol., 1 apr. 1865.)

Utrum vero talis causa requiratur ad validitatem, controvertitur juxta Suarez. qui ipse admittit eam ita requiri, aut saltem prudentem considerationem. (L. III, c. IX.)

Cuinam Episcopo dimissus subjicitur, si fuit initiatus tonsuræ aut ordinibus? Ei cui ante ingressum in Religionem subdebatur ; et si tunc temporis nulli, subjicitur Ordinario sive originis sive domicilii ante ingressum habiti (Cf. S. C. EE. et RR. in Rhedonensi, 27 febr. 1891. — Acta S. Sedis, t. XXIII, p. 629 — et commentar, in eamdem causam. Nouvelle Revue théologique. Tournai, Casterman ; t. XXIII, p. 363). — Si dimissus constitutus existat in ordinibus sacris, cf. infra, P. 6, c. 3., ubi de dimissione. Episcopus cui ex jure subderetur non tenetur illum providere de ecclesiastico patrimonio, nisi exigat ut remaneat in sua diœcesi.

156 II. — **De effectibus erga Societatem.** — Ipsa tamen Societas erga Scholasticum non obligatur, si hic perspiciatur ad finem ejus non esse idoneus. — Hac vero conditione seposita, vere obligatur ex vero contractu. (Ex., VII, 1. — Gregorius XIII, *Quanto fructuosius*.)

Hæc facultas dimittendi religiosos non formatos, iterum Societati confirmata (Or. vivæ voc. Leonis XIII ad Præp. Gener. 19 apr. 1893, quod cf. P. 6, c. 3, ubi de dimittendis), utilissima est Societati, et utilis ipsi candidato. (Ex., VI, A. — Or., XII, 1.) Nec est injusta, siquidem socius fuit prænonitus, nec unquam timendum est ne Societas aliquem dimittat absque justissimis causis (Gregorius XIV, *Ecclesiæ catholicæ*. — Ex., VI, A. — Cst., II, I. — C. G., IX, 39, 3); quæ communiter, imo unice, aut ex culpa ipsius dimissi oriuntur[1] (Ex., VI, A; — VII, 1), aut exigunt accedentem ipsius consensum[2]. (Cst., II, II, B.) Rationes enim quæ ad has classes non reducerentur quæque enumerantur a Const. II, II, 2, vel supponunt detegi defectum quem quis in examine reticuisset (Cst., II, II, 3, 5), vel supponunt ipsum experimenti causa, et sub ea conditione fuisse receptum ut impedimentum quo erat irretitus non duraret.

[1] Imo dimissio non pronuntiatur nisi postquam omnia media ad subditum corrigendum a Superioribus frustra adhibita fuerunt. Peti igitur non debet dimissio eo quod de vocatione non constet : id enim ante votorum emissionem expendendum erat. Votis factis, certa, absoluta et irrevocabilis obligatio inde exsurgit, a qua se eximere tuta conscientia nemo potest nisi ei de impossibilitate eam implendi certo constet. (*f.* 14 nov. 1843. — 15 dec. 1833. — 13 mart. 1834.) Attamen alia est idoneitas prout in Scholastico probato, et alia prout in Coadjutori formato (cf. Suar., l. VII, c. II, n. 11).

[2] Exempli gratia, si Scholastici valetudo in ipsa Societate labefactata fuerit. (Cst., II, II, B.)

157 III. **Alii effectus.** — Hæc vota vim præterea habent : 1° Suspendendi vota prius emissa (excepto voto Religionis determinatæ) et juramenta, nisi inde læderetur jus tertii non condonatum[1] (C. G., I, 132); 2° tollendi irregularitatem ex defectu natalium

ortam, sed relate solum ad ordines aut beneficia, non ad dignitates[2]; 3° eximendi ab Ordinariorum jurisdictione et Sanctæ Sedi immediate subjiciendi (Gregorius XIII); 4° solvendi patriam potestatem, nisi in his quæ sunt religioso aut Religioni favorabilia, quamdiu Religiosus remanet in Societate. (Cf. Schmalzgrueber, l. III, t. XXXI, n. 206 et sqq.)

Declaratum porro est a C. G., VIII, 22, et XII, 13, horum votorum renovationem vim primæ nuncupationis habere, si hæc ob defectum ætatis aut aliam causam (tunc cessantem) irrita fuisset.

[1] Vota extinguit Professio solemnis ex jure communi. In Scholasticis potuit 158
dubitari ob imperfectam status eorum stabilitatem. Hinc C. G., I, 132, declaravit vota *suspensa* : et hoc valet saltem ab ingressu Scholastici post novitiatum, et probabiliter ab ingressu in novitiatum. (Cf. p. 55.) Præter hanc suspensionem ipso facto obtentam, habent Superiores et confessarii ordinarii potestatem commutandi vota non reservata, iique quibus Superiores commiserint (Comp. Priv., n. 112); vota vero reservata, etiam Religionis determinatæ, etiam arctioris, Provinciales et ille cui in casu aliquo Provincialis communicaverit : sed Provinciales magna cum consideratione ea utantur, et cum usi fuerint admoneant Generalem. (Comp. Priv., n. 116.) Bonum erit ut, non exspectato biennii fine, vota quibus Novitii obstricti fuissent in exercitia religiosa ab eorum Magistro, juxta nostra privilegia commutentur (*a.* 1587).

[2] Alias irregularitates Professio non tollit ipso facto, sed facilius dispensabiles reddit. (Schmalzgrueber, l. III, t. XXXI, n. 207.) Et in Societate lata patet hujusmodi dispensandi facultas, circa quam applices nostro casui quæ superius dicta sunt de novitiis. Hæc vota per se non invehunt inhabilitatem illam ad Ecclesiasticas dignitates quæ ex Professorum votis oritur. Sed tamen nemo ex Societate, absque Generalis licentia ullam dignitatem hujusmodi acceptare potest (Paulus III, *Licet debitum.* — Cst., IX, 13, — X, 6) eam vero Generalis, nisi obedientia S^tæ Sedis coactus, dare nequit. (Cst., IX, v, E.) Imo ne in consultationem quidem adducendum. (Cst., IX, v, n. ult.) — Hæc attenta vi *regulæ* Societatis. At juxta Suarez., ex jure communi (c. *Si Religiosus,* De Elect. in Sexto) peccat graviter religiosus acceptans dignitatem tacem absque consensu Prælati. (Suar., l. VI, c. IX, n. 19. — P. de Reversaux, Edit. Suarez. not. 1 in citat. numer. — Lugo *Resp. mor.*, l. IV, d. 29.) Imo quoad Nostros, ex verbis « nullus... consentire aut admitti... nullatenus possit » (Paulus III. *Licet debitum*) deducit collationem fore invalidam. Qui vero dignitatem intra Societatem occulta aut manifesta ambitione quæsivisse convincitur, incapax est eam retinendi. (Comp. Priv., ad. v. *Dignitas.*)

Quoad dignitates in ipsa Societate, non est facile permittendum ut quis voto se obliget ad eas non admittendas nisi coactus ab eo qui præcipiendi jus habet; hujusmodi enim vota gubernationem valde difficilem reddunt (*a.* 1632).

Possunt addi duo alii effectus ex voto obedientiæ orti : *a*) impedire scilicet ne quis ullum votum facere possit circa dispositionem sui ipsius, quod non sit Superiorum voluntati subordinatum (1590).

b) Generatim hæc regula a Suarez traditur : omnia quæ in jure communi de Professione statuuntur his votis applicari debent, si sint favorabilia; si vero sint odiosa, applicari etiam debent, nisi ob ipsam immutabilitatem omnimodam quæ Professioni non vero his votis inest, fuerint statuta.

CAPUT SECUNDUM

DE QUARTO SCHOLASTICORUM VOTO

Promissio ingrediendi Societatem est verum votum quo obli- 159
gantur Scholastici ad acceptandum gradum Professi vel Coadjutoris formati prout Generalis judicaverit. (Ex., VII, 1. — Cst., V, 1, A; IV, E. — C. G., V, 50; — VII, 32. — Cl. VI, 9)[1]. Ipsi Coadjutores temporales nondum formati obligantur hoc voto erga gradum definitivum. (C. G., VII, 39.)[2]

Hinc ille qui gradum sibi assignatum acceptare non vult a sacramentis arcendus est. — Potest tamen rationes Superioribus scripto proponere; sed eorum sententiæ demum acquiescere debet. (C. G., VII, 32.)[3]

[1] Suarez exigere videtur ut qui hanc promissionem edit ad acceptandum gradum Coadjutoris temporalis paratus sit (l. IV, c. XVII, n. 8); sed consuetudo constans et universalis Societatis aliter eam explicat (1638-1641). Ita « votum (illud)... non obligat Scholasticos ad acceptandum gradum Coadjutorum temporalium » (*a.* 24 febr. 1641). Fundatur hæc resolutio in d. 52, C. G., IV, et in reg. 67 Prov.; c. I, Exam. n. 10 et c. VII, n. 1; et in intentione Societatis quæ est admittere hoc votum determinate ad gradum sui ordinis » (*a*). Exinde nequit cogi Scholasticus ad descendendum ad gradum Coadjutoris temporalis (*a.* 1638, 1640). Etenim indifferentia omnimoda quæ exigitur ab omnibus, ad dispositionem ingressui prævíam refertur. (Ex., I, 7. — IV, 17. — V, 8); post vota vero nemo indifferens esse debet, juxta C. G., IV, 52. — Et cf. P. Oswald, n. 469, qui tamen addit « perfectionis majoris studium posse et debere hanc indifferentiam persuadere, » non ex obligatione sed ex libera virtutis laude.

[2] Ante C. G., VII, aliter a GG. responsum fuerat (*a.* 1611). Porro in Coadjutoribus temporalibus obligatio determinata est ad gradum Coadjutoris

formati (Suar., l. IV, c. XVII, n. 5). — Est igitur votum « acceptandi gradum quando Societati videbitur » (*a.* 1615).

Olim, ut testatur P. Hoffeus, nullum aliud votum emittebant Scholastici præter hanc promissionem, quam S. Ignatius censebat tria alia vota continere. Deinceps ipse tria alia vota addidit. Votum porro illud non est proprie votum Religionis ingrediendæ, sed potius majoris perfectionis in eodem statu religioso. (Cf. Suar., l. I, c. XVI, n. 5.)

[3] Hac posita declaratione, tenetur acceptare gradum religiosus, statim moraliter ac Superior imperabit, nec requiritur præceptum in virtute S. Obedientiæ. (Suarez., l. C, n. 13 et sqq.) Putat quoque Eximius Doctor ex vi hujus voti obligari Coadjutorem formatum ad acceptandum gradum Professi, si Superior hanc mutationem imperet. (Ibid.)

CAPUT TERTIUM

DE RITU EMISSIONIS VOTORUM SCHOLASTICORUM

I. — **Quinam debeant admitti ad hæc vota.** — Qui post probationes et contenti, et quorum Societas contenta juxta ea quæ habentur in Ex. IV, 41. (Ex., VII, 1. — Cst., V, IV, 3, 6.) Si dubitat Societas, prorogetur donec utrique parti plene satisfactum. (Ex., IV, 43. — Cst., V, I, 3, C. — Reg. Prov., 41.) 160

II. — **Quinam possint admittere.** — 1° Primario Generalis (Cst., V, I, 2; — IX, III, 1), quin requiratur consensus capituli (Gregorius XIX, *Ecclesiæ*) aut formalitates in aliis Ordinibus a jure præscriptæ (Pius IX, 28 januar. 1850; Instit., t. III, app. p. 15); 2° Per communicationem Generalis, Provincialis ordinaria potestate (R. P. 65); 3° Extraordinarie Præpositi locales, aliæve personæ insignes, etiam (ubi nullus est Professus Societatis) Societati extraneæ, quibus Generalis forte commiserit. (Cst., V, I, B.)

III. **Quid emissioni præmittendum.** — 1° Instruendus qui emissurus est de natura quarti voti, obligatione votorum, excommunicatione a recedentibus incurrenda, vi renovationis horum votorum, et aliis speciatim de Scholasticis aut Coadjutoribus respective interrogandis. (Epit., P. 1, n. 101 et sqq. — R. M. N. 80 et sqq.) 2° Considerandum Examen, Bullæ et Regulæ; 3° Reddenda ratio conscientiæ et præmittenda confessio generalis ultimi semestris; necnon octiduana Exercitia et, si Superiori visum fuerit, triduana mendicatio[1]. (Ex. IV, 27, 41. — R. M. N. 57, 63, 67.) 161

[1] Mendicationem illam, arbitrio Superioris permissam, noluit præcipere P. Claudius. Possunt tamen hæc vota emitti ante vel post renovationem aliorum (*a.* 1594). [1]

162 IV. — **Quid in ipsa emissione.** — Hæc vota in Sacro coram aliquibus domesticis, sunt emittenda, non tamen inter eos qui forte vota jam emissa renovarent (Cst., V, IV, 3, 4)[1], juxta formulam quæ in Cst., V, IV, 4, legitur; sanctissimum CHRISTI corpus a vovente sumitur (Reg. Pr. 66), nisi Sacerdos fuerit, quia is eo die solet celebrare. (Or., I, 12.) Hæc vota nemo admittit (Cst., V, 4, D), sed tantum hoc sensu quod de nullo homine nominatim fit mentio in formula et ad DEUM sermo dirigitur : at enim vovens vere incorporatur Societati. (C. G., IX, 39, 5.) Servanda erit in libro ad hoc destinato memoria horum votorum et promissionis eis adjunctæ clare intellectæ, cum die et anno a vovente subscripta. (Cst., V, IV, G. — C. G., V, 50. — R. M. N. 57.)[2]

[1] Consuetudo olim prohibebat ne horum votorum nuncupationi Novitii interessent; ex cæteris domesticis pauci tantum admittebantur (*a.* 1597), nemo autem ex externis consanguineis (*a.* 1590). Non permittebatur proinde ut hac occasione epulum amicis pararetur (*a.* 1640). Hodie ex parte mutata consuetudo. Ita in Prov. Tolos. adsunt Nostri, etiam Novitii : at res fit in sacello domestico, exclusis externis, etiam consanguineis. (Ex Consuetud. Tolos., c. VI.)

[2] Non debet tota votorum formula ab emittente in libro scribi, sed manu propria testabitur se, post debita examina, tali die et loco, celebrante tali, vota emisisse (*a.* 1590). Desumenda formula scribenda ex reg. 57 Mag. nov. (Epit. P. I, n. 105.)

Hæ circumstantiæ temporis et loci in ipsa votorum emissione exprimendæ videntur ex Cst., V, IV, 34 : sed in renovatione tacentur ex consuetudine (*a.* 1651). Si Coadjutor nescit legere, alio prælegente, pronunciet formulam (*a.* 1590).

CAPUT QUARTUM

DE PROFESSIONIS TEMPORE ET PRÆVIIS

I. — **De Professionis tempore.** — Nullum tempus certum 163
determinatum est, quo teneantur Superiores ad hoc ut subditos suos ad Professionem vel ad gradum Coadjutoris evehant. (Gregorius XIV, *Ecclesiæ.* — Ex., I, 12. — Cst., V, II, n. 2 et 4. — C. G., V, 36, 37.)[1]

[1] Non debent communiter in Societate retineri qui apti non sunt ut ad aliquem gradum promoveantur, nisi ex quadam indulgentia cum Fratribus Coadjutoribus (*a.* 1588). De his tamen qui post prima vota infirmitatem contraxerunt, cf. infra, ubi de dimissione. Ita retinendi qui morbo comitiali laborant (*a.* 1650), leprosi (*a.* 1634-1637), qui in periculo maniæ sunt (*a.* 1619).

At de laborantibus lepra aut morbo comitiali responsum fuit eos non posse admitti ad gradum, et ratio data fuit, tum quia incapaces sunt omnis ministerii, juris et functionum Professorum, tum quia « adhuc (talis Pater N.) versatur in tertia Probatione : adeoque in admittendo ad gradum qui est finis tertiæ Probationis habenda probabiliter ea ratio valetudinis quæ habetur in admissione ad simplicia vota, qui est finis secundæ Probationis » (*a.* 1637). Tales vero ab obligatione publice renovandi liberantur (*a.* 1619).

Constitutiones prohibent ne quis regulariter ad Professionem 164
admittatur ante annum ætatis vigesimum quintum (Cst., I, III, K); sed ex consuetudine a C. G., VIII, 17 et 33, approbata citra obligationem tamen, et salvo jure Generalis contrahendi extraordinarie biennium probationis (C. G., V, 13, 63. — Cst., V, I, C.), nemo Professionem emittit ante annum ætatis trigesimum tertium et vitæ religiosæ decimum[1], præter septem annos studiis

theologiæ et philosophiæ impensos, ita ut ex septem et decem annis tot demantur quot huic duplici studio ante ingressum fuerunt insumpti. (C. G., IX, 42; — XVI, 20.) Iique septem anni studiorum semper computandi sunt, etiamsi quis minori tempore studia extra Societatem absolverit. (C. G., XIII, 9.) Non computantur autem anni ante ingressum studiis impensi, si quis in Societate eadem studia perfecit. (C. G., XVI, 20.)[2]

165 [1] In graduando eo qui secundo fuit admissus, non requiritur idem tempus post secundam admissionem ac pro aliis (*a.* 1628). Sic P. Pignatellus valde nobilis et benefactor, qui anno ætatis 64 denuo admissus est, post quatuor annos professionem emisit (*a.* 1664). Excepti etiam fuerunt quoad tempus P. Annas de Beauveau, necnon ob excellentiam virtutis, scientiæ, officiorum jam gestorum et familiæ, P. Sforza Pallavicini. Caput XVIII, Ord. *De promovendis* supponit eos non proponi antequam in ministeriis se exercuerint (*f.* 18 maii 1833). Error circa trigesimum tertium annum, utpote non substantialis, non invalidat professionem (*a.* 1641).

[2] Igitur computandi norma non ea est ut tot anni ad decennium adjiciantur quot in Societate philosophiæ et theologiæ quis impendit, sed 1° tempus est 17 annorum pro iis qui omnia studia in Societate faciunt; 2° pro iis qui partim, tot ex 17 annis deducendi sunt quot extra Societatem philosophiæ et theologiæ studuerunt, salvo semper decennio; 3° pro eo qui extra Societatem per spatium uno anno minus studuit, nil definitur, sed « non rabbinice procedendum; » 4° Tempus rhetoricæ in Societate non computatur in ordine ad hanc rem; 5° Hæc de Professis quatuor votorum. Nam proponendi sunt Coadjutores Spirituales et Professi trium votorum exeunte decennio; 6° Si quis privatim studiis vacavit ministerium simul agendo incompossibile cum scholarum frequentatione, æquum est ut tempus illud a communi septennio deducatur. Hactenus ex P. Roothaan ad Prov. Germ. 17 apr. 1830; 7° Si quis repetit, per tres annos, tempus studiorum ante ingressum habitorum, etiamsi sit sexennium aut quinquennium, computandum erit pro quadriennio (P. Beckx ad Prov. Germ. 7 feb. 1881); 8° Si quis sexennio ante ingressum studuit, pro illo tempus profitendi erit annus undecimus; si quinquennio duodecimus, etc. Eamdem tene rationem, si septennio ante ingressum expleto, per unum deinde pluresve annos quis repetit. Ex P. Anderledy, 27 apr. 1886. (Cf. textum integrum responsorum illorum apud P. Oswald, n. 361.)

166 Commendatur Provincialibus ut eos qui hoc tempus impleverunt, absque dilatione proponant, aut causam dilationis Generali aperiant. (Or., XVIII, 1, 6.)[1] Curent ut æquales vocatione et stu-

diis simul promoveantur. (C. G., VII, 75; — IX, 42.) Nec ideo tamen eos qui omnes conditiones impleverunt retardari permittant ad alios exspectandos. Tardius promotus, etiam sine sua culpa, non restituitur in locum suæ antiquitatis. (C. G., XI, 31; — XII, 11; — XVII, 10.)[2]

Si qui differuntur ob defectus, scripto monendi sunt ob quemnam defectum retardentur, et Provincialis de hujus obligationis adimpletione Generalem certum facere debet[3]. (Or., XVIII, 1, 8 et 4, 5.)

[1] Ratio sufficiens dilationis esse potest ut aliquis mortem patris exspectaret 167
post quam libere de suis bonis disponere posset. (P. Claudius 1595 et P. Mutius.) Non autem imaginationes aut dicteria aliquorum imperfectorum, ubi agitur de illo qui meretur professionem (*a.* 1597).

[2] His decretis modificatur decretum 75, C. G., VII, necnon resp. plurium Generalium quibus jubebatur ut si, inter eos qui, quoad tempus vitæ religiosæ et studiorum, æquales sunt, quibusdam, ob docendi munus aut alias occupationes, Professio dilata fuisset, hi cæteris non postponerentur. Aliter semper actum est cum iis quorum Professio differenda fuerat propter defectus non emendatos aut examen propria incuria nondum obitum (*a.* 1619, 1620). Si autem causa dilationis esset omnino inculpabilis, v. g. si informatio a Provinciali non fuerit tempestive missa, ne ejus incuria insontes paterentur, jubebatur informationem quam citissime mittere et aliorum Professionem differre (*a.* 1620). Jamvero universim declaratum est a C. G., XI (d. 31), nunquam antiquiores exspectari debere a minus antiquis qui omnia expedita habent. C. G., XII (d. 11) confirmavit responsa juxta quæ ii, qui absque sua culpa retardati sunt, præcedentiam ante eos qui citius, absque merito, promoti sunt habere minime debent (*a.* 1643). Nec concessum est a C. G., VIII, postquam quæstio per plures sessiones agitata fuisset, ut is cui propter Societatis utilitatem Professio dilata fuisset, censeretur postea eam debito tempore fecisse (*a.* 1646-1658). Tempus enim Professionis valide emissæ (etsi forsan citius quam par fuisset) unica regula est unde jus præcedendi sumitur (*a.* 1643).

[3] « Cum quis a gradu simpliciter dilatus est, ad sequentem usque annum 168
differri censetur, atque informationes instaurari oportet. Secus autem si per sex menses diserte fuerit dilatus; tunc enim non iterandæ sunt informationes. » (R. P. Martin ad Prov. Tolos., 5 jun. 1893. Et de iterandis post annum informationibus, jam 1633 et pluries, necnon 18 febr. 1859, *f*). — Similiter, si dicatur promovendus post examen, erit informandus Generalis de exitu examinis, ejusque rescriptum exspectandum (*a.* 1624). — Secus si

dicatur promoveatur prævia monitione (*a.* 1620), tunc enim ea conditione impleta promoveri potest (*a.* 1620).

Invalida autem esset Professio si emitteretur absque conditionibus quas apposuit P. Generalis, ut v. g. præmittatur examen (*a.* 1621), ut promovendus sciret linguam indicam (*a.* 1649).

Invalida item esset si Generalis, credens per errorem subditum ætatem non habere, aut examen cum laude non subiisse, differendum eum esse judicasset, isque sine alio ad Generalem recursu nihilominus promotus fuisset (*a.* 1650-1652). Sed dissimulans scite errorem non abeat impunitus (*a.* 1630).

Qui postquam admissus esset a Patre Nostro lepram contraheret, non esset promovendus nisi curaretur, ob varia incommoda (*a.* 1637). Idem dicendum de eo qui gravem culpam post decretam ejus Professionem commisisset (*a.* 1666).

C. G. XII (1682) statuit præfixionem diei Purificationis aut Assumptionis non pertinere ad validitatem. Ergo poterit Generalis alios dies præfigere : imo alium diem quam hos duos designare poterit ipse Provincialis, si, citra culpam, adest gravis ratio, aut etiam, nulla alia stante ratione, si litteræ admissionis serius advenerint quam ut designato communiter die Professio fieri possit. (C. G., XIII, 20.) Utrum vero præter hos casus possit Provincialis valide diem mutare, maxime si fuit a Generali designatus, dubitare quis forte poterit. Sane declarata fuit invalida Professio die sic mutato facta : at illud responsum est anni 1665 (*a*), anterius igitur Congregationi XII supra citatæ. Aliunde res a Generalis voluntate pendet, a qua non recedendum nisi, gravibus impedimentis supervenientibus, certo præsumi possit ejus mens. Porro « mens ejus est ut si Professio die ab ipso fixa ob improvisa impedimenta fieri nequeat, alia dies, maxime festi aut dominica, a Provinciali determinari possit » (*f.* P. A., 23 febr. 1832).

169 II. — **Quis promovere possit.** — Potestas promovendi est penes solum Generalem, aut Vicarium Generalem loco Generalis vita vel officio defuncti suffectum; qui eam facile nulli, nisi in remotissimis regionibus, delegabit. (Cst., V, I, 2, C; — V, II, 1, A; — IX, III, 1, C. — C. G., XII, 10.)

III. — **Quis Professionem excipere debet.** — Excipere autem Professionem potest quivis Superior aut Professus a Provinciali delegatus[1]; aut etiam Prælatus externus, *ubi Professus nullus adest* (Cst., V, I, B), et *dummodo ab ipso Generali delegetur.* (C. G., VIII, 34.) Invalida autem esset Professio in manibus Prælati externi, etiam Nuntii, emissa, ubi aliquis Professus præsens esset. (C. G., VIII, 34, post multa responsa Generalium.)

[1] Non est necesse ut ille ex Nostris qui ex commissione Provincialis Professionem excipit sit Professus aut Coadjutor formatus, etiamsi adsint Professi (*a.* 1601, 1618, etc.) — Potest Superior infirmus vel aliter impeditus alium etiam non Professum ad excipiendam Professionem subdelegare (*a.* 1624), nec dubitandum de validitate Professionis exceptæ ab eo ex Nostris quem Superior suo loco constituit (*a.* 1641). Quæ omnia confirmat P. Roothaan, 17 apr. 1830, apud P. Oswald, n. 357. Generalis potest Provincialibus communicare facultatem ipsi datam (Cst., V, I, B) Prælatum externum, *absente Professo,* ad excipiendam Professionem delegandi (1641). Si vero non communicaverit et Provincialis id egerit, invalida est Professio « re diu agitata, expressisque Constitutionum verbis » (*a.* 1640 et pluries.) Nec putavit Generalis se posse retroactive eam convalidare (*a.* 1650). — Et stat invaliditas, etiamsi ibi non fuerit aliquis Professus (*a.* 1641).

IV. — **De informationibus.** — Informationes igitur mature ad 170
Generalem mittendæ sunt, quas Provincialis tum in Visitatione (Epit., P. 3, n. 12), tum post eam a quatuor Patribus qui promovendum melius norunt, accipere debet[1]. Respondere informatores debent : 1° de nomine, ætate, patria promovendi; 2° de tempore quo in Societatem ingressus fuerit; 3° de eo profectu in virtutibus, qui mediocritatem excedat, ut explicatur in decr. 6, C. G., IX[æ]; 4° de tempore et successu studiorum; 5° de tertio probationis anno; 6° quamdiu docuit; 7° quamdiu et quomodo in ministeriis se exercuit; 8° an et quomodo gubernavit; 9° an opiniones peregrinas sequitur; 10° de oratione et zelo animarum; 11° de ambitu. (Cst., V, II, A; — IX, III, A. — Or., XVIII.)

Ex his quatuor informationibus Provincialis unam conficit, notatis variis informatorum sententiis, quas, tacito horum nomine, suis Consultoribus exponit[2]. Hanc informationem deinceps cum Consultorum et Informatorum suffragiis Romam mittit, separatisque litteris eorum Informatorum aut Consultorum nomina qui ab aliis dissenserint scribit. Scribunt demum tum ipse, tum singuli Consultores, suam sententiam de singulis promovendis[3], designando gradum ad quem promovendi sunt, an statim aut serius. (Or., XVIII.)

Generalis cum suis Assistentibus *decernet* an subditus promovendus sit, et litteræ quibus suam sententiam exprimet a Pro-

vinciali conservandæ erunt [4], quoad executioni mandatæ sint. (Ibid.)

171 [1] Informationes peti non debent a Confessario domestico Nostrorum (*a.* 1612, 1625), nec ab iis qui Sacerdotes non sunt, nec a Consultoribus Provinciæ (*a.* 1599). « Informationes ad gradum tum autographas, tum consultatas, tunc destrui posse cum Præpositus Provinciæ decreta receperit ad ea pertinentia. » (P. Beckx, *i.* 20 maii 1866, cum CC.).

Informationes de promovendis ad gradum non secus ac de aptis ad gubernandum. Consultoribus congregatis, quantum fieri potest, communicandæ sunt, ut maturius discutiantur. Eorum qui forte abessent sententiæ per litteras exquirendæ essent (*b.* ÷ 1696, Confirm. *f.* 18 maii 1833). Consultores in unica scheda de omnibus promovendis suum suffragium exprimant. Erga socios qui in aliena Provincia degunt informationes ab utriusque Provinciæ Consultoribus exquirendæ sunt (*f.* 18 maii 1833). Hujusmodi graduandi proponendi sunt a Provinciali Provinciæ in qua versantur, proprio eorum Provinciali præmonito (*d.* mart. 1862).

[2] Si pluribus Consultoribus ignotus sit is de cujus promotione agitur, alii Patres graves qui eum norunt ipsis suffici possunt (*f.* 18 maii 1833). Imo et debent. Cf. Or., XVIII, 4, n. 4. « Consultoribus a Provinciali communicanda quidem (sunt) ea quæ ad ipsorum judicium formandum sunt necessaria : sed nihil agendum quo in hanc potiusquam in illam inclinentur sententiam » (*f.* 28 apr. 1836).

[3] Melius erit ut ad singula informationis capita Provincialis sententiæ Consultorum suam subjungat (*f.* 27 feb. 1836).

Hæc est igitur summa rei : 1° Respondent informatores capitibus paradigmatis quod habetur in Or. XVIII, P. 3. (Cf. *Practica ad formulam scribendi*, P. 2, n. 4). — 2° Consultores Provinciæ et Provincialis capitibus paradigmatis, P. 7; quod paradigma cum responsis mittitur Generali. (Cf. ibid., *Practica.*) — 3° Quisque Consultor et Provincialis mittit secreto Generali suum judicium de promovendo necne juxta exemplar quod habetur in *Practica ad formulam scribendi*, P. 2, c. 4, § 2. (P. Beckx, 18 feb. 1859.)

[4] In promotione ad gradus Superiores graviter obligantur ad sequendas Instituti leges, etsi inferiores indifferentes esse debeant (*f.* 12 mart. 1833).

CAPUT QUINTUM

DE CONDITIONIBUS AD PROFESSIONEM REQUISITIS

I. — **Prima conditio.** — *Præstantia in doctrina,* diligentissimis probationibus explorata et plane selecta (Julius III, *Exposcit;* — Cst., X, 7), quæ talis esse debet ut aptus censeatur qui promovendus est, ad totam philosophiam, logicam scilicet, physicam et metaphysicam, et theologiam cum satisfactione docendam, in iis locis ubi est idoneorum auditorum et disputantium concursus. (C. G., VII, 33, 3; — VIII, 37, 2; — XXI, 18.) Physica porro audit physicam et mathesim elementarem, prout in regulis professorum philosophiæ determinatur. (C. G., XXII, 36. — Cf. litt. P. Beckx, *De trienn. philos. ordinand.,* ubi accuratius determinatur quid sit in scholis tradendum.) 172

Quod non relative sed absolute dimetiendum est, et quidem habita non ingenii solum, sed præsentis etiam doctrinæ ratione. (C. G., XII, 22, 1.) Id vero constare debet examine cujus leges infra exponentur. Eximuntur ab hoc examine : 1° qui theologicas facultates pro dignitate professi sunt; 2° qui actum generalem mane et vespere habuerunt, et judicibus designatis satisfecerunt[1] (Or., XVIII, 3, 6); si enim dubitatur nec a subrogatis assessoribus dubium tolli potest, examen est adhibendum (C. G., X, 13); 3° Doctores theologiæ si non dubitetur de eximia eorum eruditione (C. G., VII, 96) : tum vero nulla censetur dubitatio, cum jurare possint quatuor e Nostris idonei viri, tanta illos instructos esse doctrina quanta in Instituto requiritur ad Professionem. (C. G., XXIII, 19.)

[1] Non vero eximuntur qui actum publicum ante ingressum habuerunt, nisi concesserit Generalis ut quatuor examinatores judicium ferant, sicut pro Nostris (*a.* 1657, 1658). Neque eximuntur qui philosophiam docuerunt (*a.* 1629). De illo qui conclusionem impugnandam aut objectiones ab argumentaturis proponendas inquisiverit Cf. C. G., XI, 24, n. 6.

173 Ad Professionem tamen admitti possunt, quamvis mediocritatem in theologia non excedant, dummodo eam notitiam habeant quæ infidelium et hæreticorum conversioni sufficiat :

1° Viri in humanioribus litteris insignes, qui in iis docendis strenue laboraverunt. (C. G., VI, 15.)[1] Hujusmodi vero, si mediocritatem in scientia theologica non attigerunt, ad trium votorum Professionem admitti possunt (Ibid.);

2° Excellentes in lingua græca, et simul sufficienter periti in hebraica (C. G., IX, 32; — XIV, 17);

3° Sufficienter periti unius linguæ indicæ[2], qui apud Indos laboraverunt, nec eam linguam ut nativam a puero hauserunt (C. G., VI, 15; — XV, 11);

4° Qui alia egregia Dei dona habent, qualia sunt illustria talenta ad gubernationem[3] aut ad concionandum. (Cst., V, II, B. — C. G., VII, 33, n. 3; — XIII, 19.) Hæc vero in concionando præstantia talis esse debet, ut quis in præcipuis suæ regionis ecclesiis multa cum laude et fructu dicere possit. (C. G., XIV, 15.)[4] De uniuscujusque porro quatuor supradictorum talentorum præstantia constare debet suffragio judicum idoneorum juramento confirmato (C. G., XII, 24; — XIII, 19, non obstante C. G., XI, 3); resque demum Præpositi Generalis judicio definienda erit (C. G., XIV, 15), nec communiter et facile concedenda (C. G., VI, 15; — XII, 24);

5° Doctores in jure canonico, dummodo in hac scientia eam acquisierint præstantiam quæ ab aliis in theologia requiritur, ac de eo per quatuor examinatorum suffragium constet (nisi de scientia extra Societatem acquisita nulla dubitatio habeatur, testantibus quatuor juratis. (C. G., VII, 96; — XXIII, 19. — Cst., V, 2, B. — St. R. Prov. 19, n. 15.) Ut vero quis ad trium votorum

Professionem hoc titulo admittatur, sufficit ut mediocritatem superet. (C. G, XII, 23.)[5] Respuit autem C. G., XXI, 17, extensionem hujus privilegii ad præstantiam in scientiis physicis aut mathematicis[6]. Qui vero in celebrioribus universatibus doctores theologiæ evaserunt, si in prævio examine mediocritatem superent, possunt promoveri. (C. G., XI, 14. — St. R. Prov. 19, 15.)[7]

[1] Qui hoc titulo ad Professionem promoventur admoneri debent se eo ipso specialem obligationem contrahere ad litteras docendas, quamdiu Superiores id utile judicabunt (*b.* †, 1642). 174

[2] In Provincia Mexicana nemo ad Professionem quatuor votorum proponi debebat nisi aliquam linguam indicam sciret (*a.* 1646). Sed nemo ad Professionem ob peritiam linguæ indicæ admittendus erat, nisi : 1° eam actu sciret, ita ut concionari et audire confessiones posset; 2° nisi esset approbatus ab examinatoribus juratis; 3° nisi esset insignis operarius (1646).

Imo ordinatum fuerat pro Provincia Peruana ut nemo ministeria exercere permitteretur nisi linguam indicam cognosceret, et ut obligatio docendi grammaticam per tres annos commutaretur « in occupationes cum Indiis » (*a.* 1594).

[3] Talentum gubernandi supplens requisitam doctrinam debet esse tantum ut sufficiat ad gubernandam Provinciam totam (*a.* 1623). Porro præstantia talenti, ad gubernandum aut concionandum, debet constare experimentis nec vulgaribus nec mediocris temporis : ad hunc finem igitur differatur Professio. (C. G., XIII, 19.)

[4] Talentum concionandi supplens doctrinam debet esse tantum ut quis inter primarios Provinciæ concionatores censeatur (*a.* 1623). Ille vero de quo scribitur quod concionetur non sine commendatione Nostrorum et externorum, non potest adhuc dici quod habeat illustre talentum quale requirit regula 19 Provincialis et decretum 33 Congr. VII; adeoque non potest promoveri ad quatuor vota propter talentum concionandi (*a.* 1643); nec sufficere potest excellens aptitudo ad missiones (*f.* nov. 1832).

[5] Antequam ederetur hoc decretum C. G., 12, 23, concesserat P. Piccolomini ex consulto Assistentium, ut promoveretur licentiatus Salmaticensis in jure canonico qui nulla studia theologica in Societate peregerat, nec deerant exempla in hac Provincia (*a.* 1650).

[6] Id jam Provinciæ Venetæ negatum fuerat (*a.* 1661). Statutum porro est ut si quis excellit in philosophia et in theologia, sed in physica moderna nullo modo, vel solum mediocriter versatus appareat, id in suffragio declaretur (1841). Cf. C. G., XXI, 18.

[7] Universim tamen Doctores theologiæ ab examine in Societate subeundo

minime eximuntur, etiamsi theses publice defenderint (*a.* 1642), nec mos est in Societate titulorum extra eam acquisitorum rationem habere (1636 et plur.). Imo, ex dictis, post C. G., XXIII non eximuntur ab examine Doctores nisi juratorum judicio constet de eximia eorum doctrina.

175 II. — **Altera conditio.** — *Præstantia virtutis,* diligenter et valde perspecta et approbata, scilicet, quæ in eo consistit quod regulariter et ut plurimum secundum exigentiam virtutis quis operetur, spereturque idem facturus in difficilioribus, si occurrerent; qui parvos defectus religiose cavet; et si quando labatur, reprehensiones et pœnitentias libenter atque humiliter excipit atque culpam emendat; qui in quotidiano virtutum exercitio superioribus æque ac domesticis satisfacit. (C. G., IX, 6. — Julius III, *Exposcit;* — Gregorius. XIV, *Ecclesiæ.* — Ex., I, 8.)

Tandem requiritur sacerdotium (Gregorius XIV, *Ecclesiæ*). Et cf. cap. sq, n. 177.

CAPUT SEXTUM

DE NATURA ET EFFECTIBUS PROFESSIONIS

I. — **Natura** solemnis Professionis in hoc est quod Professus 176
se totum et immutabiliter Deo tradit et Societati, quæ hanc traditionem acceptat. (Cst., V, I, A. — Gregorius XIII, *Ascendente.*)

II. — **Effectus** Professionis sunt :

1° Facere ut difficillime expelli possit, nec nisi fere contumax et incorrigibilis sit[1]. (Cst., II, I, 1, A, C; — II, III, A; — IX, III, 1; — IX, IV, 7; — Gregorius XIV, *Ecclesiæ.*) Si quem vero ob suam incorrigibilem pertinaciam dimitti necesse sit, is cum onere suorum votorum manet (Cst., II, I, 1), dum Scholastici et Coadjutores ipsi formati liberi dimittuntur[2]. (Epit. P. IV, n. 145.)

2° Dare jus passivum in electione Generalis et nominatione Provincialium, Præpositorum Domus professæ, et præferentiam passivam in nominatione Assistentium (Cst., IX, V, A. — C. G., III, 21; — XIII, 12).

[1] De causis justis dimittendi Professum, cf. infra P. VI, c. 3, ubi de dimissione. — In Societate olim nullo modo dimittebatur Professus absque obligatione ad aliam religionem monachorum vel mendicantium transeundi (*a.* 1636-1642).

[2] Solus Pontifex ab his votis dispensare potest ; imo S. Thomas censet ne quidem Pontificem dispensare posse, 2. 2, q. 88, a. 11, quia de jure divino status religiosus est : contraria tamen sententia hodie communis est et praxi firmatur. At, de jure ordinario, Pontifex proprie non dispensat in ejectione, dimissione, sive etiam sæcularizatione Professi : remanet obligatio et vis voti, modus solum observationis variatur. (Cf. Nilles, S. J., *Disputationes selectæ :* De solemnitate votorum. Æniponti, Rausch, 1886. — Mélot, S. J., *De Ordinibus religiosis,* c. II. — Et infra, ubi de dimissis.)

177 3° Dare jus activum ad Congregationes Generales et Provinciales; in quibus Professi ante reliquos sedent, servato ordine Professionis[1]; aut si pares sint, temporis quo quis omnia requisita ex parte sui ad Professionem prius assecutus fuerit. Requisita porro ex parte religiosi sunt : biennium integrum probationis; tertius annus probationis (ad quem tamen non tenentur qui, Societatem, sive sacerdotes, sive absolutis studiis, ingressi unum saltem annum in novitiatu peregerunt); sacerdotium; virtus et doctrinæ præstantia; ætatis annus trigesimus tertius expletus; tempus sufficiens in Societate transactum, juxta superius dicta. (Ita P. Anderledy, 27 april. 1886, de dubio ipsi a C. G., XXIII, 47, remisso.) Si vero eodem die plures ultimum requisitum attigerunt, præferatur ille qui prius annos Societatis necessarios explevit; si eodem die expleverint, qui diutius in Societate vixit; tum qui major natu; tum sorti res committatur a Provinciali et Consultoribus. (Form., C. G., II, 6, et Prov., II, 8. — C. G., XIII, 10; — XIV, 19. — P. Anderledy, ibid.)

[1] Si quis dilatus fuit propter bonum Societatis, aut aliam causam inculpabilem, non potest computari ejus Professio a tempore quo jus habuisset (*a.* 1646. C. G., XII, 11); nec si quis primo invalide Professus esset (*a.* 1641).

178 Minime vero ab obedientia, regulis aut Superioribus non Professis debita, eximit Professio; nam in Cst., VIII, III, A, et C. G., I, 42, non agitur nisi de Provinciis et Domibus professis, in quibus non Professi præesse nequeunt. (C. G., III, 21.) Locus vero C. G., III, 3, in eumdem sensum a C. G., IV, 22, explicatus est[1].

Quod additur in formula Professionis : et *secundum eam peculiarem curam circa puerorum eruditionem,* nullam imponit peculiarem obligationem, sed hic inseritur ad commendationem hujus ministerii, quod neo-professus per quadraginta dies exercere debet, intra annum. (Cst., V, 3, B. — C. G., I, 138; — II, 58.)

[1] « Professorum privilegia propria sunt habere obligationem ut sint magis humiles et magis obedientes » (*a.* 1577. Ever. Mercur). Unde respondit ibidem P. Mercurianus de quodam P. Sedamio : « Si eat in Philippinas, promo-

veatur ad professionem quatuor votorum ; si non proficiscatur, fiat Coadjutor spiritualis » (*a.* 1577).

III. — **Quarto voto solemni se obligant** Professi ad obedientiam 179
summo Pontifici *circa missiones*. Id vero juxta Constitutiones complectitur : 1° ut neque directe neque indirecte curent cum Summo Pontifice ut huc potiusquam illuc mittantur; 2° ut quocumque jusserit pergant; 3° illico absque tergiversatione aut excusatione; 4° non exacto viatico; pedites vel equites, prout voluerit[1]. (Paulus III, *Regimen;* Julius III, *Exposcit;* Gregorius XIII, *Ascendente*. — Ex., I, 5. — Cst., V, III, 3, C; — VI, II, 13, I; — VII, I, 1, n. 2, 3, B.)

Hæc quoad substantiam voti; quæ vero subsequuntur non ad substantialem voti materiam, sed ad faciliorem ejus exsecutionem pertinent. (Cf. Epit., P. III, n. 29.)

Potest Generalis summo Pontifici representare si quem minus idoneum mitteret. (Cst., VII, I, C.) Juvabit totam de negotio et ejus modo mentem Pontificis, scripto consignatam aut certe verbo tenus, habere, et missum consiliis ac instructione Superioris juvari. (Cst., VII, I, 5, E, F, G.) Si nullum certum tempus missioni determinetur, trimestre sufficiet aut id tempus quod Præpositus determinaverit. (Cst., VII, I, 6; — IX, III, G.) Interim vero nihil vetat excursiones facere quæ missionem præscriptam non impediant. (Cst., VII, I, 7.) Novus Papa a Generali de hoc voto, intra annum, monendus est. (Cst., VII, I, 8. — Reg. Secret., 18.)

[1] Hæc Professorum obligatio excedit obligationem aliorum christianorum, imo et aliorum religiosorum, qui, excepto rarissimo casu necessitatis Ecclesiæ, non tenerentur, in re adeo difficili et excedente regulas aliorum Ordinum, Summo Pontifici obedire. Neque ubi mortis periculum adest, tenerentur ipsi Scholastici et Coadjutores formati, vi voti obedientiæ generalis, quod extenditur ad omnia quæ Constitutiones non excedunt. Etsi enim hujusmodi missiones conformes sint Instituto (C. VI, 3, 5. — VI, 2, 13), attamen Constitutiones, utpote lex humana, cum gravissimo incommodo obligare nequeunt. Neque tenerentur Scholastici aut Coadjutores formati saltem sub gravi ad non petendum viaticum. (Sanchez. l. VI, c. II, 47. et c. XVIII, n. 6. Palao. Tr. XVI, d. 5, p. 3, n. 3.)

CAPUT SEPTIMUM

DE VOTIS SIMPLICIBUS PROFESSORUM

180 I. Primum est de **non relaxanda paupertate**, quo Professi promittunt nihil se tentaturos aut consensuros, nec privatim nec in Congregatione generali ulla ratione id curando, ad mutandas Constitutionum de paupertate præscriptiones, nisi restringendæ viderentur. Quod intelligitur de admittendis redditibus, vel possessione ulla, sive in proprium usum, sive pro Domibus professis, sive pro sacristia vel pro fabrica, sive ad aliquem alium finem, præter id quod ad Collegia et Domus probationum attinet. (Cst., VI, II, 1, A.)[1]

[1] Hic textum fere ipsum Constitutionum retulimus. Ita declaratur a Suarezio : 1° Materia hujus voti est jus Societatis quoad votum paupertatis : scilicet. vovet Professus se non acturum aut consensurum mutationem quoad *jus* circa ea ad quæ ex Constitutionibus obligamur vi voti paupertatis, nisi ad restringendam paupertatem; et hoc quidem de cujuscumque gradus voto agatur. Hinc *facta* a Professo contra paupertatem essent contra votum solemne paupertatis : *jus* relaxativum paupertatis a Professo procuratum aut consensum esset contra illud votum simplex.

At negat P. de Réverseaux materiam se extendere ad ea de quibus dubitatur utrum sint directe de voto an solum de regula. (Editio Suarez., p. 346, nota 2.) Attamen respons. fuit (*a.* 1619, 1622) : « Votum... complectitur omnia quæ ad propriam rationem paupertatis nostræ pertinent, adeoque etiam non admittendum stipendium vel eleemosynam propter missas et ministeria Societatis. » — 2° Obligatio est negativa, scilicet ad nihil faciendum aut cooperative consensurum : non est autem obligatio ad resistendum positive. — 3° Prohibitus consensus est consensus consultativus aut deliberativus. at non consensus mere negativus. Hinc 4° probabiliter posset accipi relaxatio a Pontifice indulta; et ita innuitur sensisse C. G., II, can. 21. —

5° Si majus bonum requireret relaxationem, ob mutatam materiam cessaret obligatio voti. Imo, in dubio, possint discuti rationes dubitandi; securius tamen a S. Pontifice peteretur dispensatio, ac libratæ rationes ei proponerentur ut ipse quid melius statueret. (Cf. Suar., l. VI, c. IV.)

II. Secundum de **non ambiendis prælationibus vel dignitatibus in Societate**. Prælatura porro et dignitas in Societate habentur ut synonima. Assistentes non censentur Prælati. (C. G., VII, 44.)[1] Qui de ambitu esset convictus incapax prælaturæ fieret. (Cst., X, 6.)[2] 181

[1] Votum de non ambiendo intra Societatem, juxta Suarez. (L. VI, c. VII.) 1° Obligat ad non ambiendum sive directe, sive indirecte, aliqua externa actione *effective* movente aut causante, ut essent obsequia ad captandam benevolentiam fine ambitioso etiam occulto; ex eodem fine procuratio sibi facta bonæ informationis apud Superiorem etiam veræ; probabiliter fictio virtutis aut scientiæ ex eodem fine. At non comprehenduntur voto actus interni desiderii, nec actus externi *objective* moventes, ut si quis ex illo desiderio magis capacem se redderet; item, si quis bene suo officio fungeretur ut in eo continuetur, « nisi per actum externum ex se quasi determinatum ad significandam hanc intentionem exterius prodat » (*a.* 1624). 2° Voces dignitatis et prælaturæ convertuntur in Societate. Et ex dictis consentit Suarezio Congr. VII. Prælati porro sunt : Generalis, Vicarius generalis, Provincialis, Rector Collegii et Superior Domus professæ, Visitator si id apparet ex delegationis commissione; adde ex Suarezio munus novum extraordinarium quod quis prætenderet; non autem Regens Convictus in antiquo stylo (*a.* 1615); nec Superior Residentiæ (*b.* †, 1615); nec Elector ad Congregat. Generalem (*a.* 1646); nec Minister, Consultor, Magister novitiorum, Assistens. (De Assistentium tamen electione in C. G., cf. censuras, P. VI, c. 2.) Quod dicitur de acquirenda prælatura, extenditur (*a.* 1622) ad actionem externam qua procuratur ambitiose continuatio in prælatura jam habita. — In formula voti, verba *acturum vel prætensurum* videntur synonyma ex originali hispanico, et requirunt actum externum (*a.* 1623).

[2] Incapacitas ad ambitam prælaturam extenditur ad quemlibet de Societate qui convinceretur eam ambitiose quæsivisse. (Paulus III. *Licet.*)

III. Tertium de **non ambiendis prælaturis vel dignitatibus extra Societatem**, nec consentiendo in sui electionem, nisi is ad hoc cogat qui præcipere potest sub pœna peccati[1]. Sic eradicatur ambitio et cavetur ne Societas viris maxime necessariis privetur. (Cst., X, 6.) De omnibus dignitatibus ecclesiasticis aut laicis id 182

est intelligendum[2]. (Urbanus VIII, *Vota,* jan. 1631). Per quamcunque dimissionem a Societate non extinguitur hoc votum (Urbanus VIII, *Honorum,* 26 febr. 1643); et a solo Papa solvi potest, non secus ac primum votum de paupertate non relaxanda. (Paulus V, *Ex incumbenti,* 31 jan. 1618. — Urbanus VIII, *Vota,* 25 jan. 1631.)

[1] Juxta Pellizzarri sufficit præceptum sub levi Cf. Pellizzari, t. IV, c. v, n. 255. — Lugo, Resp. mor., l. III, dub. v, n. 7); insuper censet idem Suarezius votum non comprehendere casum quo quis ex caritate, judicio prudentum, stricte ad acceptandum obligaretur.

[2] Prælaturæ nomine intelligitur generatim beneficium majus, ut sunt ea quæ habent in foro externo perfectam aut quasi perfectam jurisdictionem, v. g. Episcopatus, Prælatura *Nullius.* Dignitas indicare videtur beneficium jurisdictionem fori externi habens imperfectam cum conjuncta præeminentia. Sed hæ voces passim non ita accurate determinantur. Porro officium Vicarii generalis in Canada non est admissum, quia prælatura est (*a.* 1648, etc...), aut saltem habetur ut dignitas; sed Vicarii foranei admissum est in Mexico, quia non est dignitas (*a.* 1667), nec habet jurisdictionem ordinariam (*a.* 1664). Repudiatum est officium Assessoris in S^to^ Officio (*a.* 1633-1664). — Episcopatus in Japonia, etc, etc., qui ob miserias a plerisque repudiantur, facilius admissi sunt (*a.* 1624), non tamen absque difficultate : 1° Quia janua hæc non debet dilatari; 2° quia miserias removere possunt quorum interest; 3° quia Societas non debet melioribus operariis privari; 4° quia conformius est Instituto (*a.* 1625). Ideo reprehensus est Provincialis Lusitaniæ quia facile consenserat ut unus e Nostris proponeretur ad episcopatum Sinensem (*a.* 1663). P. Honufrius Vermicus e Societate dimissus est, quia ejus rogatu Regina Hispaniæ ad Pontificem scripserat ut fieret episcopus aut cardinalis (*a.* 1623).

Adverte tamen non amplius voto ligari qui jam promotus fuerit legitime ad dignitatem v. g. episcopatum, quoad dignitates majores v. g. archiepiscopatum, cardinalatum; nec sub nomine dignitatis intelligi summum pontificatum. (Suar., l. VI, l. c., n. 11 et seq.) Vicarii apostolici, non secus ac cæteri Episcopi, Generali non subduntur (nisi quatenus essent simul Superiores religiosi), sed summo Pontifici. Generalis tamen consilia audire tenentur, maxime si sint Professi. (*d.* P. A., 13 mai 1853.) Et in genere quoad obligationes religiosas Episcopi Regularis, cf. Bizzarri *Collectanea,* in Alexien, 6 maii 1864.

183 IV. Quartum de **denuntiandis ambientibus** dignitates intra, vel etiam, extra Societatem (et in hoc sensu formula voti ex Constitut. petita a C. G., III, 46, paulo immutata est). Ipsi non Professi denuntiandi sunt. (Cst., X, 6. — C. G., III, 46; — IX, 13.)[1]

V. Quintum de **audiendis consiliis** quæ Professo (si ad episcopatum eveheretur) Præpositus Generalis per se vel per alium dare posset (nam ad hæc danda Præpositus non tenetur); iisque sequendis si ea Professus meliora judicet. (Cst., X, 6, A.)[2]

[1] Suarez recte docet obligationem denuntiandi non existere nisi ubi res certo constat (lib. VI, cap. x, n. 11); et ex ipsis voti terminis concludit cessare obligationem quando de re omnino præterita agitur (n. 14, 15).

[2] Vota simplicia Professorum iteranda sunt quando Professio fuit invalida, quia ipsi innituntur (1640). Possunt fieri post prandium, aliquibus præsentibus (1561).

CAPUT OCTAVUM

DE RITU PROFESSIONEM EMITTENDI

184 I. **Quæ prius præstanda.** — Antequam Professionem quis emittat, debet relinquere bona sua (Ex., IV, 2.), de quo cf. supra ubi de renunciatione; Superiori domus rationem conscientiæ reddere triginta diebus ante Professionem (Ex., IV, 38); ostiatim per triduum mendicare[2] (Ex., IV, 27); exercitia spiritualia per octiduum facere[1] (Ex., IV, 41); necnon et confessionem generalem. Debet præterea litteras Apostolicas et Constitutiones considerare[3], item et vota a se mox emittenda. (Cst., V, III, 2.)

[1] Non intra, sed vel ante, vel post exercitia « magis expedit » eos mendicare (*a.* 1636). — Ubi nimium est incommodum extra domum mendicare, id fiat in refectorio (*a.* 1635).

[2] Nisi quis ea peregisset ante tres menses; tunc enim urgendus non esset ad ea repetenda (*a.* 1628); sed sufficeret ut per duos aut tres dies se colligeret (*a.* 1622). Vituperatus tamen aliquis qui exercitia in autumno facere omiserat, quia ea erat, mense februario, ante Professionem obiturus (*a.* 1666).

[3] Si tamen satis cognosceret Constitutiones, non esset necesse eas iterum legere (*a.* 1590).

185 II. **Quæ in ipsa Missa.** — Qui ad Professionem admittit, celebrata publica missa[1], coram domesticis et externis[2], cum S. Sacramento ad eum qui Professionem emissurus est se convertit, qui, absoluta generali confessione, alta voce, votum suum legat scriptum[3]; post hæc sumet S. Sacramentum. (Cst., V, III, 2, 4. — R. Prov. 70. — C. G., XII, 56, n. 7.) Nihil his addendum.

(C. G., I, 36.)[4] Ex his id solum essentiale est ut publice et tanquam solemne votum et emittatur et admittatur. (Cst., V, III, A.)[5]

[1] Non convenit ut Rector Professionem excipiat si missam celebrare non possit ; potius alterum sibi substituat (*a.* 1658). Valida tamen est Professio, si is qui ad eam excipiendam designatus est solummodo adsit (*f.* 24 oct. 1835), intellige, dum ipse admittat eam ; imo hic posset non esse sacerdos. (Cst., V, 3, A.) « Solemnitas Professionis (*accidentalis*) est, ut fiat sub officio ubi est cantus, vel saltem cum duobus ministrantibus, ubi cantus non est » (*a.* 1579). Non tamen convenit concionem haberi (*a.* 1581) nec olim, si die non festivo fieret Professio, mos erat vocari externos ad prandium, musicam et ornamenta extraordinaria adhiberi (*a.* 1561).

[2] Dubium est utrum valeat Professio facta in loco non publico, sine præsentia testium. Sentit Suarez illam valere, quia non invenit irritatam nec a jure communi, nec a jure Societatis speciali. Locum vero Constitutionum (P. V, 3, A.) ita fortasse intellexit ipse, quasi legendum sit « qui *forte* adfuerint. » E contra Schmalzgrueber (l. III, c. XXXI, n. 579) præsentiam testium ad validitatem requirit ex jure Societatis. Tutiori parti standum. Hinc « securitatis causa, iteranda Professio quæ non est facta aliquibus præsentibus tam e Nostris quam externis » (*a.* 1620). Quare cum « aliquorum Professio et vota publica fierent in sacello S. P. N. semper advocati fuerunt aliqui externi. Idem factum est Tusculi, dum P. Ignatius Thunhausen eam in privato sacello faceret » (*a.* 1642). Item iteranda fuit professio facta in oratorio coram uno solo e Nostris (*a.* 1620).

[3] Si plures eodem die professuri sunt, videtur ordo profitendi desumendus ex Ordinatione P. Anderledy superius relata. (n. 177.) Hinc non attendenda antiquitas in sacerdotio, nisi in quantum esset ultimum requisitum. Verum est responsum fuisse hujusmodi antiquitatem etiam præferendam in quibusdam aliis casibus (*a.* 1637, 1646). At hæc responsa antiquata videntur per d. 10, Congreg. XIII, an. 1687 habitæ. — Observandus est ordo, etiamsi aliquis e neoprofessis sit Rector (*a.* 1587, 1609). Qui per errorem aut aliter, minus antiquus prius antiquiori professionem emiserit, antiquiorem præcedet postea, si Professio non emissa fuerit eodem die (*a.* 1639, 1646. — C. G., XVII, 10) ; e contra antiquior præcedet, si eodem die. (*a.* 1640.)

[4] Inseranda sunt Professioni, non secus ac votis simplicibus, quæ sequuntur : nomen et cognomen tum emittentis, tum ejus qui professionem excipit (*a.* 1619, 1636). Hujus, non vero illius, officium exprimendum est (*a.* 1649) ; haud secus ac nomen loci et tempus (*a.* 1636).

[5] Utrum *legere* votum sit de valitate, dubium movit Suarez, disputat et negat Lugo. Cf. Resp. mor., l. IV, dub. 38.

186 III. **Quæ post missam.** — Postea emittuntur etiam a Professis trium votorum vota simplicia, juxta formulàm a C. G., III, 46, recognitam[1]. (Cst., VI, 2, n. 1 : — X, 6, A. — C. G., IV, 54. — R. P., 70, 71.) Et inscribitur nomen ejus qui emisit et ejus qui accepit Professionem in libro qui apud Provincialem et in altero qui apud Rectorem servatur; et exemplum Professionis et votorum simplicium, nomine emittentis subscriptum, ad Generalem per Provincialem transmittitur[2]. (Cst., V, III, 4. — Reg. Prov., 72, 73.) Post emissam Professionem, tradenda est per quadraginta dies doctrina christiana pueris et rudibus. (C. G., II, 58; — I, 138. — Reg. Prov., 71.)[3]

[1] Qui hæc vota excepturus est, si extra missam proferantur, prius vestes sacras debet exuere (*a.* 1616); non necesse est siquidem ut post communionem statim fiant; imo possunt post prandium coram aliquibus fieri (*a.* 1561).

[2] « Mos Societatis non habet ut postquam quis admissus fuit ad gradum, lapsus in morbum, accipiat gradum in lecto » (*a.* 11 dec. 1627 et it. 1622); « cum nulla sit necessitas » (*a.* 1638). « Potest tamen hoc subinde fieri, et P. Claudius contulit uni eadem postmodum die mortuo » (*a.* CC. 26 jul. 1627), « ut retulit P. Mutius » (*a.* CC. 1637). Lente deficiens et in lecto decumbens admitti potest ad Professionem » (*a.* CC. 1637).

De humilitate et paupertate retinenda in exteriori Professionis solemnitate, Cf. P. Laynezii ad B. Canisium litteras monitorias apud P. Oswald, n. 393.

[3] Huic obligationi non satisfit per exhortationes ad sodales, nisi Provincialis dispenset (*a.* 1590, 1612, 1642); nec per conciones, nisi aliqua pars earum in explicatione doctrinæ christianæ consumeretur (*a.* 1553); nec explicando doctrinam christianam discipulis scholarum superiorum et humanistis (*a.* 1653); neque si, per viginti dies, quadraginta vicibus eam quis tradat (*a.* 1627). Qui e Coadjutore formato fit Professus eidem obligationi subjacet (*a.* 1587). Qui simul Rector fit et Professus octoginta diebus doctrinam tradere debet (*a.* 1625).

« Professio contra mentem Generalis admissa sine culpa emittentis potest per ratihabitionem convalidari » (*a.* 1625). Aliud esset si invaliditas proveniret non ex defectu intentionis ex parte Generalis, sed ex defectu potestatis. (Cf. supra, cap. IV, n. 169.) Quando vero iteratur Professio, debet fieri publice coram aliquot testibus e Nostris et externis, quantum satis fuerit ut publica sit Professio et probari possit (*a.* 1640). « Professio ex defectu legitime admittentis facta, est nulla, debet consueto modo repeti, nec potest teneri..... : cederet enim hoc in damnum tertii » (*a.* 1632).

CAPUT NONUM

DE PROFESSIONE TRIUM VOTORUM

I. — **Quinam ad hunc gradum admittendi.** — Admitti possunt 187
ad hunc gradum[1] qui doctrina minori pollent quam ut ad Professionem quatuor votorum evehantur[2], dummodo sint saltem apti ad confessarii munus, sed aliunde magna devotione, donis egregiis sint prædíti, aut de Societate bene meriti (Cst., V, III, 3, C. — Ex., I, D. — Julius III); aut qui juris canonici sufficienter, non insigne tamen, sint periti (Cst., V, 2, B); aut qui, in theologicis mediocritatem non attingentes, insignes in litteris humanioribus docendis fuerint, aut indicas linguas addidicerint et cum fructu in his missionibus laboraverint. (C. G., VI, 15.)[3]

Hi post septennium in quo talenti ac virtutis satisfactionem non mediocrem dent[4], admitti possunt. (Cst., V, III, 3.) Possunt post novitiatum admitti qui jure majoratus in Hispania gaudent, si non aliter eo se abdicare possint; sed cum magna cautione hujusmodi sunt recipiendi. (C. G., V, 18.)[5]

[1] Hic gradus non est regulariter intermediarius inter gradum Professorum quatuor votorum et gradum Coadjutorum formatorum; sed quædam dispensatio qua quis ad gradum Professorum extraordinarie evehitur. Ideo raro utendum est hac exceptione (*a.* 1578, 1598, 1619, 1621).

[2] Ne quidem requiritur ea mediocritas, quæ est conditio ut ii qui ad gubernandum et concionandum egregiis talentis sunt prædíti ad Professionem quatuor votorum admittantur (1637); nullum proinde examen adhibetur (*a.* 1598).

[3] Non vero conceditur Professio trium votorum ob eximiam aptitudinem

ad concionandum aut gubernandum (*a.* 1643). Nec eo quod quis ad grammaticam perpetuo docendam se obtulerit (*a.* 1639, 1650). Conceditur vero ob nobilitatem, ob beneficia Societati præstita. Ita, v. g. (*a.* 1598, 1640). « Dena vel duodena florinorum millia Societati donata sufficiunt ut trium votorum Professio, titulo benefactoris, conferri possit, *reliquis requisitis positis.* » (*a.* 1641). Conceditur etiam quia aliquis impeditus fuerit in studiis; ob charitatem insignem erga moribundos (*a.* 1637); ob peritiam et strenuitatem insignem in negotiis tractandis (*a.* 1625). Confessario Reginæ Poloniæ, qui erat Professus trium votorum, concessum est ut secreto Professionem quatuor votorum emitteret, et obtentum est Breve ut omnibus privilegiis quatuor votorum frueretur, quasi ea in prima Professione emisisset (*a.* 1662).

[4] P. Mutius saltem 12 annos in Societate transactos requisivit (*a.* 1640). Nunquam requisita est ætas 33 annorum (*a.* 1638).

[5] Item qui de consensu uxoris ingrederetur Societatem et juxta canones Professionem emittere deberet (ex praxi juxta Mangioni).

188 II. — **Eorum jura** sunt ut in Congregatione generali et provinciali admitti possint, in iisdem casibus ac Coadjutores formati, sed cum præcedentia in eadem Congregatione; etsi nec in Generalem nec in Assistentes nec in deputatos ad Congregationem generalem, nec in Secretarios Societatis, nec in Provinciales, nec in Præpositos Domorum professarum eligi possint. Possunt tamen præesse Domibus professis, si sint ministri, mortuo Præposito ejusque successore non designato. Quoad cætera, voce activa et passiva fruuntur. (Cst., VIII, 3, A. — C. G., I, 42; — III, 21; — VIII, 20.) Sedent in Congregatione post Professos quatuor votorum. (F. C. G., 60, Prov. 15.)[1]

[1] Juxta Suarezium, Professi trium votorum habendi sunt ut Professi quoad effectus Professioni solemni adnexos ex jure communi, et quoad specialem in Societate obligationem quinque vota simplicia emittendi; fere vero ut Coadjutores spirituales quoad effectus Professioni adnexos ex jure Instituti nostri particulari, quales sunt actus pertinentes ad principales regiminis partes. Quamobrem licet specie tenus videntur Coadjutoribus similiores quoad requisita et quoad jura per actus frequentiores exercenda, et ideo hanc Professionem recte potuit Suarezius dicere dispensationem in gradu Coadjutorum, juridice tamen et realiter sunt simpliciter Professi. Cujus rei effectum clarum habes in ipsorum dimissione, in qua haud secus ac Professi quatuor votorum ligati votis suis manent, dum Coadjutores formati abeunt a promissis soluti.

(Cf. Suarez, Ed. P. de Reverseaux, p. 392, cum nota.) Hinc intelliges quomodo non inter se pugnent responsa sequentia : « Gradus Professorum trium votorum non est diversus a gradu Coadjut. spiritualis, sed dispensatio in illo, juxta sententiam quæ magis probatur » (*a.* 1648). — « Gradus Professionis trium votorum non est gradus medius inter gradum Coadjutoris et Professi quatuor votorum, sed venit simpliciter nomine Professionis » (*a.* 1538).

III. — **Quænam obligationes.** — Obligationes eædem Professis 189
trium votorum ac Professis quatuor votorum incumbunt, exceptis missionibus, ad quas speciali voto non obligantur. — Debent et ipsi vota quinque simplicia emittere quæ alii Professi. (C. G., IV, 54.)[1]

[1] Hæc vota iterare debent si ad Professionem quatuor votorum evehantur (1587).

CAPUT DECIMUM

DE COADJUTORUM SPIRITUALIUM VOTIS

190 Qui ad hunc gradum evehuntur Coadjutores spirituales dicuntur, quia Societatem professam in spiritualibus ministeriis adjuvant. Dicuntur præterea formati, quia ultimam formam sui religiosi status induerunt. (Paulus III, *Exponi.* — Gregorius XIII, *Ascendente.* — Ex., I, 9; VI, 1.)

I. — **Conditiones** ut quis ad hunc gradum admittatur sunt :

1° Ut Societati de ejus vita et bono exemplo sit satisfactum, utque tanquam certum ducatur eum spiritualem futurum. (Cst., V, II, 4; — VI, III, 1.)

2° Doctrina sufficienti instructus esse debet ad audiendas confessiones, ad exhortandum, ad doctrinam christianam et litteras edocendas religionemque a communioribus objectionibus tuendam. (Paulus III, *Exponi.* — Ex., VI, 1, 2. — Cst., VIII, I, 2. — Or., XVIII, 1. — C. G., XXI, 16.)

3° Omnes sacerdotes esse debent. (Paulus III, l. c.; — Ex., VI, 1.)

4° Tempus admissionis ordinarie, prout commendatum fuit P. N. citra novam obligationem aut validitatis conditionem, non debet esse ante annum Societatis decimum et ætatis trigesimum expletum. (C. G., XII, 14. — Ord., XVIII, 1, 5.) Potest tamen hoc tempus prorogari. (Ex., I, 12. — Cst., V, II, 4. — Gregorius XIV, *Ecclesiæ.*)[1]

[1] Quantum fieri potest, servanda est, pro Coadjutoribus spiritualibus, non secus ac pro Professis, æqualitas, in provehendis iis qui æquales sunt in vita religiosa (*a.* 1616, 1618, 1621). — Decennium porro in Societate transactum ab iis etiam requiritur qui extra eam studia absolverunt (*a.* 1640, 1644). Septennium sufficere censuerat P. Claudius (*a.* 1587); sed ipse explicuit terminum hunc non esse stricte sumendum (*a.* 1661). Coadjutori qui e Societate exiit et ad eam regressus est, non debet contrahi tempus ad emissionem ultimorum votorum, nisi Generalis dispenset (*b.* †, 1658).

II. — **Effectus horum votorum.** — Hæc vota, quamvis publica, 191
sunt tamen simplicia. Hinc : 1° firmius Societati adstringunt; etsi ex parte Societatis remaneat libertas dimittendi (Ex., VI, 8, A; — Cst., V, IV, B; — Julius III, *Exposcit;* — Gregorius XIII, *Ascendente;* — Gregorius XIV, *Ecclesiæ*); dimitti tamen Coadjutores spirituales nequeunt nisi a Generali, et ex causis gravissimis, dimissi vero a votis solvuntur. (Cst., II, I, 1, A.)[1] 2° Incapaces sunt dominii aut hæreditatis sive per testamentum, sive ab intestato, et ipsi Coadjutores, et Societas eorum ratione[2]. (Cst., VI, II, 11, 12, H. — Gregorius XIII, loc. cit.) Non magis quam Professi ex redditibus Collegii ali, exceptis excipiendis, possunt (Ex., I, 4; — Cst., II, 4); debent enim ordinarie in domibus Professorum commorari. (R. Prov. 74.) 3° Possunt ad Congregationem generalem et provincialem vocari; suffragio tamen passivo in electione Generalis et, ut plurimum, in electione Assistentium non gaudent. (Cst., VIII, III, A; — IX, V, 3, A. — Form. Cong. gen., 78.) Ex iis debent ordinarie eligi Rectores Collegiorum[3]. (Cst., IV, X, 3, A; — VI, II, 4. — Cl., VI, 7.) 4° Participes sunt omnium bonorum operum, meritorum gratiarumque spiritualium Societatis. (Paulus III, *Exponi* et *Licet*.)

[1] Equidem in hoc eodem loco permittit B. P. N. ut Generalis Provincialibus facultatem det Coadjutores formatos dimittendi, saltem in remotissimis regionibus, ubi ejus decisio diutius exspectanda esset. Verum facultas hujusmodi constanter negata est etiam pro insulis Philippinis (*a.* 1578, 1633, 1641).

Quænam sit justa causa dimittendi Coadjutores, in Instituto non determinatur. Experientia tamen et indole hujus gradus innixus, Suarezius requirit causam non temporalem sed spiritualem, et quidem contrariam Religioni non negative solum, sed positive. Hinc infirmitas corporalis non sufficit ad dimis-

sionem etiam concedendam, nec inutilitas ad ministeria Societatis, nec difficultas indolis non positive perniciosa, ubi præsertim hæc habita fuisset jam ante ultima vota; sed necessaria est incorrigibilitas, omni præmisso curationis tentamine, in se perniciosa. Ratio est quia Coadjutor admissus fuit non ut probandus, sed cum suis imperfectionibus ut probatus et inventus sufficiens ad ultimam formam sui religiosi status. (Cf. Suar., l. VII, c. II, n. 12.) E contra Scholasticus ex ipso suo gradu adhuc in probationibus versatur. De casu scandalosæ culpæ, cf. infra, P. VI, c. 3, ubi de dimiss. Professorum.

[2] Hic effectus voto paupertatis adnectitur ex jure speciali Societatis. Votum obedientiæ nil habet peculiare. Votum castitatis irritat matrimonium contrahendum, non vero contractum.

[3] Imo et aliquando Visitatores facti sunt (1640). Ascensus ex gradu Coadjutoris spiritualis aut Professi trium votorum ad Professionem quatuor votorum non est permittendus nisi ex gravissimis causis, si v. g. necesse foret aliquem ex his Provincialem facere. Hic solus casus est in quo hanc potestatem Generali competere censet P. Masellus Assistens Italiæ (*a.* 1598, 1622).

192 III. — **Ritus ea emittendi.** — Ritus iidem, ante, in et post horum votorum emissionem, servandi sunt, qui superius, ubi de Professione agebatur, descripti sunt, exceptis iis quæ spectant ad vota simplicia; sed retentis iis quæ pertinent ad docendam doctrinam christianam, eodem modo quo in Professione intelligendis. (Cst., V, IV, n. 1, 2, 3. — C. G., II, 58. — R. Prov. 71.)

IV. — **De hujus gradus acceptatione.** — Omnes ii quibus hic gradus assignatur obligantur ad eum acceptandum (C. G., V, 50, 1; — VII, 32; — Cl., VI, 9), et ad mutationem sui gradus non procurandam. (Ex., I, 9; — VI, 5, 6. — Cst., V, IV, 5.) Aliis vero severe prohibetur ne de hoc gradu abjecte loquantur : id enim substantiam Instituti attingeret, et gravi pœna puniendum esset, et si oblocutor gradum adhuc non fecisset, hoc ipsum in informationibus esset notandum. (C. G., XXI, 24.)[1]

[1] De merito hujus gradus et de ascensu ab illo ad Professionem raro et ex gravissima causa faciendo, cf. responsa Generalium apud P. Oswald, n. 377.

CAPUT UNDECIMUM

DE COADJUTORIBUS TEMPORALIBUS

I. — **De votis eorum**, sive simplicibus privatis sive publicis, 193
idem dicendum est ac de votis Scholasticorum et Coadjutorum spiritualium, nisi quod in informationibus, omittuntur ea quæ ad spiritualia ministeria referuntur. (Ord., XVIII, p. 2, 11. — Epit. III, 45.)[1] Non vovent puerorum eruditionem, ut Coadjutores spirituales.

Si legere nesciant, alium prælegentem pronuntiando sequantur[2]. (Cst., V, IV, C.)

[1] Coadjutores temporales non formandi sunt ante trigesimum annum nisi ob singulares dotes (1600). Coadjutorum dimissio in potestate Generalis est, cum hæc erga solos Professos sit restricta (*f.* P. A. 22 jul. 1830).

[2] Si nequeunt nomen subscribere, forment saltem crucem juxta nomen aliena manu subscriptum (*a.* 1590), aut nomen, aliena manu ducti, ipsi scribant (*a.* 1624). Hæc formula vernaculo idiomate quo fuit pronuntiata Romam mittatur (*a.* 1610).

II. — **Eorum dotes** quoad pietatem, indolem, speciem exter- 194
nam, vires corporeas, capacitatem eæ esse debent, quæ spem faciant fore ut non modo boni religiosi, sed et Societati utiles sint. (Ex., I, 9; — VI, 7. — Cst., I, II, 2, 3, 4, B. — C. G., XX, 12, 6. — Ins., VI, 4.)

III. — **Vestitus horum** honestus esse juxta morem patriæ, et a sacerdotibus nostris et a laicis eos distinguere debet (C. G., I, 95; — III, 22); ad hoc sottana dimidio palmo brevior esse debet[1], et

pallium ipsa sottana brevius, de quo diligenter et fortiter curent Superiores. (C. G., VI, 30; VII, 24, 1; XXII, 44, 6.) Pileus clericalis denegandus est, nec a Generali concedendus; imo prohibetur sub præcepto ne quis hoc decretum impedire tentet. (C. G., VII, 24, 2; — VII, 27; — IX, 24.) Superpelliceus, quando altari serviunt, ipsis concedi potest, annuente Generali. (C. G., I, 95.) Quando sepeliuntur, more clericorum induendi sunt, nisi ubi clerici absque clericalibus vestibus sepeliuntur. (C. G., I, 109; — IV, 4.)

[1] Non prohibetur hac regula dimidii palmi quominus sottana brevior sit, dummodo nulla sit indecentia (*a.* 1586). Non necessario applicanda est hæc regula zimarrio seu vestibus, ut aiunt, grossis, sed tantum sottanis et palliis (*a.* 1584).

195 IV. — **Eorum educatio et cura.** — Adjuvandi sunt Coadjutores : 1° *In novitiatu* (in quo saltem per unum annum vivent, etsi secundo anno ad Collegia mitti possint), Magistrum habeant in exercitiis spiritualibus; et per mensem ante vota ad novitiatum redeant, aut saltem se colligant. (Inst., VI, 5. — Ord., I, 16; — XIII, 8.) Intelligant se ad humilia officia destinatos esse. (Ex., VI, 3.) Nec proinde legere discant aut scribere[1]. (Ex., VI, 6. — Reg. Comm. 14.) In externa tamen et religiosa politia instituantur. (Inst., VI, 4.)

[1] « Finita tamen probatione, si tempus et locus ferat, permittitur ut qui aliquid scit, paulo plus discat » (*a.* 1636). « Facultas Coadjutoribus ut discant legere, dari quandoque solet a Generali, non ob eorum conditionem, sed ob Societatis utilitatem, et quando abest periculum » (*a.* 1594). « Noluerunt mei antecessores dispensare cum nostris F.F. Coadjutoribus, in regula qua prohibentur discere legere aut scribere, nisi vere aliqua habuerint initia. Ab illorum in hoc sententia non facile discedam » (*a.* 1655).

Et Prov. Ludgun, licentiam hac de re generalem petenti, rescriptum : « Je vous accorde la permission de faire apprendre à lire et à écrire, et les premières opérations de l'arithmétique à tous les F.F. Coadjuteurs auxquels vous le jugerez à propos, *pro tua prudentia* » (20 jan. 1837). Quod, ut apparet, est dispensatio Provinciæ in specie facta, non universalis interpretatio. Non discant cantum musicum (*a.* 1627). Qui musicam norunt, hanc artem non exerceant, nisi, gravibus de causis, Provincialis aliter judicet (*a.* 1602.

1615). « Ut tamen emptor discat computare per calculos non est incommodum » (*a.* 1596). Apothecario negata est facultas legendi libros medicos (*a.* 1639); alteri edendi librum de pharmacorum compositione, etiam suppresso nomine (*a.* 1641, 1653, 1655).

Nullis Coadjutoribus est permittendum recitare diurnale vel divinum officium (*a.* 1584); nec ut recitent officium B. Mariæ Virginis secum invicem, ut faciunt sacerdotes (*a.* P. Claudius); nec ut in choro canant cum aliis (*a.* 1600); nec ut mulieres, etiam cum sociis, visitent sine causa alicujus momenti (*a.* 1590); multo minus ut medicos agant (*a.* 1655). « Non expedit ut ex Coadjutore temporali quis fiat Scholasticus, quia hæ mutationes in Societate multo plus detrimenti afferre possunt, quam sit exiguum emolumentum illud quod ab ejusmodi hominibus ad studia admissis accipi solet » (*a.* 1594). « Cum ad Societatis integritatem pertinere videatur ne quis ex Coadjutoris spiritualis statu ad sacros ordines promoveatur, adeoque a suo gradu transitionem faciat, permitti non potest » (*a.* 1641).

2° *Post* novitiatum frequenti, uno saltem per hebdomadam, 196
Superioris et Præfecti Spiritualis colloquio; hebdomadaria catechesi, aut apta et pia collatione quam conferret a Superiore ipso præstari; punctis meditationis quotidie explicandis (Cst., IV, iv, B; — C. G., VII, 80, 19; — VIII, 38, 4); curando ut omnes ei vacare possint, maxime qui tempore communis meditationis occupantur, et qui in villis versantur (C. G., VII, 25, 1); docendo eos modum recitandi Rosarium (Cst., III, i, R); indulgendo facilius ut frequentius communicent[1] (Reg. Rect. 34); cavendo ne otientur[2]; et ne domo soli exeant nisi maturi, et nunquam ad mulieres invisendas[3] (Cst., III, i, 3, C; — Or., ii, 17; — Instr. VIII, 3); non mittendo ad agros nisi probatos viros, nec solos ut pernoctent; si diutius permaneant, reficiantur in Collegio quoad utrumque hominem; iisque hac in re præferendi externi (Ord., ii, 17; — Inst., VIII, 4); nec nisi Provinciali aut Visitatori socios stabiles adjungendo a domesticis muniis immunes (C. G., VII, 29); non eos nimium urgendo, quod paci plurimum confert, aut, si periti sint, non facile eis contradicendo; ea vitando et severe cavendo quæ contemptum erga ipsos redolerent[4]; nec eorum officia quæ experientiam requirunt facile mutando. (Cst., III, ii, 7, F; — IV, x, 5, 6. — Inst. VIII, 5.)

[1] Non tamen inducendi sunt ad communicandum semel intra hebdomadam; qui id cupiunt et profecturi ex eo videntur, non sunt nimis rigide prohibendi (*a.* 1587). « Regula 34 Rectoris de communione infra hebdomadam non facile concedenda loquitur de Scholasticis, non de Coadjutoribus » (*a.* 1637). « Die dominica communicare debent Fratres Nostri, etsi Sabbato et die Lunæ subsequenti propter solemnitates communio sit facienda » (*a.* 1639). Ad communionem absque pallio non accedant (*a.* 1601).

[2] « Etsi debeat subinde dari aliqua recreatio Coadjutoribus, ordinariam tamen diem non habent, sicut Scholastici, qui propter studia indigent exercitatione corporis. Et Coadjutoribus temporalibus hæ rationes declarandæ sunt » (*a.* 5576). « Recreatio Coadjutoribus concedi poterit, non separatim diebus festis quibus potius convenit dare operam religioni et pietati, sed una cum Scholasticis; idque non omnibus simul, ne eorum officia penitus deserantur, sed per vices » (*a.* 1593, et similiter 1591).

[3] Nonnisi ob urgentem necessitatem Coadjutores, dissimulato habitu, extra domos mittendi sunt (*b.* †, 1587).

[4] P. Balthazar Alvarez visitator ordinavit et P. Everardus probavit ut compellarentur Coadjutores secunda persona per *vos*. Deinceps invaluit consuetudo tertia persona utendi, more scilicet hispanico aut italico, *usted, lei*. Re ad P. Claudium relata, respondit servandam esse simplicitatem Societatis, vitata rusticitate (*a.* 1587).

197 V. — **Eorum officia.** — Occupandi sunt :

1° In comitandis Patribus, ita ut eos solos, maxime cum feminis, non relinquant; monendo Superiorem si quid contra actum sit. (Reg. Coadj. 5; — Reg. Sacerd. 18. — Ord., IV, 3. — Inst., XV, 2.)

2° In variis officiis coqui, dispensatoris, emptoris, janitoris, infirmarii, lotoris, præfecti horti, eleemosynarum curatoris, scriptoris, sacristæ, maxime lotoris lineorum et tonsoris, aliaque hujusmodi quæ decentius domi quam foris fiunt. (Cst., I, II, 2, A; — III, II, 7, H; — IV, VI, 8; — IV, X, 7, H.)[1] Pro cæteris poterit plus minusve Superior alios deputare, cum fiet absque detrimento majoris boni vel nimia distractione. (Cst., ibid.)

3° In docendis pueris legere vel scribere, picturam, delineationem, nisi quid sit incommodi, et in aliis rebus majoribus, prudenter pro eorum talentis. (Ex., IV, 35; — VI, 6. — C. G., XX, 22.)[2]

[1] Non permittendum est ut Coadjutores corrogent eleemosynas easque servent (*a.* 1648) ; nec ut pecunias asservent ; v. g. sartor, hortulanus, ædituus (*a.* 1648, 1655) ; « officium procuratoris Collegii committi uni Fratri nunquam probavi, neque probarunt antecessores mei » (*a.* 1653, 1655). Nec ineant contractum, sed ad hæc officia deputentur semper sacerdotes » (*a.* 1650). Fabri in publicis operibus non exerceantur (*a*, 1575). Id tamen non prohibet quin pistores et sartores, item sutores ex consuetudine, in domibus habeantur (ibid). — Imo Provinciales curare debent ut non desint qui ad hujusmodi officia implenda apti sint, utque in tirocinio instruantur (*b.* ††, 1625). — Qui sciunt venam aperire, id facere possunt, ubi est urgens necessitas (*a.* 1579). Non tamen debent nostrorum mortuorum corpora aperire, sed per externos id faciendum est, si necesse sit (*a.* 1601).

[2] Aliquando concessum fuerat ut christianæ doctrinæ rudimenta tradere possent (*a.* 1590) ; sed nonnisi maturioribus et virtute præditis hoc munus tradebatur, ita ut simpliciter docerent *Pater, Ave, Credo* et similia, sine alio commentario seu exhortatione (*a.* 1590). Postea prohibitum est (1597).

VI. — **Eorum numerus** in Collegiis quartam, in Domibus pro- 198
fessis tertiam partem sociorum excedere non debet. (C. G. VII, 82, 3.)[1]

[1] At ex C. G., I, 103 collige qua cura angatur Societas ne recta institutio « vertatur in superbiam aut desidiam sacerdotum. »

Non computantur in hoc numero decrepiti et inutiles (*a.* 1646). Declaratum fuit post ea numerum eorum Coadjutorum qui in Collegiis ministeria obeunt in Domibus professis obiri solita, tertiam partem sociorum attingere posse (*a.* 1647). Extra numerum poni possunt fabri qui fabrilibus duntaxat operibus occupantur (*a.* 1647). Postulatum est, sed non concessum ut, in penuria Coadjutorum temporalium, admitti possint donati (*a.* 1655). Multo minus admittendæ mulieres in ancillas, sed potius supplenda paucitas Coadjutorum piis honestisque famulis. Quod iterum commendabat P. Anderledy (24 sept. 1891), etiam quoad quodcumque munus intra domorum septa exercendum a feminis quibuslibet, quantumvis piis ac religiosis, et quoad villas et missiones. In his vero Institutis quæ a Societate non plane pendent, « res erit cum eorum Præsidibus impense urgenda, ut ibi etiam Nostri longe ab omni cum feminis convictu ac consortio suum navent operam. Insuper rogabat P. N. ut causas penuriæ Coadjutorum exploraret Provincialis cum suis CC ; et non solum vernaculi, maxime inter eos qui domos nostras aut sodalitates frequentant, sed etiam alii quærerentur ex alienis provinciis unde major copia speratur.

CAPUT DUODECIMUM

DE TERTIA PROBATIONE

199 1. — **Ejus finis et obligatio.** — Finis hujus probationis est ut Nostri ad ultima vota emittenda dignius præparentur, utque in ea, velut in schola affectus, recalescat fervor qui in studiis forsan intepuit, ut fiant viri in vita spirituali perfecti, idoneaque instrumenta Societatis, omnibus nempe obicibus libera et præsidiis munita. (Cst., V, II, 1. — Or., III, 3, 4.) — Hic acquiritur plenior Instituti cognitio, quæ multum commendatur et de qua examinandi Tertiarii et informandi Provincialis et Generalis. (C. G., XX, 15.) — Ab hoc anno integre peragendo solus Generalis eximere potest (C. G., XVI, 34; — XX, 12; — XXII, 44), his solis exceptis qui studia extra Societatem absolverunt[1] (C. G., VIII, 9); et dummodo unum saltem annum novitiatus peregerint. (C. G., XX, 8.) Mature mittantur, et, si fieri potest, simul coætanei. (Or., III, 6.)

[1] R. P. Anderledy, in litteris 26 april. 1886, quibus solvebat dubia de requisitis ad Professionem ipsi a C. G., XXIII, 47, remissa, ait illos qui Societatem sive absolutis studiis, sive sacerdotes ingrediuntur, omnes quidem ad duos annos probationis teneri; ad tertium vero probationis annum solummodo qui unum saltem annum novitiatus non peregissent (*i*). — Litteris vero suis 8 decembris 1890, quibus commendabat tertiam probationem « non perfunctorie aut compendiario modo, sed integre, sed assiduissime » peragendam, negabat se « ullam legis gratiam facturum, quam Provinciæ Præpositus cum suis Consultoribus, justissimas ob causas, faciendam non judicaverit, quamque tertiæ probationis Instructor suis litteris ad me datis non probaverit » (*g*). Qui autem a tertio probationis anno eximuntur, antequam ultima vota emittant, exercitia spiritualia per mensem in aliquo novitiatu facere debent, in Provinciis quæ id petierunt (*a*. 1646). Eximi etiam potest a tertio probationis anno

qui socius Magistri Novitiorum fuit, non tamen qui fuit minister in novitiatu (*a.* 1637), nec minister Juniorum (*a.* 1632); nec ex sola hac ratione quod quis indigere non videtur (*a.* 1614); nec dispensandum est ob rationem petitam ex sola ratione personæ; sed tantum ex communi necessitate Provinciæ (*a.* 1604). Poterunt ad tertiam probationem mitti etiam qui unum annum in Societate studuerunt (*a.* 1636), pro quibus probatio contrahi poterit (*a.* 1639), tandem mitti quoque ad eam possunt omnes qui indigere videbuntur (*a.* 1601, 1636).

Non potest quis ministrum agere, dum in tertia probatione versatur. (*a.* 1621). Id denuo fuit commendatum (14 febr. 1848). Convenit differri probationem ei qui statim post Novitiatum studia absolvit (*a.* 1587). Cæterum nulli hæc probatio differenda est inconsulto Generali (*a.* 1651).

II. — **Instructoris dotes et auctoritas.** — Instructor is esse 200
debet qui auctoritate valeat et alias gubernaverit; aut similis quispiam quem Tertiarii magni faciant. (Or., III, 1, 2.) Eorum est ordinarius confessarius, non tamen ex obligatione, maxime si Rector est (C. G., XXXIII, 30. — Comp. Priv., n. 125); eosque a reservatis absolvere poterit[1]. Omnem auctoritatem habebit quæ ad eos formandos necessaria est; de spirituali eorum statu et profectu frequenter eos interrogabit[2]; litteras videbit et pro arbitrio reddet, pœnitentias ex devotione concedet[3]; in omnibus demum quæ perfectum religiosum facere possunt instruet. (Or., III, 2.)[4]

[1] Quamvis Rota Romana judicaverit nomine Novitiatus comprehendi etiam Domus tertiæ probationis, in Aronensi (*a.* 1661), et exinde, in rigore juris, possint videri ad Instructorem sese extendere privilegia Magistri quoad confessiones novitiorum audiendas, nihilominus, hac de re, et Generales (*a.* 1628, 1639) et Congregat XXIII, 30, contrariam in praxi admisit jurisprudentiam. Hinc applicandæ sunt Instructori præscriptiones communes tum de non audiendis ex obligatione confessionibus Tertianorum, si Rector fuerit, tunc de pluritate confessariorum, etiamsi Rector non fuerit. Cf. infra ubi de confess. nostris.

Instructor porro qui simul Rector sit, prius non fuit probatus (*a.* 1631), postea admissus fuit (*a.* 1633). Instructor Rectori domus subest, nec ipsorum Tertianorum vi sui officii proprie Superior est; (*a.* 1621); nequit proinde facultatem absolvendi a reservatis, quam habet, alteri dare (*a.* 1622, 1656). Prius responsum fuerat (*a.* 1622) non teneri Instructorem tertio quoque mense scribere ad Generalem; at in contrarium est *Practica ad formulam scribendi.* (P. I, c. II, § 2.) Possunt equidem Tertiani ad Superiorem recurrere si ab Instructore se gravari putant; non tamen debet prior aliquid facile concedere inconsulto posteriore (*a.* 1629).

[2] Rationem consientiæ, etiam Rector domus in votorum renovatione exigere potest, sed extra hoc tempus Instructori reddenda est (*a.* 1627).

[3] Ministri tamen erit, externæ disciplinæ invigilare, et pœnitentias ob ejus violationem imponere. — Rectoris erit (cum Ministro) regularum observationem urgere, pœnitentiis corrigere, monito Instructore (*a.* 1637); non tamen concedere facultatem dandi et accipiendi; id enim, per modificationem prioris decisionis (*a.* 1618), Instructori reservatur (*a.* 1647). Reservatur etiam Instructori quidquid ad directionem Tertianorum spectat; litteras videre (*a.* 1634), ad missiones destinare, conscio Rectore (*a.* 1636); concedere pœnitentias ex devotione (*a.* 1618 et pluries), facultatem dare bibendi extra tempus, diutius dormiendi, etc... (*a.* 1647). Habet Instructor cubiculum obseratum (*a.* 1634); potest habere pecuniam (*a.* 1634) etsi hoc prius (*a.*1618) negatum fuisset; non subest Superiori in his quæ pertinent ad suum officium (*a.* 1629). Non debet visitari sub oratione (*a.* 1634).

[4] Instructiones suas ex scripto legere non convenit (*a.* 1647).

201 III. — **Tertianorum officia.** — Patres tertiæ probationis eadem experimenta paragant quæ in novitiatu fiunt. In exercitiis tamen corporalibus, quæ valde moderata sint, potius humilitatis et intellectualis levaminis quam defatigationis ratio habeatur, et omnia cujusque necessitati et viribus attemperentur. Legent ad mensam[1]; silentium extra recreationem exacte servabunt; intimæ cum Deo familiaritati studebunt; distincta spatia meditationis habebunt, quæ, prout singulis utile erit, prorogari poterunt; lectioni spirituali incumbent pro qua libri non deerunt[2]; memoriam exercebunt[3]. Conferentias spirituales facient, aut etiam exhortationes tradere jubebuntur, in quibus ex abundantia cordis sui quæ sentiunt proferent. Studium eorum et Magistri instructiones erunt de Instituto, — de tradendis Exercitiis spiritualibus, — de modis variis juvandi animas, — de ceremoniis Missæ, — de confessionibus audiendis, præcipue ante experimentum missionis. (Or., III, 2, 3.)

[1] Sibi mutuo in sacris ministrare debent (*a.* 1647).

[2] Soli illi libri ipsis permittentur qui serviunt affectui (*a.* 1624).

[3] Neque permittetur ut, tempore ad hoc exercitium destinato, Constitutiones legant (*a.* 1624).

IV. — **Adjumenta ad perfectionem acquirendam.** — Ad per- 202
fectionem suæ vocationis omni ope acquirendam desudabunt. — De defectibus post prima vota observatis, antequam tertiam probationem adeant, monebuntur ipsi et Instructor (Or., III, 1, 2); et de toto hoc tempore ipsi Instructori, si Rector est aut ad id delegatus, rationem reddent. (Ex., IV, 30.) Initio interrogentur num firmi in sua vocatione sint (Ex., VII, 7) : non quasi liberum sit recedere, sed quia firmitas est conditio necessaria ad ultima vota. (C. G., IX, 39.) — De hoc examinentur sexto quoque mense. — A Provinciali crebro visitabuntur, excitabuntur et consolationem accipient. Qui non profecerint educendi sunt et alibi exercendi, ut denuo mittantur, nec antequam satisfacerent ad gradum promoveantur. De illorum profectu Instructor, tum in anni decursu, tum plenius in fine ipse et Rector Ministerque, Provincialem certiorem facient (Or., III, 1, 8). Scribet ad Generalem tertio quoque mense. (*Pract. ad formulam scribendi.* P. I, c. II, n. 2.)[1]. Quæ cum ipsis post probationem agenda sunt scire non curabunt. (Or., III, 3, 15. — Inst., VII, 5.)

V. — **Valetudo tuenda.** — Eorum valetudinis ratio habeatur. — Singulis mensibus vel sæpius ad prædium mittantur. Semel in hebdomada a solitis exercitiis vacent. Liceat ipsis in horto deambulare, etiam extra tempus recreationis[2], sed silentium servando.

VI. — **De eorum domibus.** — Domus eorum potest bona stabilia 203
habere. (C. G., VII, 31.) Sit una in singulis Provinciis. Possunt tamen ad conflandum sufficientem numerum i. e. saltem decem aut duodecim, ex pluribus Provinciis congregari[3]. (Or., III, 1, 5.) Si specialis domus non esset, possent exerceri in Domibus professis, Collegiis aut in Domibus probationis, sejunctim tamen a novitiis. (Or., III, 1, 4, 5. — R. Pr., 68.) Vitent colloqui, absque facultate Instructoris, cum Nostris aliunde venientibus; et universim expedit ut cum iis tantum agant quos cuilibet Superior assignabit. (Or., III, 3, 10.)

[1] Notæ quas de Tertianis Instructor ad Provincialem mittit servandæ sunt

in libro decimo sexto (P. A. 24 apr. 1876); at destrui, postquam Patres ad gradum promoti fuerint, (*i.* P. Beckx, 9 nov. 1867).

[2] Mos olim non erat ut Tertiani cum assignatis dumtaxat sociis inter se post mensam colloquerentur (*a.* 1643). — Non mittebantur deambulatum tempore Exercitiorum (*a.* 1633).

[3] Cum non possint commode a singulis Provinciis tales domus seorsim institui, nec, si possent, ab unius dumtaxat Provinciæ subditis impleri, probatur postulatum provinciæ Aquitaniæ quæ petit ut pro pluribus provinciis Domus tertiæ probationis communis constituatur (*b.* ††, 1625).

PARS QUARTA

De regimine Societatis

CAPUT PRIMUM

DE PRÆPOSITO GENERALI

I. — **Generalis dotes.** — In omni virtutum ornatu clarissimus sit, de Societate optime meritus et diu in eadem ut talis perspectus. (Cst., IX, II, 10.) In specie maxime in eo inveniantur : 204

1° Quoad virtutes : unio cum Deo ; immunitas a gula, ab ambitione, a vitiis, præcipue post ingressum ; charitas et humilitas ; externa compositio, benignitas severitati admixta ; in prosperis et adversis æqualitas.

2° Quoad intellectum et voluntatem : intellectus et judicium præcellens ; doctrina idonea, sed magis prudentia ; spiritualis exercitatio in internis ; in externis vero et in modo ea tractandi, discretio ; animi magnitudo, vigilantia et constantia in rebus aggrediendis et perficiendis.

3° Quoad corpus : ætas media, valetudo firma, species decens et ad auctoritatem conferens.

4° Quoad externa dona : existimatio et fama bona, et, ceteris

paribus, aliqua ratio habenda est nobilitatis et divitiarum quas reliquit.

Si quædam ex supradictis desint, certo non desit probitas eximia, amor erga Societatem et judicium bonum cum idonea doctrina. (Cst., VIII, 1, 6., G; — IX, II. — C. G., I, ante el. 6.) Sit Professus quatuor votorum. (Cst., V, 1, A; — VIII, III, A. — C. G., I, ante el. 6, 3.)

Habenda est quoque ratio de his quæ dicuntur in Ex., c. II et III, et in Cst., I, 2 et 3 de dotibus in candidato Societatis requisitis; et interrogatorii specialis quod a PP. Deputatis ante electionem conficitur, circa dotes quas præcipue attendendas conditio temporum persuaserit. (Form. Cong. gener., 30.) Aptissimus porro inter Professos præsentes et absentes eligi debet. (Form. C. G., 29, 38.)

205 II. — **Auctoritas** Generalis summa est ad ædificandum, cum monarchica gubernatio corpori adeo diffuso optime conveniat, et ita membra suo capiti colligata facilius a summo Capite, Christi Vicario, moveantur. (Cst., VIII, 1, 6; — IX, III, 1.) Hæc auctoritas plena est, et immediata in quemlibet socium, etiam exemptum, atque expedita statim ab electione (Paulus III, *Licet*); ad formam tamen benignitatis Christi exercenda. (Paulus III, *Regimini*.)

Socios admittit; ad quoscumque gradus provehit et quando opus est, vel Professos, dimittit; Provincias instituit, re cum Assistentibus considerata; Domos, Collegia et Universitates acceptat; non vero dissolvit, nisi urgente necessitate, et ad tramitem decretorum 23, 27, C. G., IV. Eos in fundatores admittit quos æquum censet. (Cst., IV, II, 1; — VIII, II, 2; — IX, III, 17. C. G., I, 108; — II, 36; — IV, 6.) Contractus absque collegiali forma agit; bona Collegiorum administrat, ita tamen ut nil in usum Societatis professæ, aut, præter congrua dona et eleemosynas, in utilitatem externorum convertantur. (Cst., IV, II, C; — IX, III, 5, 6. — C. G., I, 59, 77, 100, 144.)

Omnes Superiores, non autem Assistentes et Admonitorem, instituit, quorum auctoritatem determinat ac limitat (Cst., IX, III, 3, 14, 15, 16, 20; — IV, X, 3); nec tamen Provinciales in Europa post indictam Congregationem generalem (C. G., VII, 66); sed nec alios Superiores incœpta Congregatione generali. (C. G., XII, 31. — Form. C. G., n. 58.) Quoad Provinciales, si litteræ novum Provincialem designantes missæ fuerint ante indictam Congregationem, etsi postea pervenerint, valent, nisi prior Provincialis suum triennium ante indictam Congregationem non expleverit et constet Generalem eum ante tempus exauctorare non voluisse. (C. G., XII, 30, 31, 33; — XIII, 11, 21; — XIX, 10.) Sed Provinciales extra Europam mutari possunt. (C. G., XII, act. 49. — Form. Cong. Gen., n. 58.)

Potest sibi Vicarium substituere, perpetuum cum approbatione 206
Provincialium, si præ senio muneri vacare nequiret; sine hac approbatione, temporaneum, in casu temporaneæ ægritudinis, aut cum morti proximus est, quod tunc ei serio commendatur. (Cst., IX, IV, 6; — IX, V, 6, D. — C. G., VIII, 28. — Cst., VIII, IV, 1, A. — C. G., IV, 20, 21.) Potest socios ubique gentium mittere, eosque qui a Sancta Sede indefinite missi fuerant revocare; munia distribuere ad majorem Dei gloriam (Cst., VII, I, 1, 6, B, C; — VII, II, 1, A, B, C, H); delinquentes corrigere; regulas declarare; in iis juxta mentem Constitutionum, et non aliter, dispensare (Cst., IV, X, 5; — IX, III, 8, D, 11; — X, 13; — Julius III, *Exposcit debitum.* — Gregorius XIII, *Ascendente Domino.* — C. G., I, 143; — IV, 19; — VII, 76); gratias Societati concessas communicare; Congregationes B. M. V. aut Bonæ Mortis, cumulative cum Ordinariis (prævia tamen eorum facultate), erigere, et privative aggregare. (Cst., V, I, A; — VIII, I, 6; — IX, III, 10. — Gregorius XIII, *Omnipotentis.* — Sixtus V, *Superna.* — Benedictus XIV, *Gloriosæ.* — Leo XII, *Plura inter.* — Comp. privil., n. 509 et sqq.) Ad ipsum spectat statuere ut provinciales Congregationes coadunentur; generalem Congregationem convocare, ei cum duobus suffragiis (exceptis deputationibus), etiam in

secretis scrutiniis, et cum qualitate præcedendi ceteris paribus in suffragiis publicis, præsidere; non vero eam dissolvere. (Cst., VIII, II, C. VIII, III, 2; — VIII, IV, 2; — VIII, V, 1, 2; — IX, III, 12. — Form. C. G., n. 57, 58, 62. — C. G., VI, 26, 3. — Form. C. Proc., n. 9.)

Generalis eligendus est ad vitam, ut majori auctoritate, notitia et experientia exercere possit officium; ut generales Congregationes, haud sine temporis et ministeriorum jactura coactæ, rariores sint, et ambitioni minor sit locus. Accedit quod facilius invenitur aptus unus quam plures; et suadetur exemplo gubernationum magni momenti. (Cst., IX, I, 1, A. — C. G., I, 47. — Paulus V, *Quantum.*)

207 Ejus ordinationes, mandata, concessiones, præcepta obedientiæ, ipso mortuo, durant. (C. G., XVII, 12.)[1] Superiores ab ipso nominati in officio remanent, exceptis commissariis et visitatoribus intra Europam, quorum potestas ejus morte exspirat. (C. G., I, decr. 5, a. el. et 91 p. el.; — IV, III, 58; — VII, 72.) Designationes novorum Superiorum ab ipso factæ exsecutioni mandandæ sunt, nisi moriatur antequam expleatur triennium eorum quos exauctorare non voluit; quo in casu irritæ sunt nominationes ab ipso factæ, sed a successore libenter, et, ut plurimum, sine novis informationibus confirmandæ. Hæ tamen suam vim servabunt, si mutatio facta fuerit antequam de Generalis morte innotuerit. (C. G., IV, 3; — XII, 30; — XIII, 11.) Irritæ sunt etiam designationes ad gradum a defuncto Generali factæ, nisi scripto Provincialibus ab ipso Generali jam mandatæ fuerint. (C. G., IV, 3.)

Generalis alendus est a domo in qua residet; expensæ vero ejus itinerum ab iis quorum bono ea suscipit, sustinendæ sunt. (C. G., II, 82.)

[1] Ordinationes Generalium quæ ad Regulas et Constitutiones revocari non possunt nullam vim habent, nisi directivam (*a.* 1608). Responsa data Procuratoribus non obligant nisi Provinciam ad quam mittuntur. Communicantur tamen aliis Provinciis ad directionem (*a.* 1587, 1607). Quando Generalis præscribit aliquid adversum ordinationibus Provincialis, non vult id mandari

exsecutioni antequam Provincialis consensum et directionem dederit (*a.* 1614, 1631, 1646).

III. — **Limitatur ejus auctoritas.** — 1° Quoad proprium victum, vestitum, etc., quæ augere vel imminuere Societas poterit. (Cst., IX, IV, 2; — IX, V, 2; — C. G., I, 76; — III, 38.) Mensæ vero privatæ substractio, a P. Mutio inducta, laudata est a C. G., VII, 7, et commendata. 208

2° Quoad labores corporeos, quos ne ultra modum suscipiat curabunt Assistentes. (Cst., IX, IV, 3; — IX, V, 2.)

3° Circa ejus animam, quoad personam et officium (Cst., IX, IV, 4; — IX, V, 2), cujus peculiarem curam habebit Admonitor. Assistentium est circa duo priora dicere et efficere; circa tertium dicere tantum, idque per Admonitorem. (Cst., IX, IV, 4, A; — V, II. — C. G., I, 82. — Reg. Assit. et Adm.)

Ut autem circa hæc tria efficacius juvari possit Generalis, Assistentes tertio quoque mense inter se discutient num aliqua de re monendus sit; et si dimidia pars consenserit monebitur. (C. G., XII, 7.)

4° Si urgeretur, citra tamen obligationem sub pœna peccati, ad aliquam dignitatem ejus officio incompossibilem acceptandam, id ei non licebit absque Societatis consensu, quæ eum nonnisi ex Summi Pontificis præcepto dabit. (Cst., IX, IV, 5, B; — IX, V, 6, E.)

5° Si ob ægritudinem munus suum exsequi sine magno detrimento boni publici nequiret, spe emendationis sublata, ipse ab Assistentibus excitatus, aut ejus defectu, ex judicio majoris partis Assistentium, ii qui jus habent post mortem Generalis, Vicarium eligent. Requiritur vero approbatio Provincialium in priori casu; in posteriori autem, referendum est de electione Vicarii ad Provinciales simul et ad duos uniuscujusque Provinciæ Superiores, ad constituendum quid deinde consilii capiendum sit. Si major pars Congregatorum expedire non censet dare Vicarium, poterunt Generali novi officiales addi. (Cst., VIII, IV, A; — IX, IV, 6; —

IX, v, 6, D. — C. G., VIII, 28, 29; — XII, 55. — Form. Cong. Gen., n. 1, 56.)

6° In aliquibus casibus qui ex divina Bonitate sperantur non eventuri, cujusmodi essent peccata mortalia in actum externum prodeuntia, quæ committeret, — et nominatim, copulam carnalem habendo, aliquem vulnerando, redditus Collegiorum ad proprios sumptus applicando aut extra Societatem donando, bona stabilia alienando, pravam doctrinam seminando, — convocanda esset Congregatio generalis, tacitis causis; et probationes efficacissimæ requirendæ, cum summum officium calumniis sit obnoxium; quæ si adsint, ab officio esset removendus Generalis, at, si possibile, secreto et sub specie ultroneæ abdicationis; et si opus esset, a Societate expellendus, aut judicio quatuor vel quinque puniendus. (Cst., IX, IV, 7, C, D; — IX, v, 4, 5, B, C. — Form. Cong. Gen., I, 55. — Reg. Assist., 3.)

200 IV. — **Officia** ejus sunt : universim quidem Societatis amor, sanctæ vitæ exemplum, studium mortificationis tum internæ, tum externæ, zelus regularis observantiæ, severitas cum benignitate conjuncta, fiducia oratione potissimum nixa, diligensque temporis usus. (Cst., VIII, I, 6, G; — IX, 2; — IX, VI, 1, A, 2, 13.) Speciatim vero Generali præcipitur ut Romæ ordinarie resideat, ideoque C. G., XXIV, d. 8, A. R. P. G. Ludovico Martin « vehementer commendabat ut, quam primum fieri posset, Romam remigraret » (Cst., VIII, I, 7, H. — Paulus V, *Quantum*); ut benevolentiam Sanctæ Sedis conservet (Cst., VI, I, 1; — VII, III, 1; — X, B); ut novum Pontificem intra annum ab ejus creatione et coronatione de voto Professorum moneat (C., VII, I, 8); ut ministeria sacra non obeat nisi salvo officio id possit; ut demum in rebus Societatis particularibus, multo minus in negotiis sæcularibus etiam piis non occupetur, imo nec pontificales missiones petat, et ita majori otio, et luce, et viribus, officio suo vacabit, quod magis quam totum hominem requirit. (Paulus. III, *Regimini*. — Julius III, *Exposcit*. — Cst., VII, I, 2, D; — IX, VI, 1, 4, 5, B, C.)

V. — **Juvatur** Generalis sacro uno a quolibet sacerdote, et corona 210
a singulis non sacerdotibus, qualibet hebdomada, ad ipsius intentiones offerendis [1]. Post ejus mortem, quinque sacra aut coronæ dicenda sunt ab iis qui in eodem loco manent (Reg. Vic. Gen., 2), tria per totam Societatem. Præterea sacrum solemne, modesto tamen et religioso modo, in singulis domibus celebrandum est, eademque die a singulis sacerdotibus missa, ab aliis vero corona offerendæ sunt. (Catal. miss. — C. G., VII, 5.)

[1] Piam praxim filiis Societatis suggerit responsum hoc : « In Canone pro Antistite nominandus est Episcopus loci, non P. Generalis ; sed hujus recordandum in proprio *Memento* » (*a.* 1641).

Habebit penes se compendium litterarum Apostolicarum et concessionum ; et quatuor catalogos, unum spectantem ad externum personarum statum, alterum ad earumdem dotes et qualitates ; tertium ad statum domorum et numerum tum sociorum provinciæ, tum admissorum, dimissorum, defunctorum ; quartum, de aptis ad gubernandum in tres classes distinctis. Hi catalogi tertio quoque anno conficiuntur et mittuntur : annis vero intermediis mittitur catalogus nominum et officiorum cujusque, et insuper supplementum catalogorum triennalium. (Cst., VIII, 1, N ; — IX, VI, 3 ; — C. G., II, 48, 54. — Or., XVII. — Form. scrib., 32, 35.) [1] Cognoscere debet conscientiam subditorum, præcipue Superiorum.

[1] De modo hos catalogos conficiendi, conferri potest epistola P. Anderledy (8 dec. 1885), in libro litter. Gener. qui qualibet in domo asservatur.

Provinciales ad eum scribent semel quolibet mense ; Rec- 211
tores, Superiores domorum, in quibus sex saltem sunt sacerdotes, Instructores, Magistri novitiorum tertio quoque mense ; Superiores minorum domorum bis in anno [1] ; Consultores Provincialium, Superior totius missionis mensibus januario et julio ; Consultores locales sive in provinciis, sive in missionibus, Rector Universitatis, Cancellarius et Consiliarii ejusdem, Superiores

locales in missionibus, Consultores Superioris missionis mense januario; Socius Provincialis semel quotannis. (*Pract. ad form. scrib.*, P. I, c. II.)[2] At quando urget gravitas aut necessitas negotii, nullum non est tempus scribendi. Et insuper supradictæ determinationes non pertinent ad privatas litteras, quibus unusquisque auxilium spirituale quærat. (Ins., IX.)

Provinciales curent ut status suarum Provinciarum ipsi perspicuus sit. Superiores locales et Consultores ea maxime ad eum referant quibus Provinciales non provident[3]. Sint hæ litteræ discretæ, nitidæ, secretæ, et si *soli* inscribantur, id rigorose fiat et vere.

Ipse Generalis ad Provinciales scribet alternis mensibus, ad Rectores vero sexto quoque mense. (Form. Scrib. — Inst., IX. — Cst., IX, VI, 2.)[4]

212 [1] Superior residentiæ, utut parvæ, scribere debet ad Generalem, etiamsi huic residentiæ deficiunt Consultores (P. A., 1830).

[2] Hunc elenchum confecimus ex his quæ habentur in c. II, P. I, libelli, cui titulus : *Practica quædam ad formulam scribendi* (Florentiæ, 1884), a P. Anderledy approbati et commendati. Hoc in loco non fit distinctio, quæ reperitur in Instituto, inter provincias Europæ et provincias extra Europam. Quæ vero ad missiones pertinent desumit libellus prædictus ex Ord. P. Beckx 30 jul. 1874.

[3] Ne tamen credant Consultores de iis solis Generalem monendum esse (*f.* 1 mart. 1836).

[4] Quæ ex Consultorum litteris Generalis Provincialibus communicat, ad eum finem scribuntur ut Provincialis in visitatione videat et judicet (*f.* 18 maii 1830). Si Provincialis credat Generalem deceptum fuisse, eum illustrare non omittat (*f.* 15 oct. 1834). Si vero ex his communicationibus aliquid ad Rectores transmittat, ne dicat ut plurimum, hoc a Generali venire (*f.* 26 aug. 1834).

CAPUT SECUNDUM

DE VICARIO GENERALI

I. — **Ejus electio.** — Vicarius vivo Generali sed morbo impe- 213
dito, ab ipso eligitur, si morbus transiens sit; si secus, vel a Generali cum approbatione Provincialium, vel a Congregatione generali, vel a Professis qui in vicinio sunt, juxta Form. Congr. ad elig. Vicarium, si ipse Generalis non providerit. Iidem Vicarium nominabunt si mortuus Generalis neminem designaverit. (Cst., IX, VI, D; — IX, IV, 6; — VIII, IV, 1; — C. G., VIII, 28, 29; — IV, 20, 21.) Debet esse Professus quatuor votorum et communiter ex iis qui Generali aderant. (VIII, IV, 1; — VIII, 3, A. — C. G., I, 42. — III, 21.) Si moritur quando jam advenere duæ tertiæ partes electorum Generalis, antiquissimus Assistentium præest. (Form. Cong. Gen., 53.)

II. — **Ejus potestas**, si a Generali, cum approbatione Provin- 214
cialium, aut a Congregatione generali nominetur, ea est quæ ipsi confertur, et potest pertingere usque ad jus futuræ successionis. (C. G., XXIII, 3; — Cst., IX, IV, 6.) Si Generali mortuo aut inutili substituatur, eamdem potestatem habebit ac ipse Generalis, exceptis iis quæ mox indicabuntur in § 3; nomen tamen Generalis non usurpabit. (Cst., VIII, IV, A; — IX, V, 6. — C. G., I, 5, a. el. — 43, p. el. — II, 12, a. el. — X, 8.) Pro ipso in tota Societate fient a singulis eædem preces ac pro Generali. (C. G., X, 8; — XII, 56.)

215 III. — **Hujus potestatis limites.** — Nullam domum acceptare potest, nec universitatem aut collegium instituere, nec quoslibet Superiores aut primarios officiales qui a Generali creantur, mutare, præter eos qui jus non habent ad Congregationem generalem aut provincialem ; ut sunt revera Instructores tertiæ Probationis, et Magistri Novitiorum qui non sint simul Rectores; aut eos quorum triennium ante mortem Generalis exspirasset, et quorum successores defunctus Generalis nominasset. (C. G., XII, 30; — XVI, 7.) Si tamen paulo post Generalis obitum, successor fuerit substitutus ante notitiam mortis Generalis quacumque via habitam, valet substitutio. (C. G., XII, 30.)

Nihil absque Assistentium majori parte statuet : circa Admonitoris nominationem, circa Professorum et Coadjutorum formatorum dimissionem, — eos tamen promovere potest (C. G., XII, 10), — circa Professorum mutationem e Provincia in Provinciam, aut ad remotiores partes missionem, circa alienationem bonorum stabilium (quod fieri non debet nisi res sit in evidentem utilitatem et moram non patiatur), demum circa omnia negotia quæ major numerus Assistentium judicabit gravissima. Quæ ad futurum Præpositum remitti poterunt differet. (Off. Vic., VIII, 12.)

Deficientibus Assistentibus, iidem qui Vicarium elegerunt substitutos nominabunt, ita ut Vicarius in decernendis iis quæ modo dicta sunt, quatuor saltem Consultorum suffragium exquirere possit. (C. G., XX, 18.) Illi tamen substituti jus ad Congregationem generalem non habent; et si Assistentes absentes redirent, locum his substituti cedant.

216 IV. — **Ejus officia.** — Debet cum Assistentibus magis quam Generalis consultare, eis litteras communicare (C. G., VII, 74); et in tota sua gubernandi ratione, quantum poterit, mentem defuncti Generalis induere. (Off. Vic., 6.)

Mortuo Generali, suffragia pro ipso indicet; Congregationem generalem quam primum convocabit; et cum Assistentibus statuet an præter duos electores sint nominandi duo Procuratores.

(Cst., VIII, III, 1, A. — C. G., II, 2; — IV, 35.) Missas et preces pro Congregationis felici successu indicabit; quæ acta sunt ad eam pertinentia ei referet; ei ante electionem præsidebit cum uno suffragio et præcedentia; et in ipsa post electionem inter Provinciales, juxta antiquitatem suæ professionis, remanebit. (Cst. VIII, III, 2. — C. G., I, 4, a. e.) In mortis eventu, successorem non nominabit. (C. G., XIX, 14. — Off. Vic. Gen. Form. Cong. Gen.)

CAPUT TERTIUM

DE ASSISTENTIBUS

Ut expedite et suaviter Generalis officio suo fungatur, auxiliis sublevandus est non solum Præpositorum particularium provinciarum aut locorum, sed universalium etiam qui sive agendorum memoriam excitent, sive consilium in iis suppeditent, sive ea exsecutioni mandent. Primum præstat Secretarius, secundum Assistentes, tertium Procurator generalis. (Cst., IX, VI, 7, D.)

217 I. — **Eorum munus et officia.** — Assistentes qui quinque eligendi sunt (C. G., XX, 4), ex his qui Provinciis respectivæ Assistentiæ per ingressum aut absolutam destinationem addicti sunt (C. G., XII, 5; — XIV, 23), Professi quatuor votorum, si commode fiat, præsentes vel absentes, ideo instituti sunt :

1° Ut erga Generalem providentiam nomine Societatis exerceant; et ideo jurant se Societati denuntiaturos si quid accideret quod eum officio amoveri exigeret. (Cst., IX, V, 4.) Hoc juramentum præstant in ipsa Congregatione, vel si extra eam creantur, coram Generali, Assistentibus, Procuratore generali et Secretario; si prius moriatur Generalis, non præstant. (C. G., VI, 27; — XIX, 6. — Form. C. G., 85.) Singulari cura, charitate et reverentia, erga eum agant. Si eum Summus Pontifex aliquo cum damno Societatis mittere vellet, ei representent quæ opus est. (Cst., VII, I, 2, D; — IX, IV, 2. — Reg. As., 19.) Eorum est statuere quando expediat Generali viventi substituere Vicarium (C. G. VIII, 28.

29); quod fieri non poterit nisi major pars eorum id statuant. (C. G., XII, 2, 55.)

2° Ut Generalem suo consilio et labore adjuvent. Negotia igitur perpendant, Deo commendet; inter se vel etiam cum aliis deliberent. (Cst., IX, VI, 10.) Eorum quæ ad Institutum pertinent scientiam parent. In consultationibus modesta cum libertate loquantur; etiam non consulti quæ opus est proponant; in aliarum Assistentiarum negotiis se non immisceant; mutuo charitatem servent; Superiorum gubernationem non impediant; Procuratorem generalem exstimulent, ejusque litteras videant. (Reg. Ass.)

Litteræ quæ ad eos vel ab ipsis scribentur sint clausæ omnibus, excepto Generali. (C. G., VII, 14.)[1] Quamvis generatim eorum suffragium sit tantum consultativum, habent suffragium decisivum, in aliquibus, fere ut Provinciales, imo in pluribus casibus ubi agitur de Vicario generali. (C. G., IV, 23; — V, 16; — VIII, 28.)

Debent semper Generali adesse, nisi ab ipso ob gravem causam alio mittantur. Si ipse alio migretur, unum vel etiam plures secum habebit. (Cst., VIII, I, G; — IX, II, 5, A. — C. G., I, 83, 85, 86.) Ne ministeriis occupentur, nisi absque præjudicio id fieri possit. (C. G., I, 80, 89.)

[1] Contrarium statuerat P. Everardus eo quod Assistens non sit Superior (*a.* 1576). Sed postea decretum est a C. G., VII, ipsas litteras quas aliquis Assistens scribit, et vicissim, non esse aperiendas aut legendas a Superioribus (*a.* 1618).

II. — **Eorum jura.** — Eliguntur a Congregatione generali post 218
quatriduanas informationes, ad plura medietate suffragia. (C. G., II, 22.) Si tamen impar sit suffragiorum numerus, is cui major e duabus pars obtigerit, censetur habere plura medietate. (C. G., XIV, 2.) Si quis moriatur vel diutius abesse debeat, ei Generalis alium substituet, qui tamen nec in Congregatione generali aut Procuratorum, nec ad dissolvenda Collegia, suffragium habeat,

donec a majori parte Provincialium approbetur. Pari ratione procedendum esset, si Assistens inutilis aut indignus evadat, de quo judicet Generalis. (C. G., I, 87.) At Assistens sic suspensus solum post prædictam Provincialium approbationem omnino ab officio removeretur. (Cst., IX, v, 3. — C. G., I, 84; — IV, 24, 25; — III, 12; — VI, 27, 2.)[1]

[1] Assistentes interdum mutari est contra Constitutiones et probatum morem Societatis; ideo nihil innovandum (*a.* 1607).

219 Is si in Congregatione non sit, in eam admittendus erit, post electionem omnium Assistentium. Qui in ea sunt non mutant locum. Eorum officium durat usque ad electionem novi Præpositi. Sunt Assistentes Vicarii Generalis. (C. G., I, 90; — II, 20, 35; — V, 74; — VI, 4, 10, 27; — IX, 2; — X, 5, 17; — XIV, 3.) Utrum vero, casu quo nominatur Vicarius cum futura successione, novi Assistentes debeant statim officium exercere, non fuit decisum. (C. G., XXIII, 8.)

Habent locum in Congregatione generali et Procuratorum et ad eligendum Vicarium, si Generalis Romæ aut prope moriatur. (Form. Cong. Gen.) Si Generalis in ipsa Congregatione aut paulo post moriatur, non nominato Vicario, antiquissimus Assistentium Congregationi præsidet. Item si Vicarius e vivis decedat, jam congregatis electoribus aut saltem duabus tertiis partibus. (Form. Cong. Gen.) In officio existentes, ad nullam Congregationem provincialem jus habent; at defuncti officio, jus habent ad Congregationes suæ Assistentiæ, saltem supra numerum, si non ex antiquitate. (C. G., IX, 15.)

Si quis hoc munus ambiisse convincatur, aut alius exclusionem machinasse, excommunicationem Generali reservatam incurrit. Qui talis machinationis conscius est, eam denuntiare tenetur in virtute S^tæ Obedientiæ. (Fom. Cong. Gen., 3, 82.) Attamen munus Assistentium nullam prælaturam aut dignitatem (quæ sunt synonima) præ se fert. (C. G., VII, 44.)[1]

220 [1] Pro Assistente defuncto, præter consueta suffragia, dicuntur tres missæ

aut coronæ in propria Assistentia, una per reliquam Societatem. (C. G., IX, 21; — *a.* 1623, 1637, 1638.) Hinc si moriatur aliquis Assistens in Collegio suæ Assistentiæ, dicenda sunt sex sacra in Collegio, et per Provinciam illam quinque. — Si autem moriatur in aliena Assistentia, v. g. si Romæ moriatur Assistens Galliæ, dicenda sunt in loco mortis sacra quatuor, per Provinciam illam tria, conformiter Canoni XI, Cong. III. — Quæ omnia intelligenda sunt etiam de eo qui fuit Assistens, licet non sit amplius quando moritur (*a.* CC., 30 dec. 1637).

N. B. — Præter Assistentes mentionem faciunt Constitutiones Consiliariorum extraordinariorum de quibus cf. Epit. p. 6, n. 86. — In negotiis doctrinalibus Generalis non raro Revisoribus generalibus uti consuevit. (Cf. eorum regul.)

CAPUT QUARTUM

DE ADMONITORE GENERALIS

221 I. — **Ejus munus et electio.** — Admonitor ad exercendam Societatis providentiam erga Generalis animam statutus, eum admonere tenetur tum de his quæ ei a duobus Assistentibus suggesta fuerint, tum etiam de his quæ ipse post orationem proponenda judicaverit, sive a se, sive ab alio fuerint animadversa, sive quoad ejus personam, sive quoad ejus officium. (Cst., IX, IV, 4. — C. G., I, 81.)

Eligitur a Congregatione generali inter Professos quatuor votorum, et in officio perseverat usque ad novi Generalis electionem; ac proinde admonitor est Vicarii, defuncto Generali. Ejus electioni adesse debent Procurator generalis, Secretarius Societatis et Procuratores Provinciarum qui adsunt. (Form. Cong. Gen.) Si moriatur aut a Generali judicetur inhabilis, alter ei subrogatur, sicut fit pro Assistente. Si ad breve tempus absit, Generalis alterum ei sufficit. Potest esse Assistens. (Cst., IX, IV, 4. — C. G., II, 22; — III, 42; — IV, 24, 48; — XVII, 8; — II, 35.) Si fit Vicarius, Generali vita functo, eligit suum admonitorem de consilio et suffragiis Assistentium. (Off. Vic., 7.)

222 II. — **Ejus dotes.** — Debet esse Deo familiaris, provecta ætate, judicio maturo, Instituti gnarus, minime credulus, Generali gratus; nec timidus, nec assentator, sed cui nihil internæ aut externæ reverentiæ sua libertas demat, aut vice versa; cavere debet ne auctoritatem Generalis imminuat. Assistentibus rationem admonitionis reddat, aliis dicat se proposuisse. (Cst., IX, IV, 4. — Reg. Adm.)

CAPUT QUINTUM

DE SECRETARIO SOCIETATIS

I. — **Ejus munus.** — Secretarius est pro memoria et manibus 223
Generali ad omnia quæ tractanda sunt aut scribenda. Hinc Secretarii munus erit ut in memoriam Præpositi litteras scribendas, consultationes habendas, officia principibus præstanda, omnia demum quæ ad illius officium pertinent revocet, eumque in scribendo et tractando adjuvet. Totum in se onus ejus accipiat, sed nullam gubernationis partem sibi assumat. Nihil clam scribat et in scribendo ejus voluntatem et ingenium exprimat. In consultationibus negotia dilucide proponat. Legat litteras, et ut quæ opus est, Assistentibus communicare possit, excerpat præcipua capita; Provincialibus communicet ea quæ ad Instituti explicationem faciunt. Litteras annuas colligat et spargat. (Reg. Sec. Soc., cap. II, 3.)

II. — **Ejus dotes et adjumenta.** — Sit proinde fidelis et secreti 224
tenax, Instituti gnarus, Societati devotus, sollicitus et industrius. (Ibid., cap. I.) Benevolentiam omnibus, sed nemini singularem favorem exhibeat (cap. VII). — Morem Societatis in modo scribendi et religiosum decorum accurate servet (cap. VIII). Quæ ipsi a Generali præscribuntur, quæque ab ipso Generali præstanda sunt accurate notet, necnon litteras receptas, ut singulis opportuno tempore responderi possit. Archivium habeat variis loculis distinctum, librisque instructum, ad suum officium recte explendum necessariis (cap. I).

III. — **Ejus jura.** — A Generali eligitur. Admittendus est ad 225

Congregationem provincialem saltem supra numerum, cum utroque suffragio (si sit Professus quatuor votorum), non autem ad Congregationem Procuratorum (nisi sit electus). Ad generalem Congregationem, sive sit Professus sive non, ad negotia admittatur, absque suffragio pro electione Assistentium, etsi informationes ab ipso peti possint. (C. G., IV, 11; — VI, 25; — XIV, 16; — XVIII, 14. — Form. C. G. 60. — C. Pr. 8.) Ejus officium minus est quam Assistentium (R. c. 5); habet jus suffragii ubi de domo dissolvenda agitur. (C. G., IV, 27.) Posset, sed difficile, creari Assistens. (C. G., I, 89.) Potest de substitutis disponere. Litteræ ad ipsum missæ non sunt aperiendæ. (C. G., XI, 13.) Post ejus mortem, in tota Societate sacrum unum aut corona una indicatur. (C. G., IX, 21.)

226 IV. — **Ejus socii.** — Socii ex singulis Assistentiis ipsi adjunguntur qui Substituti dicuntur[1]; imo et amanuenses habet (C. G., IV, 18), vice-Præposito Domus professæ, quoad disciplinam, subduntur. Unusquisque eorum debet non propriæ tantum Assistentiæ, sed et aliis commodare operam, et scriptionibus præsto esse, si jubentur. (Reg. Secr., cap. VI. Reg. Subst. 4.)

[1] Hinc non confundas *Substitutos Assistentis* cum Assistente *Substituto* (scilicet in loco Assistentis a Congregatione electi).

CAPUT SEXTUM

DE PROCURATORE GENERALI

I. — **Ejus munus et electio.** — Procuratoris generalis munus 227
est circa res agendas Generalem adjuvare; et in memoriam revocare quæ sunt exsequenda, uti, v. g. privilegia suo tempore renovanda.

Eligitur a Generali inter Coadjutores formatos, nisi dispensetur. Imo initio habitare non debuit in Domibus professis. (Cst., IX, III, 16 et VI, 12. — C. G., XII, 29; — XVII, 16; — XVIII, 21; XIX, 5; — XXI, 7.) Subditur Superiori, nisi in his quæ ad suum officium pertinent.

II. — **Ejus dotes et officia.** — Prudentia, fidelitate, dexteritate 228
polleat; omnibus ædificationi sit. Nihil gravius absque Generalis aut saltem Assistentium consilio suscipiat. Lites declinet, in necessariis viros peritissimos consulat et adhibeat curiales maxime idoneos. In re pecuniaria sit accuratissimus. Rationem administrationis, tertio quoque anno, reddat. Pecuniam sub duabus clavibus servet, quarum alteram ipse, alteram socius habeat. A Provinciis pecuniam tempestive exigat pro negotiorum sumptibus. (Reg. Proc. gen.)

III. — **Ejus jura.** — Jus habebit ingrediendi Congregationem 229
provincialem, sed supra numerum, nisi ingrediatur titulo suæ professionis (C. G., VIII, 48); item Congregationem generalem post electionem Generalis et Assistentium, aut etiam antea, ad

negotia tractanda; sed non habebit jus passivum in electione Secretarii, aut sociorum aut Deputatorum (C. G., III, 44; — XII, 1; — XIII, 2, 5.) Habet jus suffragii pro dissolvendo Collegio extra Congregationem. (C. G., IV, 27.) Præest sociis et prout Generali videbitur, Procuratoribus sive rerum particularium sive etiam Provinciarum, qui Romæ versantur, in iis quæ ad ejus officium spectant. Potest socios foras mittere, etiam recreationis causa, sed quoad vitam religiosam hi Ministro et Superioribus subduntur. (Reg. Proc. gen.)

230 IV. — **Procuratores Assistentiarum.** — Procuratores Assistentiarum qui tot esse debent quot Assistentes, negotia gerunt provinciarum Assistentiæ, sub auctoritate Provincialium, et sub vigilantia deque consiliis Assistentis, necnon, in quantum Generali videbitur, Procuratoris generalis directione; nihil ergo absque respectivi Provincialis, aut, in rebus urgentibus, Assistentis approbatione efficere possunt. Nullius consilio utentur nisi ex hujus consensu; ei rationem reddent. — Nullam pecuniam impendent absque facultate Generalis, neque absque ejusdem facultate expressa externorum deposita et negotia admittant. (Cst., IX, 6, H; — IV, 2, E. — C. G., XVI, 29; — XVIII, 18. — Reg. Proc. Assist.) Superiori subduntur, nisi in rebus sui officii.

CAPUT SEPTIMUM

DE PRÆPOSITO PROVINCIALI

ARTICULUS PRIMUS

De Provincialis electione et facultatibus.

I. — **Ejus electio.** — Provincialis eligitur a Generali inter Pro- 231
fessos quatuor votorum. Si lethali morbo corripiatur, successore non nominato a Generali, ipse vice-Provincialem inter Professos quatuor votorum designare potest. Si id non faciat, Præpositus Domus professæ (non vice-Præpositus), aut inter Præpositos antiquissimus, aut Rector Collegii maximi (non vice-Rector), si sit Professus quatuor votorum, aut secus ex ceteris Rectoribus antiquissimus Professus; et si nullus Rector sit Professus, antiquissimus Professorum in Provincia sit vice-Provincialis usquedum Generalis provideat. Si morbo, aut aliter inutilis factus sit Provincialis transalpinus judicio indubitato omnium Consultorum, aut trium (excepto eo qui succedere deberet), idem fiat ac si mortuus esset[1]. Si his in adjunctis absentes sint Consultores aut eorum aliqui, ad eos referant Socius et Superior loci ubi est Provincialis. — In India, huic consultationi adjungendi sunt tres alii antiquiores Professi ex vicinio; et ex his omnibus quinque de Provincialis nullitate pronuntiant. Si fuerit in Provincia Visitator, ejus erit Consultores ordinarios congregare et eis auditis quid

facto opus sit statuere[2]. (C. G., IV, 56; — IX, 35; — IX, 40; — XIII, 12.) — Idem fiat circa Visitatorem a Provinciali cum septem Consultoribus, qui, si Visitator judicetur inutilis a quinque ex septem, litteras quibus novus constituebatur aperiet; quæ si non adsint, cessabit hoc officium. (C. G., IX, 40.) Provincialis potestas morte Generalis non exspirat; nec post indictam Congregationem generalem potest Generalis eum mutare nec Vicarius generalis, nisi in casibus capite I et II relatis.

[1] Sed prius debet, si possit, nominare vice-Provincialem et de ea re Generalem monere (*a.* 1603). Si id non mature faciat, ab Admonitore urgeatur (*a.* 1594).

[2] Idem faciendum si captus sit Provincialis et ultra sex menses detentus (*a.* 1648). Si post annum captus redeat, non debet amplius gubernare (*a.* 1650, 1652).

Tempus regiminis Provincialium est regulariter triennium, quod tamen contrahi aut prorogari potest. (Cst., IX, III, 14, I.) Cessat prædecessoris auctoritas tunc solum quando successoris incipit auctoritas, scilicet a die authenticæ publicationis juxta morem cujusque Provinciæ peragendæ. (C. G., I, 1, p. e.; — XVII, 7; — XIX, 9.)[1]

232 II. — **Ibi commoratur** unde cum subditis et Generali communicare facilius possit. (Cst., VIII, I, 7, 1.) Alitur expensis domus quam incolit[2]. (C. G., II, 82.)

A Provincia longe aut diu non discedet absque facultate Generalis, et nisi urgente gravis incommodi necessitate. (Reg. Prov., 105.)

233 III. — **Facultates** extraordinariæ Provincialibus a Generali conferri possunt (Cst., IX, III, 15), ut admittendi ad quemcumque gradum[3]. (Cst., V, I, 2; — II, 4, 5, A, B, C; — IX, III, A.)

Expedit ut ampla ei auctoritas possit conferri et in aliquibus conferatur (Cst., II, I, 2; — IX, VI, 2; — X, 8); ejus extensio certo constare debet. (C. G., II, 10.)

[1] Totam suam auctoritatem retinet donec successor renuntiatus sit (*a.* 1637). Qui vero renuntiatus est, potest, si impeditus sit, nominare vice-Provincialem (*a.* 1621).

[2] Debet procurare ut non semper eadem domus his expensis gravetur (*a.* 1611). Aliquando dispensatum est ut communi Provinciæ contributione viaticum et vestes ei suppeditentur (*a.* 1603).

Provinciali et Socio indumenta subministranda sunt a domibus in quibus iis indigere deprehenduntur : itinerum expensæ communibus Provinciæ sumptibus solvuntur. (*b.* ††, 1534. — Et. *f.* P. S., 15 jul. 1834.)

[3] Provincialibus Indiæ olim concessæ fuerunt facultates : 1° dispensandi in omnibus impedimentis non essentialibus ; 2° dispensandi in Constitutionibus eo modo quo potest Generalis ; 3° dimittendi omnes non Professos (*a.* 1585). Hæc ultima facultas quoad Coadjutores formatos fuit revocata (*a.* 1633). Dein renovata a P. Piccolomini, cum facultate permittendi, in casu urgenti, transitum Professi ad aliam Religionem (*a.* 1650). Idem concessum fuit in nona Congregatione generali (act. 40) Provinciali Philippinarum, sed ea conditione ut id non fiat nisi ex judicio septem judicum, eo modo quo statuitur de Provinciali inutili. — Non visum est expedire ut Provinciali in India daretur facultas promovendi Coadjutorem temporalem ad studia (*a.* 1575, 1576).

Præter extraordinariam potestatem quæ a Generali determina- 234
tur, omnibus Provincialibus communis est *ordinaria,* ex suis regulis præsertim et privilegiorum compendio definienda. (R. P., 8.) — Hæc autem fere est :

1° *In genere.*

Omnibus Societatis facultatibus uti possunt Provinciales, etiam inconsulto at deinde monito Generali, in casu urgenti. (R. Prov., 8.)[1] Rectorum auctoritas ab ipsis immediate exerceri potest[2], ut in contractibus ; non tamen, nisi necessitas urgeat, debet aliquem actum hujusmodi facere, contradicente aut etiam inconsulto locali Superiore ; et si id fiat, monendus erit Generalis. (C. G., VIII, 54.)

[1] Facultates Superiorum omnes ad ipsum pertinent præter personales concessas extra ordinem (*a.* 1600). Et consonat R. Pr. 9. Intellige : Superiorum sibi subordinatorum.

[2] Non expedit tamen, etiam tempore visitationum, ut Provincialis aliquid ad munus Rectoris pertinens inferioribus immediate præcipiat, nisi forte ad Rectorem negligentem corrigendum (*b.* ††, 1584).

235 2° *Relate ad subordinatos Superiores :*

Potest subordinatorum Superiorum facultates suspendere; (R. Prov., 9)[1] ipsosque mutare, si res urgeat ipsisque vice-Superiores substituere, non tamen instante Congregatione provinciali. Ipsius est eorum officiales designare. (R., 22.)[2] Magistros Novitiorum, Admonitores, Consultores ipse constituit, a Generali tamen confirmandos (Reg. 23; — C. G., VIII, 54); item Præfectos spirituales idoneos et ordinarios Nostrorum Confessarios (Reg., 24; In. 10); Lectores et Magistros (R. 27); Prædicatores et Confessarios, præmisso tamen domestico examine et approbatione Ordinariorum (R. 26), officiales Universitatum primarios, præter Rectorem et Cancellarium.

Novas tamen lectiones non addet nec scholas aperiet præsertim abecedarias, sine facultate Generalis. (R. 27. — Cst., IV, VI, F; — IV, VII, E.)[3]

[1] Non debet tamen habere clavem cubiculi Rectoris (*a.* 1606).

[2] Inter Coadjutores temporales Provincialis non solet designare nisi subministrum; cæteri a Rectore designantur (*a.* 1648).

[3] « Quand il s'agit de nouveaux établissements, les Provinciaux ont coutume de se concerter avec le Général sur le choix des principaux sujets, de leurs emplois; des élèves, si on en recevra de tout âge, et de quelque classe que ce soit, ou si l'on se bornera à ne recevoir que des petits comme il conviendrait; du nombre des classes, etc. » (*f.* 10 nov. 1835).

236 3° *Relate ad auctoritates pares aut superiores.*

Potest Provincialis missas et orationes, moderate tamen, indicere. (C., VII, 2, M.) Facultates a prædecessore datas sibi manifestari jubere tenetur, ut eas confirmet vel abroget : quæ vero tunc ei non aperiuntur, ipso facto abrogantur. Item de facultatibus a Visitatore datis, quas tamen Provincialis revocare nequit, nisi monito Generali. (C. G., VII, 36.) Præcepta Provincialium eorum morte non cessant. (C. G., IX, 12.) Generalium ordinationes pro aliis Provinciis datas et ipsi cum Generalis licentia communicatas, ex Consultorum judicio in sua Provincia obligatorias reddere potest. (Form. Cong. Prov., 46.)[1] Nullas regulas, ordinationes,

consuetudines toti Provinciæ communes, abroget, nec novas inducat, inconsulto Generali. (R. Pr., 6.) In his vero et in ipsis Constitutionibus dispensat, monito in re gravi Generali. (R. P. 7.)

[1] Provincialis propria auctoritate agere debet in iis quæ ad ipsius officium pertinent; nec nisi in vera necessitate Generalis auctoritatem obtendere (*f.* 18 nov. 1833).

4° *Relate ad subditos :*

Quoad admissionem. — Candidatos admittere ad probationem 237
poterit, sed cavenda est in hoc externorum offensio; ineptaque turba repellenda. Dimissos non sine conditionibus requisitis recipiat. (Cst., I, 1; — X, 7. — R. 32, 34, 46.) De impedimentis essentialibus dubiis Generalem consulat. In secundariis, dispensare potest, exceptis sequentibus : majoratu, ætate infra annum decimum quintum et ultra quinquagesimum, conjugio, homicidio casuali peccaminoso, deformitate insigni, ut eunuchi. (Cst., I, III. — R. 36 et sup., P. I, c. I.) — Potest Novitios ab experimentis eximere, et ad studia secundo anno mittere non indiscriminatim sed eos qui satis firmi sint in spiritu; neque ad ibidem docendum aut invigilandum pueris, nisi agatur de Novitio sacerdote (C. G., XX, 12, n. 2, 3); biennium prorogare potest, non vero contrahere. (Ex., IV, 9, 43. — Cst., V, I, C. — C. G., II, 14; — V, 12, 13, 63. — R. 37, 38 et sup., P. I, c. III.) Abdicationem bonorum nonnisi constantibus in sua vocatione permittat. (R. 86.) Pactiones pro legitima iniri non sinat, nisi Generali consulto et iis ad quos pertinet monitis nullum jus in ea Societati esse. (C. G., III, 39; — IV, 65.) Moneat Generalem si quis Societati sua bona dare velit (C. G., II, 23. — R. 88) et hujusmodi bona cum ædificatione exigi curet. (Supra, P. I, 1, 2; P. II, 3.)

Quoad promotionem. — Ad vota Scholasticorum Novitios ad- 238
mittit Provincialis. (R. 65.) Neminemque in classe indifferentium post biennium relinquit. (R. 67.) Ipsi vero non licet quemquam eximere a tertio probationis anno post studia integre peragendo. (R. 68. — C. G., XVI, 34; — XX, 12; — XXII, 44; et sup., P. III, c. XII.

De promovendis ad Professionem et formandis Coadjutoribus tempestive Generalem præmoneat, ne puniatur. (R. 69. — Or., XVIII, 1, 1, 2; — XVIII, 4, 1.) Si quis citra suam culpam designato die promoveri non potuit, alia die promoveri curet. (C. G., XII, 9; — XIII, 20.) Et cf. supra n. 168.

239 *Quoad dimissionem.* — Dimittere potest Novitios quoscumque, nisi a Generali missos, aut insigniter meritos. Imo et eos etiam et Scholasticos in casu urgenti, sed monendus esset deinceps Generalis; numquam vero Religiosos formatos (Reg. 40, 41, 43), nisi ex speciali delegatione Generalis, quæ non dabitur nisi in quibusdam remotissimis locis, aut viro omnino fido et propter causas magni momenti, præsertim quoad Professos. (Cst., II, 1, C.) Cf. infra ubi de dimissione.

240 *Quoad temporalia,* Provincialis potestas ad bona Societatis conservanda maxime spectat. (R. 75, 76.) Ipsius est res Collegiorum defendere, nulla tamen lite absque Generalis facultate intentata (R. 77. — Cst., IV, 2, C); dona admittere, monito Generali si quæ conditiones apponantur; item si pretium boni stabilis Domui professæ dati et venditi 300 aureorum valorem excederet. (R. 76.)[1] Omnes facultates Superiorum sibi subjectorum ad ipsum quoque pertinent[2]. Meminerit tamen ita bona temporalia esse propria singulis Collegiis aut Domibus, ut ipsi minime fas sit ea pro arbitratu suo de domo ad domum transferre, et in hoc posse lædi justitiam commutativam. (A. R. P. Martin, ord. pro. temp., 18, 4.)

[1] Potest Provincialis disponere de summa 100 aureorum (*a.* 1630). Potest ex alicujus legitima summam 100 scutorum applicare necessitatibus Provinciæ vel domicilii (*a.* 1624, 1622). Potest pecuniam a subdito Societati *ante ingressum* datam applicare Collegio, titulo eleemosynæ (*a.* 1628). Ex eleemosynis aut donativis potest eleemosynas facere pauperibus vel impendere in bonum Provinciæ (*a.* 1590). In ord. A. R. P. Martin, pro adm. temp., n. 39 permittitur Provinciali ut concedat expensas extraord. quæ non excedunt 5,000 franc.; ita tamen ut potius difficilem in concedendo se exhibeat, et quoad fieri possit, Consultores suos interroget. Cf. art. sq. n. 251.

Potest de bonis et eleemosynis acquisitis per operarios missionum temporancarum, (quales fere sunt castrenses), a vicino Collegio consilii tantum et

devotionis causa dependentium, disponere pro bono Provinciæ et aliorum Collegiorum (*a.* 1636).

Potest Provincialis efficere ut difficilibus temporibus Collegium opulentum alterius inopiam nonnihil sublevet (*a.* 1633); item permittere ut Rectores absque fœnore pecuniam mutuo accipiant, quam ex Collegii reditibus facile solvere possint (*a.* 1618). Ipse autem nequit accipere pecuniam mutuam cum obligatione census, qua dein se liberet ex alicujus legitima (*a.* 1622). Nec concedi potest Provincialibus generalis facultas minutos fundos et census alienandi (*b.* †, 1613).

Non potest restituere quæ donatione inter vivos Societati donata sunt, etiamsi a Societate nondum apprehensa sint, si tamen sunt alicujus momenti (*a.* 1621).

Potestas Provincialis in materia paupertatis dirigitur per *Ordin. de rerum temp. administratione*, quam, jussu Congregationis XXIV, decreto 22, die 21 junii 1894, edidit A. R. P. Martin. Insuper : 1° quoad mobilia vendenda aut emenda, Instructione pro administratione rerum temporalium ; 2° quoad titulos fiduciarios, encyclica P. Beckx ad Prov^les^ *De Censibus*, 19 martii 1858 (Cf. quoque infra ubi de alienationibus, et Comp. Priv., n. 50 et sqq.); 3° quoad fundos, Ordinatione Gener., cap. xx, p. 2ª; 4° quoad ædificia, regula 75 Pro^lis^ et Instr. rerum tempor; 5° quoad dispositionem redituum ex bonis NN. Scholasticorum, decr. 17, C. G., VII, 3, 6, 7 (*d.* P. A. 15 nov, 1867).

Ubi ex privilegio apostolico, accipiuntur stipendia missarum, cf. epist. R. P. Anderledy, 31 jul. 1887.

Si bona quæ a NN. Societatis dispositioni relinquuntur summan 1,000 fr. non excedant, Provincialis de iis potest disponere (*f.* 13 mai 1834). Cf. tamen ord. temp., P. Martin, n. 36, et supra ubi de abdicatione bonorum a Scholasticis.

[2] Ex quo videtur antiquatum illud resp. « Cum in patentibus Provincialium non conferatur ei facultas celebrandi contractus, illis ex jure communi, ea non competit, etiam in bonum sine consensu Rectoris » (*a.* Germ., 1641). Attende vero ne lædatur, ex dictis, justitia commutativa.

Per Procuratorem suum ea bona administrat qua Provincia tanquam propria possidere potest : ut sunt contributiones et eleemosynæ, quæ ad communes sumptos solvendos Collegiis et Domibus servata proportione imponi valent. Idem Procurator curam gerere valet arcæ Seminarii, fundationum aut piarum causarum. (Ibid. 19.) At recole quæ supra, in Part. II, ubi de bonis communibus Provinciæ [1]. 241

[1] Potest tamen Provincialis non solum pecunias quæ ad communes sumptus Provinciæ asserventur, sed etiam bona fundationibus instituendis aut perfi-

ciendis applicata, ad Nostrorum sustentationem adhibere, ingruenti gravi necessitate, propter calamitosas rerum publicarum perturbationes, si donatorum voluntas hæc fuisse præsumatur. (C. G., XXIV, 17. — P. Martin, 1, n. 32.)

Non licet ipsi vendere, permutare, per hypothecam oppignorare bona immobilia aut pretiosa mobilia, etiam in utilitatem Collegiorum aut Domorum, ullumve actum alienationis exercere ad quem requiritur beneplacitum S. Sedis, nisi prius per Generalem a S. Congregatione facultas obtineatur. (Ibid., 25.) In alienandis aliis bonis, etiam si de minimis alienationibus agatur, caute procedat, sciat a Comp. Priv. et Decret. 50, S. Congr. Conc. annis 1624, 1626, quid tuta conscientia valeat et in dubium ad Generalem recurrat. (Ibid., 22.)

Sub gravissimis pœnis a S. Sede interdictum est quominus donationes cuiquam elargiatur nisi ea moderatione quam præscribunt Constitutiones Apostolicæ. (Ibid., 24 et loca allegata.)

Nequit permittere, nisi approbante Generali, ut ædificetur aliquid majoris momenti, ut esset templum, dormitorium, etc. (Reg. P., 75.)

SCHOLION

DE ADJUTORIBUS PROVINCIALIS

242 1° *Socius* Sacerdos a Generali constitutur qui ejus Admonitor est, et de ejus administratione quotannis Generalem monere debet. (Cst., IX, IV, 4. — C. G., VIII, 25, 3. — Or., I, 19. — Cl. II, 2, 3.)[1]

[1] Socius iste Professus communiter esse debet (1619). Non potest absque Generalis licentia esse non Professus (*a.* 1633). Socius porro, præter Admonitoris et Consultoris officia, secretarius est in primis Provincialis; illum sublevare debet in omnibus in quibus ejus opera uti volet, eique parere tanquam Superiori (*a.* 1601).

Habet proportionaliter eamdem curam personæ Provincialis quam Assistentes Generalis (*a.* 1601).

Superiori subditus non est (*a.* 1698); etsi ita gerere se debeat quasi

subditus esset. — Non est exemptus a domestica disciplina (*a.* 1594). Non habet jurisdictionem, sed exsequitur ea quæ a Provinciali ei mandata sunt, sicut Minister respectu Superioris (*a.* 1639). Potest absolvi a casibus reservatis, sicut alii e Collegio in quibus versatur (*a.* 1640).

C. G., XXIII, d. 36, « statuit Superioribus localibus non jam licere litteras a Socio Provincialis datas, vel a Nostris ad eum missas reserare. » (C. G., XXIII, 36, a quo antiquantur contraria.) Litteræ ad Provincialis Admonitorem missæ, a Rectore legi possunt (*a.* 1590, 1597, 1654). Non sunt igitur obsignandæ sigillo Admonitoris loci unde proficiscuntur (*a.* 1656).

Ab eo absolvi potest Provincialis a reservatis; et generatim quæcumque subditis concedere potest ipsorum confessarius, a suo confessario ipsi concedi possunt. (Or., I, 22.)[1]

Præterea Provincialis Socium habet Coadjutorem. (C. G., VII, 29.)

[1] Provincialis et Visitator de communi more Societatis confitentur Socio; possunt tamen eo uti Confessario quem volunt (*a.* 1586, 1621). At cf. infra ubi de Confessariis Nostrorum, et, si habent reservata, Ord., VI, 7.

2° Quatuor sunt *Consultores* Provinciæ, qui mensibus januario 243
et julio ad Generalem scribant (Form. scrib., 20, 21. — C. G., VII, 91. — Or., X, 3).[1] Speciatim de ordinandis utrum servetur Or., V; de consultationibus singulis mensibus, de peccatis linguæ. (Instr., I, 1. — C. G., VI, 36; — XII, 19. — Cl., II, 2, 3.) Mittent judicium suum de aptis ad gubernandum et de promovendis ad gradum. (Or., XVII, 3, 5; — XVIII, 1, 10; — XVIII, 5, 6.) Habent jus suffragii decisivi de impedimentis ad Congregationem provincialem, etiamsi Professi non sint (Form. C., Prov., 2, 10) et de mittendo extra Provinciam, post auditam mortem Generalis, eo qui in hac Congregatione jus haberet[2]. (R. Prov., 113.)

[1] Ut Consultores status Provinciæ rationem Generali melius reddere possint, ipsis a Provinciali prius communicanda sunt ea quæ a domorum Consultoribus relata fuerunt (*f.* 27 aug. 1835). Cæterum ex notitia undecumque et quocumque tempore habita scribere debent (*f.* 27 feb. 1837).

[2] Consultores isti solent esse Professi, non tamen necesse est (*a.* 1599). Si non sunt, possunt tamen cognoscere de impedimentis ad Congregationem generalem (*a.* 1600). Si Socius non sit ex quatuor Consultoribus designatis, debet tamen consultationibus interesse (*a.* 1607). Quando aliquis Superior est Consultor Provinciæ, ejus successor non ideo est (*a.* 1587).

Habent Consultores circa personam Provincialis eadem jura et officia ac Assistentes erga Generalem (Polancus, *a.* 1560). Mortuo Provinciali manent in officio donec novi designentur (*a.* 1646). Non debent cognoscere informatores (*a.* 1598). Suam sententiam de novis Superioribus in forma epistolæ ad Generalem exponant, non in cartulis (*a.* 1651).

De Consultoribus generatim responsum est videri contra substantialia Instituti conari ut Consultores habeant suffragium decisivum in consultationibus (*a.* 1634). « Il sera bon qu'il se fasse quelque changement dans les Consulteurs de Province : car quand cet emploi dure trop longtemps, il arrive assez qu'on se relâche un peu sur l'importance de cette charge » (*f.* 4 juin 1833).

Consultationi oratio laudabiliter præmittitur (*f.* 4 febr. 1872).

244 3° *Ad Procuratorem Provinciæ,* qui regulariter Professus esse non debet (Cst., VI, III, 7, D. — C. G., VIII, 3) pertinent omnia et sola negotia sibi a Prov^li commissa; scilicet, expeditiones, administrationes, lites, contractus, etc., quæ universæ Provinciæ domos spectant. (Reg. Proc. Prov., 2.) Ut hoc munus melius impleat, aliis ministeriis non nimium se dedat (It., 26), externorum negotiis non se implicet, eorumque deposita non admittat (It., 3, 12); Superiorum consilia exquirat et audiat (It., 4); sciat a Prov^li quas facultates habeat et cum ipso de negotiis conferat (It., 6, 11); viros negotiorum et juris peritos consulat, cum Prov^lis approbatione electos (It., 8). Vitet omnem negotiationis speciem (It., 5); lites componere studeat, et in tribunalibus vix appareat (9, 10). Curet libros rationum, fasciculos litterarum, archivum provinciæ (13, 14, 15, 16, 23, 24, 25). Quotannis bilancem rationum conferat, in visitatione exhibendam (17). Expensarum communium Provinciæ specialem rationem reddat Prov^li (22); in arca duplici clave obserata servet pecuniam ad negotia transigenda necessariam (19). Si quæ a singulis Domorum Procuratoribus curari commode nequeunt, eorum administratio Procuratori Provinciæ committi potest; ita tamen ut hic singulis Superioribus localibus eorum quæ gesserit rationem reddat, et reditus integros ad Procuratorem localem remittat a respectivo Superiore dispensandos. (P. Martin, Ord. temp., 20.) Ad Procuratorem generalem mittat tum pecuniam ad negotia Provinciæ gerenda et ad officialium P. N.

sustentationem necessariam, tum omnia documenta ad horum negotiorum expeditionem utilia (20, 21). Eorum quorum opera indiget benevolentiam conservet (1). In his quæ ad disciplinam domesticam spectant (non autem in suo officio) Superiori domus subditus sit (27) [1].

Procuratores Provinciarum in aliis Provinciis commorantes, quoad negotia propriis Provincialibus, quoad cætera vero Provinciali loci in quo degunt subditi essent debent [2].

[1] Procurator Provinciæ non subjicitur Rectori in his quæ ad officium suum 245
spectant (*a.* 1593); sed in aliis ei subest (*a.* 1647). Litteræ sociorum ejus a Rectore videri debent (*a.* 1650). Ipsi vero is competet usus sigilli quem Provincialis concesserit (*a.* 1624). Alitur a domo in qua est, si ministeria aliqua exercet; secus a Provincia (*a.* 1619). — Procurator Provinciæ non solum scrinium in quo servet pecunias, sed et cubiculum debet habere clausum, cujus alteram clavem non habeat Superior; nec illius libros, etiam qui de negotiis non tractant, aperire potest (*a.* 1652, 1647).

Licentiam generalem exeundi foras habere solet (*a.* 1647). Ab officiis humilibus liber non est (*a.* 1647). Ejus socii non possunt a Ministro nisi in culina occupari, in prima et secunda mensa, aut ex consensu ejus (*a.* 1650).

[2] Permissum fuerat, imo commendatum, ut Parisiis constitueretur aliquis Procurator communis cæteris Galliæ Provinciis, qui earum negotia in aula regis tractaret (*b.* †, 1625 et pluries).

Provinciis Hispaniæ similis concessio facta fuerat. Imo pro iisdem Provinciis Procurator Romæ institutus aliquando fuit, soli Assistenti Hispaniæ subditus (*b.* ††, 1625).

ARTICULUS SECUNDUS

De Provincialis officiis.

I. — **Erga Generalem** reverentiæ et obedientiæ exemplum omni- 246
bus præbeat (Cst., VIII, 1, 4; — X, 9. — Reg. 91), statum totius Provinciæ et propriæ conscientiæ ipsi perspectum esse curet. (Cst., IX, III, 19; — VIII, 1, 4. — Reg., 92.) Ad eum igitur scribat singulis mensibus; et præterea, initio cujusque anni, litteras annuas mittat. (Form. scrib., 7, 11, 27); Scribat quotannis de

præfectis spiritualibus (Ins., X, 14); de aptis vero ad gubernandum, tertio quoque anno. (Or., XVII, 1, 6.)[1] Cum autem aliquis Superior mutandus est, rationes exponat et plures ad succedendum cum informationibus proponat. (Or., I, 13.)[2]

[1] Informationes ad gubernandum accipiendæ sunt, singulis trienniis, de omnibus sacerdotibus ad gradum promotis, nisi quidam sint evidenter inepti : sufficit enim ut hæc inaptitudo semel declaretur (Nov. 1832). Possunt etiam informationes excipi de iis sacerdotibus non graduatis qui apti censentur. Quando ad consultationem Provinciæ referendæ sunt informationes quæ ad aliquem ex Consultoribus spectant, is abesse debet et in ejus locum alius substitui. Distinguenda est in informationibus aptitudo ad majus et ad minus Collegium regendum (*f.* P. A., 2 sept. 1835).

De eo qui fuit tantum Minister dici non debet *gubernavit;* sed *non gubernavit, at fuit minister* cum tali vel tali satisfactione. (P. Generalis ad P. Druilhet.) (*f.* 27 nov. 1837).

[2] Ordinationes suas majoris momenti, etiam non perpetuas, debet cum Generali communicare (1584). Graviter delinquentes præcipue contra castitatem ad ipsum deferre, ut conveniens remedium afferre possit (*a.* 1644). Etenchos visitationis singularum domorum mittere debet non simul omnes, sed successive. Commodius est ut statum temporalem anterioris anni referat (*f.* P. S., 15 jul. 1834).

247 II. — **Erga alios Superiores.** — *Provinciales* pro re nata juvet, eisque si eum invisent, locum suum in mensa cedat. (C. G., IX, act. 60.)

Visitatoribus obediat, nihil grave iis inconsultis statuat si præsentes sint[1]. (In. Visit., III, 10.)

Ad ipsum scribant Rectores singulis hebdomadis, ipse ad eos singulis mensibus. (Cst., VIII, I, L. — C. G., II, 54. — Form. scrib., 2, 5, 6.) Item Superiores domorum sex saltem sacerdotum (Pract., I, 3); Superiores vero minorum domorum bis in mense. (Ibid.) Eos in omnibus dirigat (Cst., VIII, I, 4, E; — IX, VI, 2), eorum auctoritatem tueatur, nec in eorum officium se ingerat[2]. (Cst., II, I, 2; — IV, X, 4; — VIII, I, 4, 6. — R. Prov. 28.)

Neminem, nisi gravibus de causis et monito Generali, ab eorum obedentia eximat. (Cst., VIII, I, D, E. — R., 31.) Querelas diligenter expendat; delationibus difficile credat; urgeat exsecutionem,

puniat negligentes; videat cur de quibusdam non sint querelæ; nullam spem transgressoribus faciat, nec recursus admittat. (C. G., VI, 37; — IX, 26. — Ins., XVIII, 8, 9. — Cl., II, 2, 4.)[3]

Aptos ad gubernandum exerceat, omnesque juxta aptitudinem et universale bonum adhibeat. (Reg., 19, 30. — Or., XVII, 1, 2, 3. — Ins., XXI, 4.) Absque ejus facultate, Rectores alio non abeant. (Reg. Prov., 105.)

[1] Nihil tamen suæ auctoritatis Provincialis amittit etiam in domibus quæ visitantur (*a.* 1620). Nec Visitator aliquam Provincialis ordinationem mutare eo inconsulto debet (*a.* 1568); nec Provincialis aliquam dispositionem Visitatoris inconsulto Generali (*a.* 1576).

[2] Aliquando tamen necesse erit coram paucis, ac pacate suaviterque, significare ipsum alias monitum de re aliqua fuisse (*a.* 1598).

[3] Potest Provincialis, juxta rerum exigentiam, moderare ac etiam suspendere, non autem tollere, usum potestatis Rectorum ex Constitutionibus (*a.* 1640). Potest visitare cubiculum Rectoris, non autem ejus clavem habere, cum Rector sit superior absolutus (*a.* 1606). Convocationes Rectorum ad consultandum de rebus gravioribus non probantur (*a.* 1571).

III. — **Erga suos Consultores.** — Consultoribus ea omnia quæ 248
pertinent ad consultationem communicet; item ordinationes communes a Generali acceptas. Eis plenam libertatem relinquat, suam sententiam non manifestando. Libenter se admoneri patiatur. Singulis mensibus de statu Provinciæ consultationem habeat. (R., 13, ad 17. — C. G., VI, 36, 6, 7. — Or., I, 23. — Ins., XVIII, 6.)[1]

[1] Provincialis cum suis Consultoribus conferre debet de officialibus constituendis (*a.* 1603); non tamen ab ipsis pendere quoad dispositionem personarum (1610).

Nihil grave ordinare debet, præsertim si sit contrarium ordinationibus aut responsis Generalium, quod non expendant Consultores (*a.* 1634).

IV. — **Erga subditos.** — Omnes ad perfectionem exemplo, man- 249
suetudine cum severitate mixta, diligentia, oratione promoveat. Nullas consuetudines toti Provinciæ communes statuat aut abroget, nec in gravioribus dispenset, inconsulto Generali. (Cst., IX, III, 8, D. — Reg., 1, 7.) In cæteris, dispensare potest, sed caute,

(Cst., IV, x, B; — IV, III, D. — R., 7. — Cl., I, 2, 1; — II, 1, 2.) Neminem sine causa mutet. (C. G., II, 12. — R 105.) Nec ullum in alienam Provinciam, etiam ad laborandum in vinea Domini, mittat absque respectivi Provincialis consensu, nec extra Europam absque Generalis facultate. (R., 112. — C. G., XXIII, 35.)[1] Regulæ vero 48 e Communibus decretum fuit congruere, ut ubi domus Societatis non sit, negotia non tractentur sine Præpositi illius Provinciæ consilio. Neque aliquis pecuniam corrogaturus in alienam Provinciam migret non facta ab hujus Præposito venia. Tandem prohibetur ne ii qui in domibus versantur quas Provinciæ dispersæ habent intra fines alterius Provinciæ, inscio vel invito hujus Provinciæ Præposito, sive sacra ministeria quælibet exerceant, sive aliquid in publicis ephemeridibus typis edant. (C. G., XXIII, 35.) Post cognitam Generalis mortem, nullum qui jus suffragii in Congregatione provinciali habeat alio mittere potest, nisi major Consultorum pars censeat rem urgere. (R. 113.) Solus vero Generalis aliquem alteri Provinciæ in perpetuum applicare potest. (C. G., VII, 60.) — Curam habeat proficiscentium. (R., 114 ad 117.) Instrumenta itinerum alicubi servari, non vero singulis propria esse caveat. (Ins., XIV, 2.) Neminem ad proprium usum aliquid accipere sinat. (C. G., VI, 21; — XII, 43, etc... — R., 90.)

[1] Provincialis facile concedere non debet ut subditi in aliam Provinciam transferantur, sive sponte id petant, sive ad hoc inducti fuerint (*f.* 6 aug. 1836). Quos ipse Generalis ad aliam Provinciam mittit absque ejus facultate a Provinciali revocari nequeunt (*f.* P. A., 23 jul. 1831).

Tempore perturbationis Galliæ, anno 1830, commendatum fuit Provinciali ut Nostros in seminariis aut etiam paræciis dispergeret, quantum fieri poterat, binos et binos, at nonnisi in extrema necessitate munus pedagogi in familiis ipsis committeret (*f.* P. A., 23 aug. 1830).

250 V. — **Quoad studia.** — Litterarum studia foveat. (R., 48. — Ins., XXI, 2. — St., I, 38.) Ea omnia quæ ad pietatem, bonos mores, doctrinæ puritatem, opiniones prohibitas pertinent exsequi curet. (Reg. Prov., tit. VI.) Nihil in lucem edi permittat inconsulto Generali. (Cf. inf., P. IX, c. 8.)

VI. — **Quoad temporalia.** — Bona Societatis administret, non ut 251
qui sit proprietarius pro lubitu de suis disponens, sed ut villicus qui patrimonium pauperum et bona Jesu Christi ac Ecclesiæ curat secundum leges in jure canonico sancitas. (P. Martin, Ord. pro temp., 21.) Caveat ne graventur Collegia ære alieno vel superfluo Nostrorum numero. (Reg., 82.) Attendat quæ de mutuo accipiendo aut dando, donationibus et alienationibus, pensionibus et depositis, contributionibus moderate imponendis, de arca Seminariorum Nostrorum instituenda et rite administranda, de Collegiis nostris ad formam Instituti consentaneam principaliori cura reducendis, de vitanda specie negotiationis, maxime in libris vulgandis aut vendendis et in censibus administrandis sancitum a Sede apostolica et Instituto fuit. (P. Martin, Ord. pro temp., P. II.)

In sumptibus extraordinariis permittendis Rectori, potius difficilem, extra veram necessitatem, se præbeat, quam benignum; nec inconsulto Generali facultatem det ubi summa expendenda quinque millia francorum excedat.

Ubi ædificium majoris momenti, uti esset templum aut dormitorium, construendum est, informationibus a Superiore et Consultoribus localibus acceptis, Consultorum Provinciæ sententiam exquirat, et cum sua ad Generalem referat; necnon delineationem ædificii, quæ semel a Generali approbata nequit absque ejusdem licentia mutari, nisi in rebus minoris momenti ubi de sententia Superioris et architecti videretur necessaria. Ædificia autem non debent esse sumptuosa et curiosa, sed simplicia, sana et fortia, ad habitandum utilia et ad ministeria nostra commoda, in quibus *lex clausuræ* rite servari possit et appareat *delineationis unitas*. (A. R. P. Martin, Ord. pro temp., 40.) Cavendum quoque ne fenestræ Collegii in ædes adversas prospiciant et e converso (*a.* 1604).

Instrumenta authentica rerum perpetuarum Romam mittat [1]. (R., 78.) Visitet bona stabilia. (R., 80.) Aes alienum conflari ne permittat. (R., 82.) Videat computa Procuratoris et Rectoris iisque subscribat. (R., 79.) Videat quoque rationem missarum *acceptarum* et *celebratarum*. (R. P. Martin, Ord. pro temp., 44.) Vestitum et supellectilem ad normam Societatis exigat (R., 84, 85), et

quidquid in itineribus, recreationibus, etc., mundum sapere videtur, forti manu resecet. (P. Martin, l. c. 28.) Et cf. infra, P. IX, c. 7, ubi de adm. Coll.

[1] Eorum scilicet contractuum qui ad 300 circiter aureorum summam perveniunt; cæterorum enim minoris momenti sufficiet argumenta indicari adjectis die, loco et nomine notarii (*a.* 1600). De re temporali, cf. supra ubi de paupertate, et infra P. IX, c. 7, ubi de temp. Colleg. admin.

252 VII. — **Quoad visitationem.** — Visitabit Provinciam singulis annis[1] (Cst., VIII, 1, I. — Reg. Pr., 118); per alium, si per se non possit judicio Consultorum, quamvis Domus probationum et Seminaria per se visitare semper deberet (R., 119);[2] eam formam servando quæ capit. XIV et XV, Reg. Provincialium describitur[3].

Curet erudiri et examinari de Instituto futuros Superiores. (Or., I, 20.) Videat an quidam negotiis sæcularibus se immisceant, et ad Generalem referat (C. G., VIII, 56); an collationes casuum fiant (C. G., XIII, 37); universim demum regularum exsecutionem urgeat. (C. G., VI, 37; — IX, 26. — Ins., XVIII. — Cl., I, II.)[4]

[1] Aut etiam bis in anno, si opus sit (*a.* 1568).

[2] Si Provincia Societatis in altera Provincia bona vel residentiam possidet, Provincialis Provinciæ in qua bona sita sunt, cum tacito vel expresso alterius Præpositi consensu, Nostros prædiaque visitet (*a.* 1652).

[3] Non est necesse ut in singulis visitationibus novum inventarium fiat, sed sufficit ut fiat singulis trienniis, additis singulis annis quæ accesserunt (*a.* 1597). Nec minima quæque brevi consumenda, inscribenda sunt (*a.* 1587).

[4] Olim non fuit probatum Provincialem ultra triduum hospitaliter tractari (*a.* 1647, 1657); aut excipi carminibus et dialogis (*a.* 1581, 1647).

Omittenda non est visitatio Domus professæ, etiamsi in ea Provincialis ordinarie resideat (*f.* P. A., 13 feb. 1830). Optandum est ut totius Provinciæ visitatio absque interruptione fiat, ita ut per reliquum tempus Provincialis in sua residentia maneat suoque exemplo subditos ab inutilibus itineribus abducat (*f.* 2 nov. 1839). In aliena autem Provincia subditos a Provinciali visitari non est in Societate usitatum (*f.* 16 jul. 1831); idque vix fieri potest quin gravia inde sequantur incommoda. Minus adhuc probatur ut hujusmodi visitationem per alium fieri procuret (*f.* P. A., 28 jul. 1831).

Horam considerationis quæ Rectoribus circa suas domos præcipitur ipse Provincialis circa Provinciam peragere debet (1585, 1588). Paucissimas ordinationes scripto relinquat, sed quæ ordinat potius ad praxim rediget quam in cartam (*a.* 1596).

CAPUT OCTAVUM

DE VISITATORE, SEU COMMISSARIO

I. — **Ejus munus et facultates.** — Eligitur a Generali ut ejus 253
loco Provincias visitet aut gravia negotia transigat (Cst., VIII, 1, 7, H; — VIII, v, 4; — IX, III, 20. — C. G., I, 91; — II, 11); id tamen non continuo fieri solet sed per intervalla pro necessitate aut gravi utilitate. In Indiis id olim ordinarium fuit officium, quod per triennium durabat, nec sicut in Europa, morte Generalis exspirabat. (C. G., I, 91; — IV, 3.) Provinciali superior est Visitator; ejus vero facultates petendæ sunt tum ab Instructione Visitatoris, extra Institutum vaganti et per C. G., VII, 37, Generalis correctioni remissa, tum a patentibus[1], in quibus amplissima ei conferri solet auctoritas; sed secreto restringitur, ita ut in foro exteriori Provincialium facultates non excedat. In foro interiori servat suam amplitudinem. (In. visit. 7.) Aluntur Visitatores a domibus quas incolunt; et itineris expensæ a domibus in quorum utilitatem fit solvendæ sunt. (C. G., II, 82.) Socium habet a Generali designatum, qui est simul ejus admonitor et rerum agendarum consultor et exsecutor.

Dum munere fungitur, nec una sit vice-Provincialis, a Congregatione provinciali excluditur. Generali demortuo, quamvis in Europa ab officio decedat, jus tamen habet liberum ad Congregationem tum in sua Provincia, tum in illa quam visitabat; at hanc posteriorem ut ingrediatur, et quidem extra numerum, debet habere requisitam in utraque Professionis antiquitatem.

(C. G., IV, 3: — VI, 35: — VII, 58: — IX, 28. — Form. C. Pr. 4, 8.)

[1] Has patentes exhibere poterunt Visitatores ubi opus erit: cæterum de eorum missione constat litteris quas Generalis ad Provinciales directe mittit (*b.* †, 1611).

254 II. — **Officia visitatorum.** — In visitationibus perfectionem, amorem Instituti, uniformitatem inter varias nationes et charitatem, vitam demum spiritualem promoveant: Superiorum auctoritatem tueantur: eos de dispensationibus a se concessis moneant: per eos quæ mandaverint exsequantur: nihil gravius inconsulto Generali statuant: Provincialem a gubernanda Provincia non impediant. Ab ipso, ante visitationis exordium, informationes accipiant. Particularia per seipsos non ordinent. Recurrentes subditos prius ad Superiorem immediatum remittant, nisi de hujus persona agatur. Ab iis domibus ordiantur quarum major est necessitas. Omnium necessitates cognoscant ut eis subveniant[1].

Curent ut formula scribendi servetur: ut Superiores formentur et corrigantur: ut informationes ad gradum et ad gubernandum tempestive et rite conficiantur et mittantur: ut regulæ de admittendis et dimittendis serventur: ut Scholastici in pietate et litteris instituantur: ut Concionatores nec delicati sint nec vani: utque confessarii maturi constituantur: ut Coadjutorum pietas colatur. Ne sibi displicere præ se ferant quod subditi Romam scribant, malorum radices curent cognoscere et amputare. (Ins. Visit.)

[1] Nihil scriptum relinquat Visitator ex iis quæ jam in regulis continentur. Cætera, si parvi momenti sint et cum socio conveniat, per se ordinare poterit. Si majoris momenti sint, aut socius dissentiat, ad Generalem deferantur (*a.* 1567). Ea sola in librum visitationis describantur quæ sunt perpetua; secus in memoriali (*a.* 1583). Caveat Visitator ne minutis rebus se immiscendo, fastidium pariat (*a.* 1589): profectui spirituali Nostrorum præcipue incumbat (*a.* 1589): cum Rectore et Consultoribus omnes regulas singillatim examinet (*a.* 1578): non adsit in loco ubi habetur provincialis Congregatio, ne videatur impedire libertatem, quamvis nullus canon id prohibeat (*a.* 1642). Nec Visitator nec novus Provincialis Provinciæ consuetudines mutare debet, nisi auditis prius Consultoribus Provinciæ et consulto Generali (*b.* †, 1619).

III. — **De visitatione Provincialis.** — Peculiaris est visitatio Pro- 255
vincialis suo officio defuncti, sive a Visitatore, sive a successore, jussu Clementis VIII, instituenda[1] (C. G., V, 64, 2), et juxta Or. IX peragenda est. In hac visitatione cavendum est tum ne Superiorum existimationi detrahatur, tum ne Superiorum erratis conniveatur. — Quærendum a Provinciali : an Provinciam quotannis visitaverit, an subditorum querelas audierit et Superiorum defectus correxerit; an conscientiæ rationem acceperit etiam a Superioribus. Interrogandus est de paupertate, de admissis et dimissis, de informationibus ad gradum et gubernium, de ære alieno, de pecuniis sibi traditis, de ministeriis et studiis fovendis, de institutione ad varia munia et ad gubernandum, de spirituali gubernandi ratione, de communicatione cum Consultoribus, cum Admonitore, libenter audiendis, et cum Generali fideliter edocendo. De his judicandum est ex regulis Visitatoris et Provincialis. Si visitatio fiat a novo Provinciali, nihil hic immutet, sed auditis tum Consultoribus tum Prædecessore, ad Generalem referat. (Or., IX, 3.)

[1] Novus Provincialis antecessorem visitare debet, etiam sine speciali commissione Generalis, ex C. G., 5, 64 (*a.* 1640).

Existit tamen in archivio Societatis folium in quo asseritur non præscribendum ut Provinciales omnes in exordio sui muneris visitent in posterum suos antecessores. — Nota tamen ex R. P. Martin, Provincialem successori suo rationem reddere debere missarum acceptarum et celebratarum. (Ord. pro temp. 44.)

« Traditurus successori catalogos secretos, tollat prius quæ spectant ad illius personam » (*a.* 1584).

CAPUT NONUM

DE SUPERIORIBUS LOCALIBUS

ARTICULUS PRIMUS

De Superiorum localium electione, dotibus et juribus.

256 Cum nomine Superiorum localium maxime audit Institutum Præpositos Domorum professarum et Rectores Collegiorum, de iis præsertim intelligenda sunt quæ in hoc et sequenti articulo dicuntur. (Cf. C. G., XXIII, 28.)

I. — **Eorum electio.** — Eliguntur a Generali[1] ex informationibus quas Provincialis, tertio quoque anno, de his sacerdotibus quos Consultores non clare judicant ad gubernandum ineptos. Informationes sumuntur ab iis qui optime subjectum noverint et bene informaturi existimantur. In informationis paradigmate apponitur cuilibet capiti judicium tum informatorum tum Consultorum : seorsim vero Provincialis et unusquisque Consultor mittit Generali suum judicium de ipsa idoneitate. Ubi vero eligendus aliquis Superior, proponuntur Generali plures apti, et quis aptissimus indicatur. (C. G., VII, 82, 99. — Or., XVII.)[2]

Capita informationum sunt : Patria, ætas, studia, magistratus, devotio, mortificatio, prudentia, fortitudo, discretio, observantia, scientia Instituti, aversio ab humana politica, a quocumque affectu particulari, zelus animarum, subordinatio, peritia rei familiaris

administrandæ. (Or., XVII, 18.) Curet autem Provincialis aptos non solum proponere, sed etiam exercere. (R. Pr., 29. — Ins., XXI, 4.)

[1] Si quos Provincialis in casu urgenti inconsulto Generali nominat, hoc ipso quod a Generali non revocantur, censentur tolerati ut vice-Rectores, nec a Provinciali inconsulto Generali amovendi sunt (*a.* 1585). In eorum nominatione Provinciales uti possunt patentibus Rectoris cum hac clausula : « donec Præpositus Generalis admonitus de proprio Rectore provideat » (*a.* 1611).

[2] Informationes non sunt postulandæ a Consultoribus Provincialis eo quod ipsi judicare debent de informationibus (*a.* 1599); nec a confessario nostrorum domestico (*a.* 1612, 1625); nec a non sacerdotibus (*a.* 1599). Non licet ad eas dandas uti notitia accepta ex ratione conscientiæ (*a.* 1603).

Informationes ad regimen sive autographæ, sive consultatæ, non prius destruendæ sunt quam quinque triennia elapsa fuerint ab acceptis iisdem informationibus. (*i.* P. Beckx cum AA., 20 maii 1866.) — Provincialis non potest corrigere errores commissos in informationibus, sed scripto referet ad Patrem Generalem, per privatas litteras (*a.* 1642). Judicatum est non expedire ut informatoribus ad gradum vel ad gubernationem imponeretur præceptum vel juramentum de dicenda veritate et secreto servando (*a.* 1593, 1649).

Potest Provincialis modo provisorio vice-Superiorem constituere; imo et potest Rector in casu inopinato itineris vel morbi alium nominare qui auctoritatem et jurisdictionem habeat usquedum moneatur Provincialis. (C. G., VIII, 20.)[1] 257

Si vero nullus sit designatus Superior, Minister domui etiam professæ præerit. (C. G., VIII, 20); si uterque absit, supplente non designato, sacerdos antiquior in religione habebit jurisdictionem in spiritualibus et quoad disciplinam, non vero quoad gravia negotia peragenda aut conficienda instrumenta contractus, donec Provincialis provideat. (C. G., XVII, 9.) De nominatis a Generali moriente, cf. supra, ubi de Generali et C. G., X, 9.

[1] Is quem Rector sibi substituit vice-Rector vocari non debet, nec Rectoris locum in mensa sumere (*a.* 1603). E contra qui a Provinciali constituitur etiam per duas aut tres hebdomadas habebit omnia quæ Rectori deferri debent, etiamsi Provincialis adsit (*a.* 1603).

Responsum fuit pluries (*a.* 1607, 1623, 1624, 1628) Rectorem morientem

non posse vice-Rectorem nominare, et si nominaret, non valere, ideoque succedere Ministrum. At, nisi in his responsis agatur de titulo vice-Rectoris tali successori non dando, antiquata videntur a C. G., VIII, 20, anno 1645 habita, quæ expresse facit Superiori, domo aut vita decedenti, jus alium a Ministro nominandi, qui domus curam provisoriam habeat.

Nihilominus cum Minister tunc vice-Rector censeri debet quum Rector moriens, aut ad dies aliquot discedens, non alium vice-Rectorem designaverit (*a.* 1597, 1608, 1621, 1631), ideo non opus est ut Superior localis alium a Ministro successorem nominet, cum moneri statim possit Generalis (*a.* 1597).

258 Inchoatur Rectoris regimen a die quo authentice renuntiatur etiam absens, in sua domo, vel[1] extraordinarie in loco ubi major pars subditorum est, aut demum in eo quem Provincialis aptiorem judicaverit. (C. G., VIII, 43; — IX, 10.)[2] Non debent hæ præfecturæ nimis diuturnæ esse. (C. G., V, 35.) Nullo tamen certo tempore limitari eas voluit Alexander VII, *Debitum* (1663), abrogans ad unanimem Cong. XI, d. 12, petitionem decretum Innocentii X. (1 jan. 1646.) Simile Clementis VIII decretum (C. G., V, 64) fuerat abrogatum a Paulo V[3]. (*Quantum Religio,* 1606.)

[1] Ad authenticam renuntiationem Rectoris non sufficit fama ex litteris Generalis vel Provincialis, sed requiritur publicatio in ipso loco per Provincialem vel Superiorem præcedentem (*a.* 1647). Diploma necessarium non est, sed utile ad quosdam actus cum majori auctoritate peragendos (*f.* 20 dec. 1839). Rector designatus potest, antequam munus acceptet, rationes suas Generali proponere, nec in hoc a Provinciali impediendus (*a.* 1666).

[2] Sic quoad favorabilia; sed secundum rigorem ab eo die triennium Rectorum inchoatur (quando observabatur), quo subeunt Collegium et munus suum exercere incipiunt (*a.* 1643). Cf. tamen Cong. VIII, d. 43 (1645), ubi determinatur usus Societatis antea « non satis constans. »

Jam an. 1560, 1587, Generales censuerant temporis præfixionem in Rectoratu alienam a mente S. P. Ignatii. (*a.*)

[3] Expedit plerumque ut Superior ab officio liberatus etiam loco mutetur (*a.* 1614). De commodis mutationum opportune faciendarum, cf. P. Oswald, n. 1066.

259 II. — **Eorum dotes.** — Dotes eorum eædem esse debent cum proportione ac Generalis. (Cst., IV, x, 4.) Pusillanimes vero arcendi sunt a gubernatione. (C. G., VI, 37, 1, 7. — Cl. II, 2, 4.)[1]

[1] Optandum est ut in constituendis Rectoribus aptitudinis potiusquam nationalitatis ratio habeatur, vitatis tamen causis querelarum (*b.* †, 1594). « Postulatum fuit a Cong. prov. Tolet., 1590, ut qui raræ virtutis et excellentis ingenii specimen præberent, ab onere gubernandi liberarentur ut se totas litterarum exercitationi traderent. Et placuit P. N. » (*a.* ad v. *Rector*, § 3, n. 15.)

III. — **Eorum jura.** — Eorum potestas ampla esse debet ad bonum[1]. (Cst., II, I, 2; — IV, X, 4; — VIII, I, 6; — IX, VI, 2; — X, 8.) Eam determinabit Præpositus Generalis, eamque secretis litteris contrahere poterit quam patentibus dederit. (Cst., II, I, 2, B.) Ordinarie desumenda erit a regulis Rectoris aut Præpositi et a Compendio privilegiorum. (R. Præp. 13, Rect. 12, 17.) Extenditur in omnes qui eamdem domum incolunt, nisi quem Provincialis consulto Generali exemerit (R. Prov. 31); quod raro fieri debet. (Cst., VIII, I, E.) Extenditur etiam in hospites (R. Com. 48)[2]; in eos qui ad vicinas Missiones pertinent (C. G., VII, 21, 2); item in eos qui commorantur extra domos, in sua vicinia[3]. (Cst., VII, III, A; — VIII, I, 4. — C. G., XI, 32.) 210

[1] Potest erga se Superior iisdem uti facultatibus quam potest concedere subditis (*a.* 1591).

[2] Iter facientes absque Superioris localis approbatione eleemosynas petere non debent (1576). Quoad Superiores in aliena domo degentes, declaratum olim fuerat eos, quoad disciplinam, Superiori hujus domus subjacere, ac proinde ab hoc ipsis petendam esse licentiam exeundi, etc., nisi detur generalis, servata tamen, quoad cætera, et in specie quoad absolutionem, sua jurisdictione in suos subditos quos secum habent (*a.* 1584, 1600, 1657). Recentius responsum est : « Regula 48 Communium non est generaliter intelligenda de Superioribus domorum alienarum ; attamen dantur casus in quibus prudentia et charitas suadent Superiori domus ut consilia dent et directionem Superioribus alienis apud ipsum versantibus. » (*f.* P. Roothaan, ad P. Druilhet, 27 nov. 1835.)

[3] Superior castrensis degens Bruxellis in hyeme, Rectori quoad omnia, litteras, facultates... subdebatur (*a.* 1641). Qui sunt in obsequio principis subsunt Superiori loci in quo degunt, quamvis ad aliam Provinciam pertineant (1626.)

Si quis suo Provinciali rationem reddit negotiorum quæ in aliena domo transigit, ea Superiori hujus domus communicare non tenetur (*b.* ††, 1584) ; neque tenentur ii qui ad conventus publicos mittuntur a locali Superiore

doctrinalem directionem accipere, etsi quoad negotia agenda hujus auctoritas salva esse debeat (*a.* 20 mar. 1875). At cf. litteras P. Beckx, 11 april. 1876 et P. Anderledy, 8 dec. 1890, infra ubi de alienis ab Instituto, P. X.

261 Possunt Rectores celebrare contractus[1]. Possunt jubere in virtute Sanctæ Obedientiæ; sed raro id facient. (R. Præp.; — C. G., IX, 12.) Possunt communicare subditis facultates Societatis, et aliunde concessis utendi facultatem facere, vel earum usum limitare aut omnino suspendere, sive a Summo Pontifice sive a Generali concedantur. (Greg. XIII, *Decet Romanum.* — Compendii Privilegiorum præfatio, n. 5.) Possunt dispensare in Constitutionibus, quando judicant hanc fuisse mentem illius qui condidit; sed in rebus majoris momenti Provincialis consulendus est aut saltem monendus. (Cst., IV, x, B; — IX, III, 8, D. — Cl., II, 1. — R. Præp. 11.) Possunt a confessariis ordinariis domus absolvi a reservatis, imo a quolibet alio, sed cum onere se sistendi Provinciali[2]. (C. G., XII, act. 40.) A quolibet confessario dispensari possunt in cibis vetitis, horis canonicis, irregularitate et aliis, sicut ipsi dispensant cum subditis. (Ord., I, 22.)

Subditos extra domum ad ministeria aut humilia officia exercenda mittere possunt. (Ex., IV, 27. — Cst., VII, II, E; — IV, 9.)[3]

[1] De contrahendi jure Cf. infra, P. IX, c. 7, ubi de Adm. temp. Colleg. Itemque de jure ædificandi, Cf. quoque supra n. 241, ubi de juribus Provincialis et n. 251, ubi de ejusdem officiis.

In domibus ære alieno non gravatis, titulo eleemosynæ *extraordinariæ* præter ordinarias, quotannis unum pro centum Rector dare potest (*a.* 1646). De ordinariis, cf. R. R., 96. Amico vel parenti, dono nihil, in eleemosynas vero quantum judicio boni viri, spectatis circumstantiis, æquum videbitur dare potest (1592).

Superiores ordinarie non debent tenere nec expendere pecunias, sed omnes debent transire per manus Procuratoris, sicut Provincialis nisi per manus Procuratoris Provinciæ (*a.* 1666, 1622). Pecuniarum enim quæ Rectori dantur eadem ratio est ac de reliquis Collegii bonis (*a.* 1584).

Rectores non sunt permittendi congregare ex eleemosynis 100 vel 200 aureos, quos non inferunt in arcam, sed reservant in varios usus, nemine conscio; sed debent omnia, nisi sit exigua summa, v. g. 100 floren. (pro qua Provincialis licentia sufficiet), referre in arcam (*a.* 1606); si quam vero pecuniam retinent, de ea Provinciali rationem reddere debent (*a.* 1628).

[2] Malæ ædificationis esset si Rector sæpius suos confessarios mutaret (*a.* 1597).

[3] Mos qui in Gallia existit benedictionem a Superiore petendi, cum quis ad ministeria obeunda proficiscitur aut inde redit, laudabilis est, licet Romæ ignotus sit (*f.* 4 janv. 1836).

IV. — **Superiores residentiarum ac missionum** fixarum eadem 262
habent jura, quoad absolutionem reservatorum jurisdictionemque internam ac cæteri (C. G., XII, 12), sed nullum jus ad Congregationem provincialem, excepto olim Superiore primariæ Residentiæ in Indiis et missione Hollandiæ. (C. G., IX, 18; — VIII, 51.) Quoad vero alia jura Superiorum Residentiarum nudarum quarum Præpositus a Provinciali immediate pendet, pertinet ad Generalem illa definire. (C. G., XXIII, 28.) Regulas vero pro his Superioribus conscribi non visum fuit expedire. (Ibid.) Superior vero Residentiæ quæ sit Collegium inchoatum iisdem gaudet juribus ac cæteris *Rectoribus*. (C. G., IX, 18.)

V. — **Vice Præpositi et vice Rectores** ubi nullus est Superior 263
principalis, easdem habent facultates ac ipsi Præpositi aut Rectores, excepto jure succedendi Provinciali mortuo[1]. (Epit. P. VII, c. 5, n. 230. — C. G., IX, 18.) Si tamen loco Superioris absentis sint, ipsius auctoritati subsunt, nec in aliqua re ab ipsius gubernandi ratione discrepare debent. (C. G., XII, 53.) Res graves ad ipsius reditum differant, aut si casus urgeat, nonnisi ex Consultorum consilio statuant, et dein ipsum moneant. — Jus ad Congregationem provincialem non habent ii nisi Superior neminem tempore convenienti designasset. (C. G., XII, 35.)[2]

[1] In actis authenticis vice-Rector Rectorem se subscribere potest (*b.* ††, 1571).

[2] Præsente Provinciali, Rector nullum ex suis juribus amittit, nisi forte peculiarem ob causam aliqua ex ejus facultatibus suspendatur a Provinciali (*a.* 1569).

Animadversum est non expedire ut in eadem domo socii ex diversis Provinciis æquali fere numero versentur. Difficilis enim evadit gubernatio; et difficilior adhuc si majori sint numero socii ex Provincia aliena. Hi enim ad querelas proni erunt proprio Provinciali promendas; et ipse domus Superior de ipsis facile conqueretur (*f.* P. A., 18 maii 1830).

ARTICULUS SECUNDUS

Superiorum officia.

264 I. — **Erga Deum et seipsos.** — Oratione et sanctis desideriis totam domum sustineant. (Cst., IV, x, 4, 5. — Cl., I, 2.) Spiritualia exercitia per aliquot dies faciant, in principio suæ gubernationis (Ord., I, 6); et si nondum gubernarunt, per duos menses antea Institutum attente legant. (Or., I, 20.) Deinceps per horam, alternis saltem diebus, considerationi vacent. (Or., II, 5. — Cl., II, 2.)[1]

Per hanc horam serio perpendant quomodo se habeat status domus, an subditi in virtutibus proficiant; quid impedimenti vel distractionis habeant; quo spirituali morbo laborent, quo remedio juvari possint; quomodo Præfectus spiritualis et cæteri officiales officio suo fungantur; quomodo religiosa disciplina, ministeria se habeant; examinent proprios defectus in gubernatione, Superiorum jussa, etc... Habeant catalogum rerum agendarum ex Regulis, et similibus confectum (C. G., VI, 36), et libellum in quem agenda referant.

Habere præterea debent : 1° librum continentem ordinationes perpetuas, Visitationes approbatas a Generali, responsa P. N. ad quæsita domus et Provinciæ; 2° librum continentem responsa ad postulata per procuratores allata; 3° librum continentem resolutiones casuum difficilium ex Urbe; 4° librum continentem epistolas Generalium, adhortationes non impressas; 5° librum continentem ordinationes temporarias ex Urbe missas aut a Visitatoribus approbatas; 6° librum continentem nomina eorum qui vota solemnia aut simplicia emiserunt; 7° librum continentem consuetudines a Provincialibus approbatas et Visitatoribus offerendum. (Cst., V, III, 4; — IV, G, R. — R. Pr., 135, Præp., 12, Rect., 11. — Or., VIII. — Ins. Visit., 9.)

[1] Hora considerationis potest dividi, ita ut singulis diebus media ei hora tribuatur (*a.* 1620). Pro illa computari potest tempus quod impendit Superior parendæ exhortationi domesticæ, etiam ad solos Coadjutores, dummodo in ea agat de rebus ad disciplinam domesticam, rectamque familiæ administrationem spectantibus (*a.* 1627).

Externas occupationes vitent, si impedimento essent. (Cl., I, 2, 4.) 265
Nec domum deserant inconsulto Provinciali, nisi locus vicinus aut causa gravis sit. (R. Prov., 105.) Doctrinam christianam per quadraginta dies continuos vel interpolatos, primo anno, doceant, per se, vel etiam per alium, si, judicio Provincialis, per se nequeunt. (Cst., IV, x, 10.)[1] Ac primo quidem quemadmodum doceri solent pueri, deinde etiam per conciones, si Superior censuerit. (C. G., II, 65.) Aliquando officia domestica obeant. (Cst., III, I, 19.)[2]

Communem vitam servent. (Cst., VIII, I, 3. — C. G., XII, 48; — III, 38. — Cl., I, 2, 7; — IV, 9.) Si quid tamen in illa mutandum censent Consultores, eorum judicio acquiescat Superior. (Cst., IX, IV, 2; — V, 2; — VI, 1.)

[1] Rector initio suæ gubernationis, non vero quoties in suo officio confirmatur, ad id tenetur (*a.* 1581, 1611). Si per se ipsum quis id omnino facere nequeat, debet id facere per illum qui non docet illam (*a.* 1597). Sed valde commendatur ut per se ipsum id præstet (*a.* 1616). Rectores seminariorum externorum ad id non tenentur (*a.* 1654). Regulæ satisfacit Rector novitiatus novitios docendo (*a.* 1611).

[2] « Rector ut satisfaciat Reg. 33, sufficit, si per vices ministret in iis officiis. » — « Ejus R. 33 de obeundis aliquando domesticis ministeriis intelligitur non de continuo tempore, sed per vices ut obeantur interdum » (*a.* 1584, 1587). « Permissum est Superiores qui vellent, feria V[a] in Cœna Domini lavent pedes juxta rubricas; sed non obligandi cum non fuerit modus in Societate » (*a.* 1628).

II. — **Erga Superiores.** — Ad Generalem tertio quoque mense 266
scribant[1]. Ad Provincialem, singulis hebdomadis, negotia prius cum Consultoribus agitando et eorum sententiam ei exponendo[2]. (Cst., VIII, I, L. — Or., II, 10. — Ins., IX, 5.) Litteras annuas, sub finem anni, ad Provincialem mittant (Cst., VIII, I, 9, M. — C. G., II, 37; — IV, 38), nec eas ulli externo, quavis occasione

communicent. (Or., IV, 11.) Historiam domus Romam mittant, exemplum retinendo. (Or., I, 5.) Catalogos tres conficiant Procuratori tradendos, singulis trienniis, et singulis annis supplementum ad Provincialem mittendum[3]. (Form. scrib., 32. — Or., XIX.) In mensa suum locum aliis Superioribus non cedant, sed Provincialibus etiam aliarum Provinciarum[4].

[1] Rector non debet absque necessitate, inconsulto Provinciali, aliquam innovationem Generali proponere (1576).

[2] Non licet Rectoribus suspendere exsecutionem mandati Provincialis usquedum Romam scripserint (*a.* 1641). Imo, quum Generalis aliquid præscribit adversus ordinationes Provincialis, non vult id mandari exsecutioni, donec Provincialis consensum et directionem præbuerit (*a.* 11 oct. 1614).

[3] In hoc supplemento notantur recenter ingressi et dimissi, cum eorum nomine, cognomine, gradu, conditione et tempore dimissionis; defuncti, transmissi ad alias Provincias aut ab aliis Provinciis (*a.* 1600, 1607).

[4] Olim non dabatur Rectori locus proprius in alienis domibus (*a.* 1633). Nec in propria domo pro Litaniis aut in aula recreationis (*a.* 1602). « Omnino abrogandus videtur usus carmina aliaque componendi et recitandi in festis onomasticis quorumlibet Superiorum, utpote qui nec Societatis mori, nec religiosæ simplicitati convenit » (*f.* 1 mart. 1836).

267 III. — **Erga Consultores suos.** — Cum Consultoribus, singulis aut saltem alternis hebdomadis, conveniant[1], et aliquid ex Regulis legant. Prima mensis hebdomada de exsecutione agant, memoriale visitationis legant, iis inhærendo quæ exsecutioni mandata non sunt. (Or., II, 10, 19, 20. — Ins., XVIII, 5.)[2]

[1] Res alicujus momenti prius conferantur cum illis quam Provinciali scribantur (*a.* 1590). Nec in hujusmodi Rector ab unanimi eorum sententia discedat (*a.* 1591).

Quando Consultores omnes sunt contrariæ sententiæ, in re quæ concernit religiosam disciplinam, vel quid simile grave, Superior deberet se accommodare illorum sententiæ; aliter videretur violentum, si contrarium decerneretur (*a.* 1591). Non est necesse ut Consultoribus status temporalis minutatim ostendatur, sed in genere quanta sunt debita, credita, etc... (*a.* 1648).

[2] Si Superior omnia pro arbitrio disponeret, nec nisi pro forma, dumque res non est amplius integra, Consultorum sententiam exquireret, nullam iis libertatem relinquendo, et contradictionem ægre ferendo; si subditos de suis defectibus admonere negligeret et potius apud Provincialem instaret ut ab eis

liberaretur, is sibi merito applicare posset vituperia quæ contra eos qui politice gubernant pronuntiantur (*f.* 16 mar. 1838).

IV. — **Erga subditos.** — 1° *Candidatos* per se non admittant 268
(etiamsi moribundi essent, 1624); sed ubi opus est Candidatos ad Provincialem mittant aut domi ut hospites retineant. (Cst., I, I, A, B.) Dimissos aut profugos ante assensum dimittentis aut Superioris loci dimissionis, nisi prudenter et provisorie ut hospites, non recipiant. (Cst., II, IV, 1, A.) Dimittendos publicis ministeriis non exponant. (Or., XII, 10.)

2° *Scholasticos* ad studia non promoveant aut mutent, inconsulto Provinciali. (R. R., 37.) Sub fine studiorum de cujusque talento Provincialem admoneant. (Cst., IV, IX, 3.) Omnes exercitationes litterarias foveant, et ad hoc alia negotia apte temperent. Scholas interdum adeant, etiam inferiores, examinibus et frequenter disputationibus intersint et examinatores pro philosophia et scholis inferioribus constituant; curent ut Scholastici ab exercitationibus scholasticis non absint, latine loquantur et scribant, carmina condant in renovatione votorum; ut interdum Rhetores orationes aut poœmata græce, latine aut lingua vernacula componant et in instauratione studiorum oratio a magistro insigniore habeatur. (Cst., IV, V, 2, 3; — IV, VI, 9, 13. — St. R. Rect., 11, 14, 15.) Occupationes quæ studia impediant a scholasticis, præsertim biennio relegentibus, arceant. (R. R., 38. — St. ib., 4.) Et generatim efficiant ut quæ infra de studiis habentur sedulo præstentur. — Singulis aut alternis mensibus, consultationes habeant cum professoribus classium inferiorum et interdum cum aliis. (St. R. R., 18.) Magistrorum alacritatem foveant ipsisque paterne provideant. (R. R., 35. — St. ibid., 20.)

Scholasticorum, præsertim qui in Collegia mittuntur (C. G., XXIV, 20), peculiarem curam habeat Rector; idoneos præceptores et confessarios eis præficiat; ab alienis studiis, ab externorum familiaritate, a Nostrorum patrocinio, ab aliorum conversatione avertat; ad pœnitentias, orationem[1], paupertatem et indifferen-

tiam impellat. (Ins., VII; — XIII, 8. — C. G., VI, 40.) Eorum regulas bis aut ter in anno, in refectorio legi curet. (C. G., II, 66.) Juniorum vero scholasticorum educationem et segregationem ad tramitem Or., XIII, curet. (C. G., VI, 16; — XVIII, 22.)

[1] Junioribus aliud tempus lectioni spirituali præscribendum, judicio Præfecti spiritus, præter illud quod Cong. VII, can. 5, omnibus præscribitur (*a.* 1629).

3° *Coadjutorum* peculiarem curam habeat (C. G., XXIV, 20); eos sive in recreatione, sive saltem semel in hebdomada private alloquatur, singulis hebdomadis spirituali conferentia eos instruat, nec eos solos exire, aut contemni, aut à Ministro nimis urgeri permittat. (Or., II, 16. — Ins., VIII. — C. G., VII, 80, 19; — XVIII, 22.) Subditis demum omnibus invigilet[1]. (Cst., III, I, 16; — IV, X, 5.)

[1] Non convenit ut Rector, ablata clavi, se includat in cubiculo ad meditandum (*a.* 1590).

269 4° *Universim.* — Rationem conscientiæ accipiat et sub secreto servet. (Ex., IV, 34, 35. — Cst., III, I, 12; — IV, X, 5; — VI, I, 2. Ins., XI; — XIII, 2. — C. G., XII, 15. — Or., I, 17.) Ut vero subditi ad suam conscientiam aperiendam proni sint, Superiores toti sint in eorum profectu promovendo; benevolentia et comitate illos alliciant; secreti sint quam tenacissimi, ne Generali quidem aliquid ex sibi commissis innuendo. De qua re Provincialis in visitatione inquirat delinquentesque puniat. Hujus praxis utilitatem in exhortationibus extollant; et eos laudent qui citra confessionem semotis iis quæ ad confessionem proprie pertinent, eam reddunt, libertate tamen relicta. (Ins., XI, 1, 2, 3; — XIII, II, 2, 3. — C. G., XII, 15. — R. Prov. ult. et Rect., 25.) Inquirant quam frequenter cum Præfecto spirituali agant. (Or., II, 6. — Cf. infra de ratione conscientiæ, P. V, c. 1.)

Intercessiones repellant. (Or., IV, 12. — Ins., VII, 3.) Delatoribus non facile credant, sed prudenter inquirant, et falsos puniant

delatores[1]. (C. G., VI, 33. — Or., XV, P. II. — C. G., VII, 12; — XII, 18.) Innocentes vero ab omni suspicione liberent; juste deferentem nulli revelent, nec exigant ut delationem subscribat; delatum iis solis manifestent qui eum juvare possint, præcipue Consultoribus; sed petatur ad consultationem consensus deferentis. Delatum coram duobus testibus corrigere possunt; in eum invigilare debent, loco mutare, etc..., imo et publice de levibus defectibus punire, consentiente deferente; ob graves vero culpas ad expulsionem recurrendum erit, causa tacita. (C. G., VI, 33. — Or., XV, P. 2.)

Commendavit autem Congregatio Generalis VII, d. 12, ut ad mediatos Superiores nihil deferatur nisi monitis immediatis; aut saltem illis detur ratio hujus ordinis non servati.

[1] Qui tamen secreto falso detulit non est publice puniendus (*a.* 1628).

Singulis vel alternis hebdomadis, Rectores exhortationem 270
faciant vel fieri curent aut collationem[1]. (Cst., III, I, 21, 28. — Cl., III, 1.) Crebro subditos paterne alloquantur. (Cst., III, I, 1; — IV, X, 5. — Cl., I, 1.)

Peccantes arguant et pœnitentiis cohibeant, quæ in Regulis indicantur (R. R., 9), et quidem publicis si culpa sit publica. (Reg., 28[2]. — C. G., XX, 16. — XXI, 27.) Sed in his rationem habeant dispositionis personarum et ædificationis, prius mansuete admonendo, tum miscendo ruborem, tum amori addendo timorem. (Ex., I, 6. — Cst., III, I, 15, N. — Ins., XVIII, 10. — Cl., I.) Hæc disciplina omnibus communis sit, etiam antiquioribus, imo Superioribus. Ubi vero cætera non profuerint, sibi persuadeant subditi deveniendum tandem fore ad ipsam dimissionem. (Ins., XVIII, 10.)

Incarcerare possunt Superiores (Cf. tamen Comp. Priv., n. 150); at excommunicare, ex voluntate Societatis, solus Provincialis. (Paul. III, *Licet debitum;* et Comp. Privil., 150, 151.)

Neminem ad sibi confitendum cogant, exceptis iis qui casibus reservatis sunt innodati (Or., V); imo nec eos quidem, nisi sub limitibus infra indicandis, ubi de reservationibus.

Usum pœnitentiarum etiam secretarum excitent; nec ad singularitatem pertinere censeatur si quis jejunet, aliis non jejunantibus. (C. G., I, 96; — V, 27. — Ins., XIII, 6.) In jejuniis tempore adventus permittendis faciliores sint, nullum tamen universale præceptum imponendum est[3]. (C. G, VI, 9.)

[1] In parvis Collegiis, ubi exhortationes commode haberi non possunt, fiant eorum loco collationes spirituales (*a.* 1635).

[2] Intelligenda est hæc regula de iis defectibus qui ad Superiorem non ut ad patrem deferuntur, sed aliter innotescunt, quamvis unus sit conscius (*a.* 1631).

[3] Generalem jejunandi consuetudinem in aliquo loco permittere nequit Rector, quamvis permittere possit ut aliqua persona hanc consuetudinem suscipiat (*a.* 1590).

271 Mundi spiritum, superbiæ scilicet, insubordinationis et politicæ undique nostris temporibus irrumpentis, a Societate omni conatu repellant (C. G., XVIII, 22, 8; — XXI, 27; — XXIII, 12), eique Instituti spiritum qui in humilitate atque obedientia præcipue consistit, strenue opponant.

Arceantur a domo libri lascivi aut vani, arma et instrumenta musica, musici qui turpem habent dictionem aut soni quibus subesse obscena aut vana putentur; et prudens sit usus ephemeridum et similium. (Cst., III, 1, 14, M. — Or., II, 1. — C. G., XXII, 15.)

Dissensiones et vitia linguæ compescant. (Cst., III, 1, 18, P; — VIII, 1, 8, K. — Or., II, 12. — Ins. XIII, c. 4, 1, 2. — C. G., XXIV, 20.) Detractionum auctores diligenter inquirant ac severe puniant, eosque pro auctoribus habeant qui eos manifestare recusant. (C. G., VII, 12; — XII, 18, 19.)

Litteras videant, moderate et religiose scribi curent. (Ex., IV, 6. — Cst., III, 1, B. — Or., IV, 4. — Ins., XIII, c. 4, 3.)[1] Eas tamen quæ ad Generalem, Assistentes, Societatis Secretarium, aut Provincialem ejusve Socium, aut ab iisdem, scribentur nec videant nec eas scribi ægre ferant. Litteræ ad Provincialem alterius Provinciæ a suo subdito missæ, clausæ transeant per manus Supe-

rioris localis. (C. G., XXI, 22; — XXII, 21; — XXIII, 36.) Non obstante autem lege de non ostendendis litteris Superiorum majorum, ostendendæ sunt Superioribus localibus litteræ quibus darentur licentiæ et dispensationes, maxime in materia paupertatis. (C. G., XXIII, 39.)

[1] Litteræ graviorum Patrum clausæ ipsis reddi generatim possunt, interdum tamen eas aperire convenit (*d.* sept. 1857). « Litteræ quorumdam Patrum antiquorum graviorum, quorum virtus nota est, poterunt aliquando non legi, ita tamen ut non fiat præscriptio » (*a.* 24 febr. 1587).

V. — **Erga ægrotos et moribundos** — Ægrotorum magna cura habenda est. (Cst., III, II, 6, C.)[1] Imo et tuenda valentium sanitas. Ideo nulli ex subditis desit in quo sustentetur natura juxta medici loci judicium, et exterioris religiosæque decentiæ simul ratio habeatur; at et humiliationis, quoad vestes, in iis qui probantur. (Cst., III, II, 3, B, C, D, E; — VI, II, M, N.) Servanda vita communis; nec permittatur ut ab aliis Nostri ea quibus egent conquirant ac proinde congrua caritate suppeditentur necessaria, et dispensationes dentur opportunæ. (C. G., XII, 43.) Nimii labores æque ac otium vitentur. (C. G., XVIII, 22. — Ins., IV, 4.) Nam moderatio laborum animi et corporis, et mediocritas quæ ad neutrum extremum vergat, ad Instituti conservationem conferent. (Cst., X, 10.) Cf. infra ubi de valetudine, P. V, c. 4. 272

Erga morti proximos et vita functos pia obsequia et debita suffragia præstari curent. (Cst., VI, IV, 1, 2, 3, A, B, C.) Si quis extra Societatis domos moriatur, proximior Superior moneat Provincialem illius Provinciæ. (Or., II, 3.) Cf. infra ubi de præstandis moribundo aut defuncto, P. V, c. 2.

[1] « Infirmus in aliquo Collegio, in itinere, subministrari debent omnia, tum quoad sustentationem, tum quoad medicinas, ac si essent hujus Collegii. Sed, si infirmitas sit longa et sumptuosa, fiat compensatio arbitrio Provincialis, si sit ejusdem Provinciæ. Si vero diversæ, scribatur ad Generalem » (*a.* 1585). — « Si quis morbum contraxit in aliquo Collegio, et mittitur sine ulla occupatione in aliud, valetudinis causa, debet sustentari sumptibus Collegii a quo mittitur » (*a.* 1633). Qui in itinere morbo corripitur, curari

debet expensis ejus domus in qua ægrotat, nisi sumptus tanti sint ut Provincialis judicet aliquam compensationem esse faciendam (1584). Si in aliena Provincia sit, domus ad quam ægrotus mittitur hos sumptus solvere debet (1584).

In valetudinariis permittitur musica vocalis a nostris novitiis facta, non ab externis, neque per instrumenta; item ii ludi qui mentem recreant, non schaccorum (*a.* 1587).

Ab hospitibus nihil accipiatur etiam sponte oblatum, nisi pro longiore mora eorum Superior eorum expensas compensare velit; imo aliqua eleemosyna juvari possunt[1]. (Cst., IV, II, F; — VI, II, D. — C. G., VII, 18.)

Profecturi necessariis instruendi sunt, sumptibus domus ad quam mittuntur, eisque litteræ patentes dandæ. (R. R. 83, 85.)

[1] Ipsi illi itinerantes qui noctu adveniunt, ad domum Societatis divertere debent et in ea accipiendi sunt (*f.* 11 aug. 1843).

275 VI. — **Erga externos** ministeria verbi Dei, confessionis, præcipue vero doctrinæ Christianæ, a Nostris sunt ubique usurpanda; et invigilandum ne intepescat zelus apostolicus (Cst., VII, I, 1; — VII, IV, 6. — C. G., XVIII, 22); non tamen in Collegiis, si in eadem urbe sit Domus professa. (Cst., III, I, 27.) Si quis frequentans apud nos sacramanta scandalo sit, remedium adhibeatur. (R. Præp. 46.) Rectores diligentes sint in urgenda regula de Socio (C. G., VI, 43; — Or., IV, 3, etc.); feminas domos nostras ingredi non permittant nec eas indebite adiri ad easve sæpius scribi (Cst., III, I, 14); amicos conservare curent, benefactoribus gratiam exhibere[1]; inimicos vero placare ad Majorem Dei gloriam. (Cst., IV, X, C.)

[1] Non tamen nisi raro, ad mensam, sive privatim, sive præsertim in Refectorio, externi invitandi sunt (*a.* 1668, etc). Non apponantur eis plura fercula quam in renovatione, sed bene accommodata (*a.* 1599). Melius est peracta cœna surgere et in aliud cubiculum secedere, quam in mensa ad colloquendum persistere. Lectio propter illos non omittenda est ad utramque mensam; sed si in utraque remaneant, ad secundam lectio sit diversa, et, surgentibus domesticis, fiat gratiarum actio solita, nisi sint principes (*a.* 1648). Rarius ad pernoctandum recipiendi sunt (*a.* 1561); nec unquam sine licentia Gene-

ralis ad commorandum nobiscum (*a.* 1620, 1624). Non est obsecundatum amicis volentibus se recipere ad breve tempus ad Collegia, ut ita evaderent creditorum molestias (*a.* 1591). Nec recipiendi sunt ii ipsi qui habent litteras commendatitias a P. Generali, nisi id expresse dicatur in litteris (*a.* 1587, 1590). Non est admissus cum duobus famulis vir nobilis, ad S^ti^ Andreæ, daturus perpetuum censum (*a.* 1624). Aliquando tamen judicatum est expedire hospitio externos recipere (*a.* 1568). Ipse siquidem B. P. N. dispensando permisit ut raro bene meriti de nobis excipiantur in Collegiis, tanquam hospites, ad pernoctandum et manendum, et invitentur ad prandium alii similes (*a.* 1561).

Externorum convivia non adeunda sunt a Nostris (*a.* 1616, 1627), nequidem religiosorum quando Nostri apud ipsos concionantur (*a.* 1647).

CAPUT DECIMUM

DE OFFICIALIBUS DOMORUM

274 I. — **De Minister.** — Minister est velut magister domus, eaque potestate instruitur quæ ad rectam gubernationem convenit[1]. (Cst., IV, x, 7.)

[1] Ii sint Ministri, in magnis præsertim domibus, qui aliquando Rectores fieri possint. (Or, I, 21.) Eos Provincialis post Consultationem nominet, sed prius instruat et a Rectoribus instrui curet. (Or., I, 21.) Minister non sit simul Procurator, ne domo sæpius abesse cogatur (*a.* 1601). Non habet ordinariam potestatem, sed eam quam ei Rector commiserit (R. M., 1). Est tamen Superior. (Or., II, 18.) Quoad pœnitentias imponendas, determinabitur ejus potestas a Rectore. (Reg. Min., 13. — *a.* 1648.) Potestatem litteras scribendi, mittendi, colloquendi cum externis per se non habet, sed convenit a Superiore ei dari (*a.* 1594). Ejus nomen primum post Rectorem in tabella nominum ponitur (*a.* 1630). Sed non debetur ipsi locus distinctus in declamationibus et actibus publicis, nisi Rector absit; tunc enim Cancellario anteire debet (*a.* 1630, 1648). Potest etiam, absente Rectore, interesse examinibus, si ita doctus sit ut cum dignitate ibi adsit (*a.* 1631). Omnes ei subduntur, etiam Professi, dummodo sit sacerdos. (C. G., III, 21.)

P. Nickel, consultis Assistentibus, non probavit ut Ministris Collegiorum fiat ab immediato Superiore potestas dandi veniam subditis accipiendi et expendendi unum circiter pataconem, saltem quoad omnes qui non sunt sacerdotes. Quoad Coadjutores et Scholasticos hanc potestatem reservavit P. N. solis Provincialibus (*a.* 1656.)

Mortuo Rectore, Minister succedit in loco ejus, donec monitus Provincialis alium sufficiat vice-Rectorem (*a.* 1608), etiam in domo Professa, licet ipse Professus non sit (*a.* 1597); sicut quando ad tempus breve Præpositus abest (ibid.) et quando Superior, discedens ad dies aliquot, nullum vice-Rectorem nominat (*a.* 1921, 1631). Minister, absente Rectore, etiam per unum diem, habet potestatem dandi confessariis ordinariis facultatem absolvendi a reser-

vatis, si casus occurrat (*a.* 1662. Cf. Cong. XII, d. 17). Ministri, non Procuratoris, est emptorem et coquum dirigere. Procurator utique invigilare debet ne nimium sumptus excrescant, et ubi opus est, Superiorem monere; verum per se nihil ordinare potest (*d.* P. A., 4 sept. 1858).

In virtute S^tæ^ Obedientiæ præcipere non potest; sed qui ei diceret *nolo facere,* in quartum casum reservatum incideret. (C. G., VII, 45. — Or., II, 18.)

Pœnitentias imponit (R. 13) sed cum pace et charitate. Disciplinæ, ordinis domestici, consuetudinumque observationem domusque munditiem curet. Cubicula frequenter, officia alternis diebus, omnes januas domus quotidie vespere visitet[1]. Omnium valetudini, præcipue eorum qui eam negligunt, invigilet. Varias mutationes in victu, vestitu, etc... pro tempore exequatur; quid cuique desit aut abundet Superiori referat; item an sacramenta omnes frequentent. De rebus omnibus ei quotidie rationem reddat, et in memoriam quæ opus est revocet. Quæ odiosa sunt in se suscipiat. Mensæ adsit si Superior abesse debeat. (R. Rect. 53.)

[1] Si id non præstet per se, committat alicui Sacerdoti, non Subministro Coadjutori. Non tamen tenetur visitare portas Ecclesiæ. (P. Claud, 1596.)

II. — **Subminister et syndici.** — Subminister in magnis domi- 275
bus est instrumentum Ministri; — nihil ordinat sed exsequitur; — sacerdotibus, nisi nomine aliorum Superiorum, nihil injungit, sed eorum qui sacerdotes non sunt Superior est[1].

Syndici, præsertim in Universitatibus, omnia observare, et ad Superiorem referre debent quæ ad externam decentiam pertinent. (Cst., III, I, 16; — IV, X, 7.)

[1] Fratres ei caput aperiant quando colloquuntur cum eo, non tamen necessario quoties occurrit per domum (P. Claud.). Quod videtur forte intelligendum de casu quo Subminister non sit sacerdos, ut in casu in nota præcedenti et supra in nota n. 235 relato; secus cf. Reg. Comm., 22.

Subminister habeat cubiculum in quo servet res quæ perdi possunt, ferramenta, atramentaria (*a.* 1600.)

276 III. — **Consultores** a Provinciali eliguntur, a Generali confirmandi; a Confessariis distincti esse debent[1]; aut si utroque officio funguntur, de personis non sunt interrogandi[2]. (Or., I, 7.) Mutari eos subinde convenit[3]. (Or., I, 11.) Superiorem per Admonitorem monere possunt de iis quæ ad ipsum pertinent, et iis ille tenetur acquiescere[4]. (Ex., III, 12, D. — Cst., IX, IV, 2, 3, 4; — IX, V, 2; — IX, VI, 1. — C. G., I, 82.)

Libere suam sententiam promant, sed Superioris sententiæ submittant. Possunt tamen ad Superiorem mediatum quæ, præmissa oratione censuerint, deferre. (Ins. XVIII, 12. — R. Cons. 7.) Possunt Superiori proponere quid expedire judicaverint. Secreti retinentissimi sint, si secus puniantur. (C. G., VII, 23.) Scribant suis temporibus ad Generalem et Provincialem, nec aliquis sciat quid alius scripserit[5]. Deforis signentur litteræ hoc signo CC. (Cst., IV, XVII, 7, L; — VIII, I, 9. — Or., X, 3.)

[1] Confessarii Nostrorum, quum debent esse plures, possunt simul esse Consultores; sed cum de personis agitur quarum confessarii sunt, se subducant (*a.* 1647).

[2] Potest equidem Minister simul Consultor esse (*a.* 1594, 1618). In majoribus tamen Collegiis magis expedit ut non sit, ut de iis quæ ad ejus officium spectant Consultores liberius agere possint (*a.* 1631.)

Non necesse est ut in minoribus Collegiis quatuor sint Consultores, duo enim sufficiunt (*a.* 1648); secus in majoribus (*a.* 1594).

[3] Quando aliquis iterum fit Consultor, quamvis antea eodem munere fuerit functus, admonendus est Generalis (*a.* 1628). Aliqui Consultores sunt assignandi etiam Superioribus Residentiarum (*a.* 1641).

Mutentur aliquando, ut plures constituantur et alia vitentur incommoda (*a.* 1590). Id præsertim observandum est in maximo Collegio, ne nimia fiat juniorum ab antiquioribus dependentia (*b.* ††, 1625).

[4] Possunt inter se conferre privatim, sed absque forma concili (*a.* 1576). Possunt subditi de propriis gravaminibus cum illis agere, sed non de aliorum (*a.* 1578, 1624).

[5] Non necesse est in Consultorum litteris omnia puncta formulæ tangere, sed ea quæ utilia erunt (*a.* 1611); ea potissimum quæ a Provinciali vituperata non emendantur (*a.* 1601). Consultores de Superioribus inter se non inquirant (*a.* 1601). Licet vero de iis ipsis rebus ad Generalem scribere quæ prius Provinciali non indicarunt, non obstante decr. 12, C. G., VII (*a.* 1647).

Etiam ii Consultores qui nondum sunt confirmati scribere debent suis temporibus (*a.* 1584). Qui intra annum e loco ubi erant Consultores excedunt, ex alio circa priorem domum, statis temporibus, scribant (*a.* 1591). Cum sunt iidem Consultores Collegii et Academiæ, separatis litteris de utroque scribant (*a.* 1608). Consultorum non secus ac Admonitoris nomina ad Generalem mittenda sunt ante catalogi impressionem (*d.* 12 mar. 1849).

IV. — **Admonitor** a Provinciali eligendus et a Generali confir- 277
mandus (R. Prov. 25), libertatem et fidelitatem cum modestia et reverentia conjungere debet. Superiorem admonebit de iis quæ major pars Consultorum judicaverit; de aliis, si id, oratione præmissa expedire censebit, nempe si non levis momenti sint, semel aut sæpius; sed hæc non evulget. Litteras Consultorum mittat et aliorum ad Superiores obsignet[1]. (Cst., IX, IV, 4. — Reg. Adm.)

[1] Non tamen necesse est ut scrinium clausum habeat nec cubiculum obseratum (*a.* 1595, 1620, 1634). — Neque alii ejus cubiculum ingredi possunt, nisi sit simul Præfectus spiritualis (*a.* 1617). Imo « litteræ Admonitoris Provincialis aperiri possunt a Superiore loci, idque re bene perpensa, ad bonas rationes statutum est » (*a.* 1590, 1591). Excipe si idem sit Admonitor qui est Socius. Non debet Admonitor convocare Consultores ad agendum de his quæ monenda videntur, etsi aliquem ex iis, ad suam conscientiam formandam, consulere possit (*a.* 1584). Si unus Consultor e duobus aliquid Admonitori suggessit, is non tenetur vi regulæ monere ; potest tamen, re coram Deo perpensa (*a.* 1643). « Major pars de qua dicitur reg. 3, Adm, ita numeranda ut ne Admonitor se ipsum eximat, si ipse etiam sit Consultor » (*a.* 1643). Ordinationum exemplar habeat (*a.* 1648). In iis quæ Superioris personam spectant, Admonitor non debet monitionis auctorem manifestare ; in cæteris raro et justa de causa ; nec eum ad hanc manifestationem Superior urgere debet (*b.* ††, 1584). Iterum commendatur ne prodatur is qui monitionem suggessit (*a.* 1603).

V. **Collateralis aut Superintendens** juxta Constitutiones, Supe- 278
riori adjungi potest, qui eum in omnibus juvet[1], reverentiam erga eum servet, et ei conciliet velut Angelus pacis, quamvis ejus auctoritati non subditus sit. — Eum Superior magno cum honore tractare debet. (Cst., IV, XVII, 7, B; — VIII, 1, 3, D.) Sed hoc munus nonnisi in casu necessitatis constituendum est. (C. G., II, 86.)

[1] Duplex causa esse potest Collateralem nominandi. 1° Ad supplendas aliquas dotes Superioris; 2° quando quis magis profecturus creditur si ab obedientia eximatur, et socius Superiori adjungatur. (Cst., VIII, 1, D.)

279 VI. **Præfectus rerum spiritualium**, inter eos eligendus est qui a juventute ad hoc munus aptiores visi, ob amorem silentii et orationis, lenitatem et dexteritatem, Socii Magistris Novitiorum adjungi potuerint (Cst., III, 1, 12; — IV, x, 7); aut etiam senes qui gubernandi aut docendi munere fessi, doctrina et pietate insignes sunt. (Ins., X, 5, 6, 11.) Provincialis maxima cura in eos invigilet; ad se de iis quotannis a Consultoribus scribi exigat et ipse ad Generalem scribat. (Ins., X, 5, 6, 11.) Superior Præfecto multum tribuat, et vicissim Præfectus Superiori sit conjunctissimus. (Ins., X, 13.) Omnibus exemplo sit, se amabilem exhibeat. Doceat modum interius et exterius se habendi, rectam intentionem, orationis studium, obedientiam, pœnitentiam, etc., promoveat. Curet præcipue afflictos, Coadjutores, Novitios[1]. (Cst., III, 1, 12. — Præf. Sp. 6, 7, 11. — Or., II, 6.) Circa externos, præcipue feminas non occupetur, nisi interdum visitando carceres, hospitalia, etc... (In., X, 9, 10, 11.)

[1] Ejus cubiculum non secus ac Confessarii primarii, omnes ingredi possunt sine licentia, non vero ipse aliorum (*a.* 1618, 1651). Quoad eos qui vel gradum habent vel saltem ætate provecti sunt, non est necesse ut cum alio de suis rebus spiritualibus agant, præterquam cum suo Confessario (*a.* 1584, 1598).

Scholastici vero Præfecti directionem sequantur, quamvis apud ipsum non confiteantur (*a.* 1639, 1653). Debet eos Præfectus si directione indigeant, ad se vocare (*a.* 1661). — Cf. C. G., XXIII, 30, 3.

Cum aliquis dabit rationem conscientiæ suæ Superiori, Præfectus spiritus illo mense non tenebitur eam ab illo exigere (*a.* 1585). Potest constitui bidellus rerum spiritualium, qui moneat eos qui accedere debent ad Patrem spiritualem, juxta Reg. 9, Præf. spirit (*a.* 1646). Ubi de aliquo e Nostris dimittendo agitur, Præfectus spiritualis ea quæ ab illo sibi fuerunt commissa nullatenus manifestet; et quandocumque consilium dat, valde cautus sit ne quid proferat quod per confessionem dictum sibi fuerit (*b.* ††, 1584).

280 VII. **Procuratores** ad bona domus, ut Domini nostri Jesu Christi et pauperum, curanda, fideles, apti, liberi ab occupationibus,

minime exclusis iis qui aliquando gubernarint, constituendi sunt. (Cst., III, II, 7; — VI, III, 7. — C. G., VIII. 15. — Ins. temp., I, 12.) Si necesse sit Professo quatuor votorum hoc munus committere, consulatur Generalis, qui difficilem se non exhibebit. (Cst. VI, III, 7, D. — C. G., VIII, 3.) Prius ea quæ ad suum munus pertinent edoceantur et in omnibus ædificationem dent[1]. Porro maximi interest, nostris præsertim temporibus, ut sint in rebus œconomicis periti, prudentes, fidi et diligentes. (A. R. P. Martin, Ord. temp., 41.)

[1] Procurator non debet esse Professus etiam trium votorum (*a.* 1636), sine expressa licentia Generalis « nisi in urgente necessitate et ad breve tempus » (*a.* 1627). Nec Procuratorum inopia per se ab hac regula eximit (*b.* †, 1628). Debet tamen Procurator esse sacerdos (*a.* 1569), nisi sit aliquis Coadjutor huic muneri idoneus, cui fidi possit quod non sit altius aspiraturus (*a.* 1602). Non habet sigillum proprium (*a.* 1590), nisi in magnis Collegiis de dispensatione Provincialis, et communiter pro solis negotiis (*a.* 1601). « Nihil debet habere clausum quod Superior aperire non possit, præter arcam, cujus regula vult esse duas claves diversas » (*a.* 1600). « Consuetudo ut Procuratores non petant licentiam, quando exeunt foras, non solum ad res officii, sed etiam ad alia negotia, non est toleranda, cum sit expresse contra regulam claram ; ideoque non solum quando exeunt, sed quando redeunt, reddant rationem sicut alii in domo » (*a.* 1606). « Nulla est Procuratoribus largiendi privatim aut accipiendi facultas, nisi quam a Superioribus nominanatim aut generatim acceperint » (*a.* 1642). Ad ipsos spectat cura horti (*a.* 1647), magi quam ad Ministrum.

Visum est ad petitionem alicujus Provinciæ decernendum et curandum ne Rectores simul sint Procuratores (*a.* 1646).

Libros rationum seu computorum tam accurate conficiat Procurator ut Superioribus quovis tempore de vera rei familiaris conditione constare possit. Ea vero quæ a Procuratore in tabulas relata et a Superiore Domus coram Ministro initio mensis examinata fuerint, idem Superior probata subscribat. Insuper, ut Decretis Apostolicis satis fiat, de missis acceptis et celebratis Superiori coram Ministro singulis mensibus rationem reddat Procurator, et Provinciali in visitatione annua Superior. Ita A. R. P. Martin, Ord, pro temp. 43, sqq. — Cujus ord. juvat quandoque in Consultationibus memoriam redintegrare, et de ejusdem observatione, statutis temporibus, Superiorem et Consultores ad Generalem scribere. (Ibid., 48.)

CAPUT UNDECIMUM

DE CONGREGATIONE GENERALI

281 I. **Cur et a quo cogenda.** — Congregatio generalis cogenda est :

1° A Vicario ad eligendum Generalem. (Cst., VIII, II, 1; — VIII, IV, 1.) In Provinciis remotis, si constet de morte Generalis, non exspectanda est convocatio Vicarii. (Form. C. G., III.)

2° Si Generalis, judicio Assistentium, deponendus sit, litteris a tribus eorum saltem subscriptis Congregatio convocabitur; aut si causæ manifestæ sint, ipsi Provinciales sese invicem convocabunt. (Cst., VIII, II, 1; — IX, IV, 7; — IX, V, 4.)

3° Si Assistentes cum suffragio Provincialium et duorum Rectorum professione antiquiorum ex quaque Provincia, eam cogendam esse judicaverint, sive ob gravia negotia, sive ob impotentiam Generalis (Cst., VIII, II, 2, C) : quo in casu eligitur prius more solito Vicarius, qui de cogenda Congregatione Societatem consulet. (C. G., VIII, 29.)

4° Si in congregatione Procuratorum, cogenda esse judicetur, quod Generalis intra sesquiannum faciet. (C. G., 19; — VI, 26; — VII, 71.)

5° Si ipse Generalis ob gravia negotia id necesse judicet. (Cst., VIII, II, 2; — VIII, IV, 2; — IX, III, 12.) Hæc tamen convocatio crebro facienda non est. (Cst., VIII, II, 1, 2, B, C; — VIII, IV, 2. — IX, I. C.)

282 II. **Quibusnam constat.** — Jus ad eam habent : Vicarius genera-

lis, Assistentes, Provinciales seu vice-Provinciales Europæ necnon Provinciarum Marylandiæ (XXII, 28) et Missourianæ (XXIII, 11), etiam non celebrata Congregatione Provinciæ (C. G., XII, 51); duo Professi in singulis Provinciis electi (Cst., VIII, 3, 1, A.); Procuratores Provinciarum extra Europam, si Professi sint et a suis Provinciis fuerint electi. (C. G., IV, 41; — II, 75; — V, 77.) Hi eo jure gaudent donec in Europa ex consensu P. N. subsistunt, et alius non advenit; non tamen si eis a Generali aliud munus commissum fuerit. (C. G., IX, 36; — X, 8; — XII, 46.) Idem jus habet substitutus Procuratoris Indici.

Hi omnes jure suffragii in omnibus gaudent. Generalis duo suffragia et qualitatem præcedendi, ceteris paribus, in suffragiis publicis habet, exceptis iis quæ ad ejus depositionem spectant, de quibus postquam auditum fuerit, egredi debet. (Cst., IX, v, 4.) Vicarius generalis in suffragiis publicis præcedentiam habet.

In negotiis vero quæ nec ad Generalis, nec ad Assistentium 233
electionem spectant, jus suffragii habent præterea Secretarius Societatis (C. G., IV, 11), Procurator generalis (C. G., III, 44; — IV, 1); insuper admitti poterunt Procuratores electi in Congregationibus provincialibus ad negotia (Cst., VIII, III, A; — VIII, VI, B. — C. G., II, 2; — IV, 35) aut a vice-Provinciis, in quibus eliguntur a vice-Provincialis Consultoribus et a Professis quatuor votorum qui in eodem loco fuerint (C. G., XIII, 6); item Procuratores vocati a Præposito generali vel missi a Provincialibus cum approbatione aut ratihabitione Generalis (præcipue ex Provinciis extra Europam); in quo casu a Vicario generali, suffragantibus Assistentibus, admitti poterunt. (C. G., XIII, 4.) De missionibus nulli annexis Provinciæ, quales sunt missio Canadensis, Neo-Aurelianensis et Provincia Mexicana, an possint per Procuratorem in Congr. generali repræsentari noluit defuire C. G., XXIV, 26, rem totam P. Generalis prudentiæ committens.

Horum omnium litteræ aperiri non debent. (C. G., XI, 27.)

284 III. — **Quæ ejus auctoritas.** — Auctoritas Congregationis generalis plena est, tum in ipsum Generalem, quem non secus ac Assistentes eligere, deponere, et a Societate removere potest, ex probationibus tamen efficacissimis (Cst., VIII, II, 1. — IX, IV, 7. — IX, V, 4. — C. G., I, 145); tum in domos dissolvendas et alienandas (Cst., IV, II, 3. — IV, X, 2. — VIII, II, 2. — IX, III, 5, 17, 18. — C. G., IV, 23, 27); tum in Constitutiones condendas, mutandas, abrogandas. (Paulus III. *Regimini — Injunctum.* Cst., IV, X, 2. — C. G., IV, 19. — VII, 76.) Sed ante Præpositi generalis electionem, in his solum quæ ad hanc spectant auctoritatem habet. (Paulus III. *Regimini* — Julius III. *Exposcit.* C. G., I, 115. — II, 51. — III, IV, 33). Publicis suffragiis res communiter statuuntur. (C. G., III, 13. — V, 65. — VIII, 21. — XI, 2. — XII, 2.)

CAPUT DUODECIMUM

DE CONGREGATIONE PROVINCIALI

I. — **Quando cogenda.** — Cogenda est Congregatio provincialis 285
quoties generalis Congregatio indicitur, etsi olim liberum erat Generali, quando proprio motu Congregationem generalem vocabat, permittere ut Provincialis duos a se electos secum adduceret (Cst., VIII, III, 1. — C. G., IV, 35, 37, 39.) Item singulis trienniis ad Congregationem Procuratorum [1]. (Cst., VIII, II, B. — C. G., XVI, 8. — XXI, 10.) Aut saltem Congregatio non prorogetur nisi ad annum proxime sequentem. Ubi tamen non posset haberi Congregatio Procuratorum, nec cogendæ sunt Provinciales. (C. G., XXIII, 13.)

Excipiuntur tamen Provinciæ extra Europam, quæ sexto quoque anno Procuratorem eligunt, et cum eo Substitutum qui, Procuratore præsente, jus nullum habebit. In iis Provinciis, Procurator posset esse Coadjutor spiritualis aut alius sacerdos. Nec tenentur Congregationem provincialem cogere, si major pars eorum qui in ea jus habent censuerint eam non esse cogendam. Tunc enim Provincialis cum Consultoribus et Professis præsentibus Procuratorem eligunt; sed de hac electione æque ac Substituti consulendi prius sunt qui jus habent ad Congregationem; horum suffragia quoad electionem Procuratoris et Substituti erunt tantum consultativa. (Form. C. Prov., 38.) Jus suffragii, in his Provinciis, habent omnes Superiores quibus P. N. id concesserit. (C. G., IV, 41. — XII, 20.) Attamen Provinciis Marylandiæ

Neo-Eboracensi et Missourianæ, ipsis petentibus, concessit C. G., XXIV., 9, ut in posterum, sublatis omnibus privilegiis atque exceptionibus, sub communi nostro jure continerentur et Europæ Provinciis æquipararentur. Superior Residentiæ seu primariæ doctrinæ in Indiis a Provinciali designandæ, intererit supra numerum, si jus per se non habet. (C. G., VIII, 51.) Vice-Provinciæ mittunt Procuratorem, electum a vice-Provinciali et vicinis Professis; et hic jus habet ad omnia præterquam ad electionem Generalis et Assistentium. (C. G., XIII, 6.) (De jure vice-Provinciæ mittendi Procuratorem ad Congr. Procur., cf. litter. P. Beckx, 24 feb. 1859, ubi exponit rationes pro negativa.)

286 [1] Non licet Provinciali mutare tempus et locum semel indicatum (*a.* 1611), nisi ex consensu Consultorum et aliorum jus suffragii habentium qui adsunt (Form. § 10). Congregatio censetur legitima quando duæ tertiæ partes ex legitime convocatis adsunt (*a.* 1590).

II. — **Ad quem finem?** — Finis hujus Congregationis duplex est: 1° Sententiam Provinciæ de necessitate generalem Congregationem cogendi ad Congregationem Procuratorum transmittere; 2° Varia postulata, nomine Provinciæ, Romam deferre. Non expedit ut ullum præterea jus huic Congregationi tribuatur ad res Provinciæ ordinandas. (C. G., V, 32.) [1]

[1] « Patet ex iis paragraphis 43 et 48 (Formulæ) Congregationem provincialem non debere tractare de defectibus Provinciæ, nisi eo modo et ordine ut de iis agatur cum Generali ab eoque petatur remedium » (*a.* 1642). « Hinc decisiones illæ de hujusmodi rebus, quantumcumque fuerint omnium PP. Congregatorum suffragiis comprobatæ, ex se omnino nullius auctoritatis sunt, nisi accipiantur tanquam ordinationes aut decisiones ipsius P. Provincialis, cui quam in hac parte facultatem Societas concedat, facile ex ipsius regulis cognosci potest » (*a.* 1619). « Si Provincialis interdum judicet e re Provinciæ fore de defectibus Provinciæ et aliis similibus ad ejus bonum spectantibus, occasione Congregationis provincialis, agere cum pluribus ad consultationem juxta reg. 12. adhibitis, potius id expedit præstare finita Congregatione, et si quid Superioribus localibus ex tali consultatione commendandum videatur, id non Congregationis sed suo nomine faciat » (*a.* 1642). Et pari modo 1587, 1644, 1619, 1587 (*a*).

III. — **Quinam jure suffragii utuntur.** — Jus suffragii in Pro- 287
vinciis Europæ habent (Form. C. II. — Cst., VIII, III, 1) :

1° Præpositi Domorum et Rectores Collegiorum [1] et Domorum probationis.

2° Cæteri Superiores. Superiores nempe Convictuum scholas habentium, quales in Gallia existunt (C. G., XX, 14); item, Superiores earum Residentiarum quæ sunt Collegia inchoata, ex acceptatione P. N., non vero aliarum (C. G., IX, 18) [2]; neque Superiores Seminariorum sæcularium (C. G., V, 81) [3]. Et præterea Procurator Provinciæ aut, ejus defectu, Collegii maximi a Generali designandi [4].

3° Demum tot Professi quot requiruntur ut ad quadraginta numerus congregandorum perveniat, quando pro Congregatione Procuratorum convenitur, et ad quinquaginta quando pro Congregatione generali [5]. Oportet ut horum duæ tertiæ partes sint Professi. (C. G., V, 60, 81). Non sunt convocandi Rectores Collegiorum extra Europam, nec Professi in iis Collegiis degentes (C. G., XII, 21); exceptis iis qui in Africæ ora Galliis subjecta, vel in insulis Canariis commorantur. (C. G., XXII. 28.)

Si vero in aliqua Provincia, quamcumque ob causam, non possent convenire tot quot dicti sint, non propterea omittendæ Congregationes, sed tunc accedent quotquot possunt ex habentibus jus. (Form. n. 6. — C. G., XV, 7.) [6]

[1] Dummodo sint declarati, quamvis ad suum Collegium nondum venerint 288
(*a.* 1642), nec patentes acceperint (*a.* 1628). Si novus Rector a Generali aut vice-Rector a Provinciali post primum conventum renuntietur, antiquus ei locum cedat (*a.* 1628, 1639). Videbit tamen Provincialis (consulto Generali, si possit), num præstet novi Rectoris proclamationem post Congregationem differre (1628). Non solent Rectores tempore Congregationis mutari (*a.* 1642). Vice-Rectores a Provinciali constituti eodem jure gaudent ac Rectores (*a.* 1590), licet nondum a Generali confirmati (*a.* 1590). « Qui ita est vice-Rector alicujus Collegii ut non habeat in familia illa Superiorem, videtur admittendus, tanquam qui toto principalis Superioris munere fungitur » (*a.* 1625, 1657). Non secus ac Rector Collegii nondum legitime dissoluti (*a.* 1642).

De Rectoribus Collegiorum prout hæc constituta fuerant in Gallia, post

iniqua anni 1880 decreta, rescribebat R. P. Beckx ad R. P. Grandidier, Provincialem Campaniæ : « Rectoribus jus est adeundæ Congregationis Provincialis, si præsint domibus, quæ sint veri nominis Collegia Societatis. Cum vero temporum injuria Nostri in Gallia prohibeantur quominus quos vellent professores constituant, et cum jure gubernent Collegia non pleno atque integro, qui hisce præficiuntur non sunt æquiparandi Rectoribus iis qui præesse solent Societatis Collegiis. Quare jure non potiuntur conveniendæ Congregationis. Quin imo non Rectoris sed Superioris potius nomen et vocabulum obtinent, eoque in posterum vocandi sunt. » (15 jul. 1883.) Quandonam vero ita mutatæ circumstantiæ ut veri nominis Rectores renuntiandi sint, judicium est penes P. N. Addebat tamen P. Beckx : « Si tamen sint qui ante hanc rerum perturbationem Collegiis nostris præfuerunt, æquum esse censeo eos interesse Congregationi, si nondum absolverint triennium ; minime vero si jam tres annos gubernando exegerint. (Congr. XII, d. 31.) »

[2] Jus non habet Superior Residentiæ quæ ut talis est acceptata, sed non est inchoatum Collegium (*a.* 1586) ; neque si Superior ejus adhuc subsit Rectori, et ab illo pendeat (*a.* 1636). Non tamen requiritur ut Collegii inchoati scholæ apertæ sint, vel justus numerus personarum adsit (*a.* 1628, 1642).

[3] Cf. infra, scholion de Seminariis episcopalibus.

[4] Si Collegium maximum non fuerit a Generali designatum, a Provincialium Consultoribus ad præsentem praxim designabitur, eodem modo ac de impedimentis judicatur (*a.* 1622). Id vero determinari debet tum ex numero personarum, præsertim Scholasticorum, tum ex numero præceptorum, tum ex fundationis amplitudine (*a.* 1587).

[5] Recole dicta superius, n. 177, de antiquitate inter Professos. « Professo suæ Professionis tempus asserenti, quando aliunde sciri nequit, credendum est tanquam Religioso, in re gravi » (*a.* 1603). Si Rector impeditus substituat suo loco aliquem ex iis qui jus habent, aut si nec Procurator Provinciæ nec maximi Collegii adesse possint, succedere debet, ad implendum numerum quadragenarium, Professus cui, ratione antiquitatis, id competit (*a.* 1625, 1649) ; non vero Procurator Domus professæ, titulo Procuratoris (*a.* 1633).

[6] Ad quem forte casum refertur hoc responsum : « Impediti infirmitate vel quovis alio impedimento, non vero tantum negotiorum, quominus propriæ Congregationi intersint, si in aliena Provincia versantur, admittendi sunt ad Congregationem provincialem cum suffragio activo (si non sint quadraginta in Provincia) » (*a.* 1603, 1619, 1651, 1656, 1658). Præcepto cogendus Professus qui vocatus nec legitime impeditus venire recusaret (*b.* $\frac{+}{+}$, 1622).

289 Admittuntur *supra numerum :* 1° Qui hujus Provinciæ vel Provinciales aliquando fuerunt[1], vel Assistentes[2], etiamsi jus aliunde non habeant (C. G., VII, 2. — IX, 15) ;

2° Visitatores Provinciam actu visitantes dummodo demortuus sit Generalis, et Visitatores antiquitatem professionis tum in hac tum in sua Provincia habeant ; si malint ingredi (et quidem intra numerum) in sua Provincia, satis erit ut antiquitate gaudeant ibidem (Form. C. Pr., c. II, n. 1);

3° Professi ex aliis Provinciis, (dummodo suæ professionis ordine non excludantur), qui huic Provinciæ sive a P. N., sive ex mutuo Provincialium consensu, post indictam Congregationem, applicati fuerint; nam si antea applicati fuerant, intra numerum ingrediuntur. Censentur applicati quos P. N. litteris datis ante diem indictæ Congregationis, vel expresse, vel munus eis committendo intra Provinciam (quo absoluto, cessat applicatio ubi agitur de munere quod ex jure aut consuetudine terminum præfixum habet); vel, mutuo consensu, Provinciales, ad tempus et intra Europam applicuerint[3] (C. G., VII, 59, 60. — IX, 33. — XVIII, 17);

4° Revisores, Substituti Secretarii, Pœnitentiarii Romæ et Laureti si sint Professi, et omnes Professi applicati Provinciæ Romanæ Congregationem, cum utroque suffragio, ad Congregationem Procuratorum (C. G., VI, 25), et cum activo tantum ad Congregationem generalem (nam passivum in sua Provincia tunc habent). (C. G., VIII, 57. — XXII, 22.) Secretarius Societatis, etiamsi antiquitatem Professionis non habeat, Congregationem Romanam cum suffragio activo ingreditur (C. G., IV, 11. — VI, 25. — XVIII, 14), passivum vero habet in sua Provincia si agitur de eligendis electoribus ad C. G. (C. G., XIV, 16.)

Quo jure nonnulli Professi, variis in adjunctis, ingrediantur in Congr. Provinciæ Romanæ intra aut supra numerum cf. C. G., XXIV, 13.

5° Professi qui in aliqua Provincia, non suorum sed communium negotiorum causa, versantur, nec in propria Provincia Congregationi interesse potuerunt aut possunt, si Professionis antiquitatem, tum in hac, tum in sua Provincia habent. (C. G., VII, 57, 67, 68, 69. — VIII, 53.) De commorantibus in aliena

Provincia ob bellicas calamitates, exsilium Fidei aliasve legitimas causas, utrum debeant ingredi (supra numerum et cum voce activa tantum) judicet ex caritate et æquitate Generalis vel Vicarius. (Form. 8, ex act. 16, C. G., X.)

C. G., XXIV, 14, declaravit omnes Professos quatuor votorum, qui de Provincia sunt, ubicumque degant, eligi posse inter mittendos ad Congregationem *generalem*.

Ad Missiones exteras quod attinet, quoad assistentiam Congregationi provinciali : 1° Generalis est designare Missiones quibus tale jus concedendum sit, et illud, si adjuncta ita postulaverint, revocare; 2° Superior Missionis, vel alius sibi substitutus, si ipse sit impeditus, non solum potest, sed debet ad Congregationem provincialem accedere, nisi munus gerat ab Apostolica Sede commissum; 3° in Congregationem ingreditur intra numerum. (C. G., XXIV, 10.)

290 [1] Id non extenditur ad vice-Provinciales. (C. G., VII, 2. — 1633 et pluries.)

[2] Possunt Assistentes, officio defuncti, ingredi Congregationem cujuscumque Provinciæ intra hanc Assistentiam (*a.* 1658). Cf. C. G., IX, 15.

[3] De Professo Tolosano qui theologiam docebat in Seminario Salmanticensi, ita Provinciali Castellano rescribebat P. Anderledy tunc Vicario : « Quando Provinciæ Castellanæ applicatus de facto est, ad istius Provinciæ Congregationem, non ad Tolosanam, jus habet. Hoc ipso censetur Provinciæ Castellanæ applicatus quod officium obtinet Provinciæ Castellanæ proprium. » (Communicatum a R. P. Provinciali Castellæ 16 aprilis 1894.) Antiqua porro responsa, inter quæ fortasse deprehendes aliquam variationem, ante Congregationem XVIII data sunt.

De Confessariis Principum, si *ordinarie* aut *ad longum tempus* in aliena Provincia degunt, censuit C. G., IX, 29, (habita annis 1649, 1650), rem pendere ex illorum huic Provinciæ applicatione. Anno autem 1658 respondit P. Nickel Provinciæ Franciæ : « Confessarii Principum licet assumpti ex alia Provincia, eo ipso censentur applicati Provinciæ in qua Princeps est, ac debent ingredi intra numerum, si habeant antiquitatem » (*a.* 1 julii 1658). — « Socius Visitatoris, sicut Professus, locum in Congregatione habet; debet ei interesse » (*a.* 1604, 1607).

291 IV. — **Quinam impediti censentur** [1]. — De impedimentis pronuntiabit ad plura suffragia Provincialis [2], cum Consultoribus

et aliis jus ad Congregationem habentibus qui adsunt[3]. (C. G., VII, 48. — XXIII, 38.) Rector impeditus alium etiam non Professum sibi[4] substituere potest[5]. (Cst., VIII, III, 1.)

[1] Impedimentorum nomine, in Formulæ nn. 10 et 17, intelliguntur omnia tam physica, ut infirmitatis, quam moralia, ut censurarum (*a.* 1665); aut etiam dubium, utrum aliquis sit capax ferendi suffragii, necne (*a.* 1606). Provincialis potest post indictam Congregationem alicui Professo munus committere quod eum absentem retinebit, si gravis ratio, a Consultoribus probata, id exigat (*b.* †, 1632).

[2] Ægrotus habens jus suffragii, et existens in domo Congregationis, debet illud dare, licet non possit adire locum conventus (*a.* 1603).

Suffragium infirmi in domicilio præsentis exquirendum est, etiam dum judicatur de impedimentis (*a.* 1642).

Non necesse est ut talis infirmus substituat alium ad negotia tractanda (*a.* 1603).

[3] Hoc intelligitur de omnibus in eadem civitate præsentibus (*a.* 1640); de Consultoribus Provinciæ, etiamsi Professi non sint (*a.* 1633). Hi judices possunt excludere quem idoneum non judicant, quamvis ipse non se excuset (*a.* 1642).

« Exorto dubio inter Rectorem et Professum ejus subditum an hic habendus sit pro legitime impedito ob corporis infirmitatem periculo viarum, equis, curribus, ipsi Professo imminentem nec sit possibilis recursus ad Provincialem, videtur sufficere ut Rector cum Consultoribus, ac etiam medicis, si quis sit, conferat : quorum judicio Professus acquiescat » (*a.* 1642).

« Quod quis sit surdaster, non est judicandus a Provinciali et aliis habere impedimentum, nisi ipse desideraret haberi propterea pro excusato, præsertim cum iste defectus non reddat inidoneum ad primarium actum Congregationis, qui est electio mittendorum ad Congregationem generalem » (*a.* 1645). Incarceratus nec activum nec passivum jus habet (*a.* 1644). Inclusus in Collegio tanquam in mitiori carcere, non est admittendus, quum incarceratio secum trahat impedimentum; nisi forte Congregatio celebretur in domicilio quod totum ei datum fuit pro carcere (*a.* 1643).

« Si incarceratus tempore Congregationis provincialis dicat sibi factam injuriam, tunc si causa exclusionis sit secreta, ita ut non possit revelari Congregationi, aut iis qui de impedimentis judicare debent, standum erit affirmationi Provincialis solius cum juramento. Sed hic tenebitur tunc omnia scribere ad Generalem. Et hoc in praxi servetur, donec Congregatio generalis aliud statuerit, non obstante contraria sententia Cardinalis de Lugo, in Resp. mor. l. IV, dub. 26 » (*a.* 1667). Qui tractat de transitu ad alium Ordinem, si delictum publicum non sit, debet poni in secundo catalogo (*a.* 1655). Item senio impediti vel morbo (*a.* 1652), non vero incarcerati (*a.* 1651). Generalis judicabit an ita de transitu agens ad Congregationem admitti possit (*a.* 1648).

Impeditus censeretur qui nonnisi in lectica ad Congregationem venire posset (*a.* 1633, etc.), aut cum expensis valde extraordinariis, ob circuitus vel similia (*a.* 1642). Si, ob defectum viatici, ex aliquo Collegio ex duobus jus habentibus, unus venire posset, Rector alterum mittat potiusquam ipse veniat (*a.* 1658).

Iidem judices qui de jure activo pronuntiare possunt, etiam de jure passivo dubio sententiam ferre debent (*b.* ††, 1625). Is cujus impedimentum admissum fuit, nequit, mutata mente, Congregationem ingredi (*b.* ††, 1625).

[4] Superior exulans a Congregatione in pœnam non potest alium sibi substituere, cum nullum habeat amplius jus veniendi (*a.* 1603).

[5] Non tamen tenetur (*a.* 1594, 1656); potest etiam mittere quemlibet sacerdotem, etiam juniorem, quamvis forte non Professum, prudentem tamen (*a.* 1615), senioribus prætermissis (*a.* 1603, 1648, etc.); sed non alterius subditum (*a.* 1603); ac proinde Socium Provincialis mittere nequit (*a.* 1634). Hæc facultas sibi aliquem substituendi non competit Procuratori Provinciæ aut Collegii maximi (*a.* 1624); et quamvis id videantur concedere Cst., VIII, III, 9, verba Constitutionum divisit Formula Congregationis provincialis, n. 10. (*a.* 1629.) At si is munere suo fungi nequit, poterit Provincialis aliquem alium creare (*a.* 1603). Non autem si non sit impeditus (1610).

292 V. — **Quid in ea præstandum.** — 1° *Ante electionem mittendorum.* (Form. cap. III.) Congregationem diriget Provincialis [1], nec ultra decem aut ad summum duodecim dies durare permittet [2]. Elapso autem die ad conveniendum præfixo [3], sic proceditur. Affixis parieti duobus catalogis, altero eorum qui jus habent ad Congregationem, altero eorum qui mitti possunt (F. III, 15), congregandi signo campanæ vocantur; dictoque submissa voce hymno *Veni Creator,* habetur brevis sermo Provincialis aut ejus delegati (§ 16). Deinde decernitur ad plura suffragia : 1° Num Congregatio legitima censenda sit; 2° num suppleri debeant defectus, si qui irrepserint; possunt enim Patres congregati (si modo duas tertias partes eorum qui convenire deberent et possent excedant) [4] ad præsentem praxim dubia omnia pro opportunitate perficiendæ Congregationis terminare, quoties ex Instituto vel Generalium responsis explicatio colligi nequit, uti esset, v. g., de modo iterum suffragandi casu quo in Secretarii electione prima suffragatio æqualitatem suffragiorum duobus dederit. (Form. n. 17. — C. G., XXIII, 38, 2.) — Tunc eligatur ad plura

suffragia secreta, Secretarius [5]. Hæc suffragia a Provinciali aperta leguntur alta voce ab antiquiore ex Professis, qui ad dexteram Provincialis sedet, et videntur ab altero ad sinistram sedente. In ceteris scrutiniis ipse Secretarius assidebit Provinciali et suffragia aperiet quæ ab altero, ad Secretarium adjuvandum electo, et ad sinistram Provincialis sedente, videbuntur (§ 18).

[1] Quando Provincialis ægrotus substituit alium ad regendam Congregatio- 293
nem, Provincialis retinet suffragium competens sibi ratione Professionis, substitutus autem habet duo : unum proprium (si alias ad Congregationem jus habuerit); alterum tanquam supplens locum Provincialis (*a.* 1619, 1620, 1619, 1622, 1656).

Si novus Provincialis post indictam Congregationem renuntiatus est, ejus est eam dirigere (*a.* 1642). Hic si prius in Congregatione non erat, suo adventu excludit ultimum ex Professis, supra numerum quadragenarium (*a.* 1636).

« Provincialis potest sententiam primo vel ultimo loco (proferre), non autem in medio cursu suffragiorum » (*a.* 1587, 1590, 1597). « Potest etiam ad meliorem hujus vel illius informationem ac directionem pauca interponere; sed ita moderate ut suam sententiam non aperiat » (1599).

[2] Congregatio non debet prorogari ultra duodecim dies; potius fiant sessiones bis, in die et nocte (*a.* 1584).

[3] Die prima Congregationis, si absit aliquis de quo dubium sit an adesse possit pro electione, vocetur alius; secus si mature advenire debeat (*a.* 1611, 1658). Sed si alter adveniat ante electionem Procuratoris, prior excludatur, etiamsi fuisset electus in Secretarium, novusque Secretarius eligatur (*a.* 1639). Ab iis solis informationes petendæ sunt qui Congregationi intersunt (*b.* †, 1628).

[4] « Verba formulæ Congregationis provincialis n. 17 : *Si modo duas partes tertias excedat* referuntur ad hoc ut sit censenda legitima Congregatio; ex quo sequitur ut quæ solent in talibus Congregationibus determinari firma sint, sufficere sive ad (? plura) suffragia sive ad plura medietate suffragia pro natura rerum definiantur » (*a.* 1587).

[5] « Non potest eligi nisi ex iis qui ingrediuntur Congregationem » (*a.* CC. 1622). « Potest tamen eligi non Professus » (*a.* CC. 1603, 1635, 1590). « Electus socius Secretarii, impedito isto, non minus succedit sine nova electione, quam succedit Procuratori impedito ejus substitutus » (*a.* 1633). Secretario dari possunt memorialia rerum proponendarum a solis deputatis admittendarum vel non (*a.* 1594). Secretarii est omnia suffragia legere et ostendere Provinciali (*a.* 1606); litteras ad Congregationem provincialem aperire cum Provinciali et cum Deputatis (*a.* 1594, 1606). Si nulla sit ejus electio, non ideo aliæ electiones nullæ sunt, et error a Congregatione suppleri

potest (*a.* 1622). In electione Secretarii et Deputatorum (ad postulata secernenda), si suffragia sint æqualia, praxis erit ut eatur iterum libere in suffragio sine restrictione ad jam nominatos : quæ non adhibenda nisi in electione mittendorum, juxta n. 28 Formulæ » (*a.* 1655).

294 Eliguntur postea, ad plura suffragia secreta, duo ex primariis quatuor votorum Professis, qui cum Provinciali (præsente Secretario) ad plura suffragia determinant ea quæ Congregationi proponenda sunt. (F., § 19. — C. G., XXIV, 12.)[1] Potest eligi Secretarius, si est Professus quatuor votorum, qui in Consultatione suppleri non debet a Pro-Secretario. (C. G., XXIV, 12.)

In hoc comitio unum suffragium habet Provincialis, sed in ipsa Congregatione duo, cum jure præcedentiæ in casu paritatis. Ad quemlibet ex his deputatis poterunt deferri, intra biduum post electionem Procuratoris, quæcumque Congregationi proponenda videntur; nec intra hoc tempus solvi debet Congregatio, nisi singuli declarent se nihil proponendum habere (§ 19).

[1] Nomine primariorum (Form. 19) intelliguntur qui præcipuam aliquam qualitatem habent, in ordine, ad id ad quod eliguntur, v. g. antiquitatis, gubernii, experientiæ, notitiæ rerum Societatis, etc. (*a.* 1623 et pluries). Si tamen in Deputatos non eligunt primarios non propterea vitiatur electio Procuratoris (*a.* 1623). Deputati ferre debent suffragia in deputatione, etiam circa ea quæ ipsi proposuerunt (*a.* 1643). Secretarius vel ejus socius possunt eligi in Deputatos (*a.* CC. 1617, 1587, 1622).

« Particulares deputationes in Congregationibus provincialibus v. g. de studiis, œconomia, etc., instituendæ non sunt; quia consuetudo id hactenus non obtinuit, et solum jus eligendi et proponendi competit dictis Congregationibus » (*a.* 1650).

295 2° *In electione mittendorum.* Electis deputatis, designanda dies tertia vel ad summum quarta[1] qua eligi debent mittendi (§ 20). Interea petuntur informationes, cum omnibus cautionibus quæ earum sinceritatem assicurare possunt (§ 21, 25).[2] Die autem præfixa, post brevem orationem, ad plura medietate suffragia, eliguntur ii qui Romam mittendi sunt (Form. cap. IV, §§ 26, 27). Suffragatio vero non debet fieri unica simul designatis duobus mittendis, sed de unoquoque per respectivam seorsim suffraga-

tionem electio facienda. (C. G., XXIII, 1, 4.)[3] Si duobus primis scrutiniis electio non fiat, suffragia deinceps iis solis dari debent qui prius aliquod suffragium habuerunt; post quintum scrutinium, iis tribus qui in proximo eminuerunt aut qui his pares fuerunt. Post decimum, possunt eligi ad plura secreta suffragia, tres vel quinque compromissarii singuli singulis scrutiniis[4] (§ 28). Hi aliquem ex iis qui post quintum scrutinium suffragia habuerunt (quique nec activum nec passivum suffragium in compromissariorum electione habere possunt), eligant. Si tres sint et tres eligant, duo alii eis addantur. Si ex quinque duo uni, duo alteri et reliquus tertio suum suffragium dent, inter priores duos fiat electio (§ 29).

Quando de Congregatione generali agitur, quinque Professi quatuor votorum sunt eligendi; scilicet duo deputati, unus qui conficiat ternarium ex quo impeditus sibi substituere aliquem possit, et duo substituti qui aliorum locum supplere possint (§ 32).

Ad Congregationem Procuratorum duo eliguntur, quorum unus possit alteri substitui si impeditus sit (§ 35)[5].

Eligendi vero sunt inter eos qui sunt ex ipsa Provincia; et si de Procuratore agatur, inter eos qui in Provincia moraliter sunt præsentes; ita ut ante suam profectionem possint convenire Provincialem; si vero de Congregatione generali agatur, eligi etiam possunt ii qui sunt extra Provinciam. (C. G., XXIV, 14.)

[1] « Dies tertius aut quartus n° 14 (*nunc 20 Formulæ*), accipi debet ita ut 296
primus numeretur in quo inchoata est Congregatio, tertius uno interjecto, et quartus duobus interpositis » (*a.* CC. 1594. 1590).

[2] De quo cf. Formulam ubi simul necessariæ inquisitionis et religiosæ caritatis modus procuratur. « Ab iis solis informationes petendæ sunt qui Congregationi intersunt » (*b* †, 1628). Quando res est alicujus momenti et aliunde sciri nequit, sumi potest informatio a non habente suffragium. Ita P. Claudius et PP. Deputati pro Form. (*a.* 1590). « Qui rogatus quis videatur idoneus pro Secretario, Procuratore, etc., dicet *Hic vel ille dicitur talis* censetur indirecte suadere hujus vel illius electionem, contra n. 22 qui clare intelligitur ex n. 32 Formulæ Congregationis Generalis » (*a.* 14 nov. 1624). « Qui scit secretum quod vere possit movere ad electionem debet id aperire, si petatur ab eo informatio, non vero ultro obtrudere » (*a.* 1584). « Prohibitum est

sub privatione vocis activæ et passivæ ne quis, cum de impedimentis agitur, quidpiam proferat quod ad mores spectet; sed si quis quidpiam momenti haberet deferat ad Provincialem et quatuor antiquissimos, cum onere probandi, sub pœna privationis, etc. » (*a.* ex P. Mutio, Acta Congr. Rom. 1615). « Verba illa n. 25 *Remittendo ad illum* intelligenda sunt de iis qui jus suffragii habent, conformiter n° 20 » (*a.* 1633).

[3] « Procurator secretis suffragiis, non tamen obsignatis nec nomine subscripto, eligitur » (*a.* 1599).

[4] Provincialis, si non eligatur, non erit compromissarius, sed compromissarios diriget (*a.* 1619, 1633).

297 [5] Impeditus censeretur qui secreto renuntiatus esset Provincialis (*a.* 1622).

« Provincialis non potest eligi in Procuratorem ad Urbem, etsi statim post Congregationem defuncturus sit officio » (*a.* 1649, 1650), « ne quid suspicionis ea electio præbeat » (*a.* 1654).

Non debet agi de impedimentis nisi post electionem substituti. Si Procurator electus cedat omnino, substitutus ejus locum obtineat et Procurator censeatur (*a.* 1600). Ex tribus substitutis, succedit primus cuicumque impedito; si et ipse impediatur, secundus succedit; et huic etiam impedito tertius. (Form. Congr. prov., 33.)

Quando electus primo loco, ante electionem substituti, proponit impedimenta, antea eligendus est substitutus; et postea agetur de impedimentis primi vel etiam secundi, si is quoque impedimenta proponat (*a.* 1590, 1599, 1600).

Non est vitium irritans electionem (Procuratoris, etc.) si non sit expressum in actis electionem ad plura medietate suffragia factam esse; est tamen de hoc deliberandum in Congregatione Procuratorum (*a.* 1624, 1625, 1639). Similiter si non sit expressum factam esse secretis suffragiis electionem : unde non sunt talia de quibus deliberare debet Congregatio Procuratorum (*a.* CC. 1624).

Electo Procuratore, si statim appareat impedimentum quominus possit ad Congregationem Procuratorum proficisci, non est integrum Congregationi alium eligere qui primo loco dicatur electus, sed substitutus primus dicendus est (*a.* 1590).

Procurator electus extra numerum Congregandorum debet ingredi Congregationem, cum jure suffragii, sicut cæteri Congregati (*a.* 1606).

Contra eligentes seipsos nihil visum est statuere, quia nihil ejusmodi credendum est eventurum (*a.* 1607).

An scrutinium sit nullum, si suffragium detur personæ incapaci, statuere potest ipsa Congregatio provincialis (1615).

« Si electus ad Congregationem generalem impediatur ne possit Romam ire et Provincialis ob loci distantiam non possit tempestive moneri, tum Rector Substituti cum CC. suis et aliis præsentibus habentibus jus suffragii in Congregatione provinciali statuat ad plura suffragia an mitti debeat Substitutus; idemque fiat, si contingat ipsum Rectorem esse Substitutum » (*a.* 1590).

3° *Post electionem* tractantur negotia publicis suffragiis (For. C. v); et primo leguntur responsa Generalis ad quæsita antecedentis Congregationis[1]; tum, si mittendus sit Procurator, agatur de rationibus ob quas cogenda forsan esset generalis Congregatio; et hæ rationes a Secretario collectæ seorsim scribantur[2]; addaturque utram in partem plurium sententia propenderit (§ 47). 298

[1] Provincialis erit videre quid expediat Congregationi communicare ex iis quæ ad suum memoriale responsa fuerunt (*a.* 1628). (De responsis ad postulata proxime præcedentis Congregationis, cf. Form. C. Prov., n. 47.) Provincialis est nosse responsa data aliis præteritis Congregationibus ne dubia alias petita iterum proponantur (*a.* 1603).

[2] Ut dentur suffragia circa opportunitatem cogendi Congregationem generalem, minime necesse est ut secreto petantur informationes de statu Collegiorum. Satis est ut publice unusquisque dicat quid sciat et sentiat (*b.* ††, 1583).

Non expedit, nec etiam licet, ante inchoatam Congregationem capere informationes de cogenda Congregatione generali, tum quia Formula certum tempus ad hoc præscribit, tum quia ita habet consuetudo in Congregatione generali (*a.* CC. 1636); aliter janua aperiretur turbationibus et malis artibus (*a.* 1624). Non est tamen contra Formulam si *Procuratoribus* ante Congregationem communicentur rationes ex Provinciis missæ ut magis considerate ab eis legi possint (*a.* CC. 1636, 1639).

« Si quis videat rationes a se allatas a Secretario esse prætermissas, suggerat Congregationi illas fuisse a se collatas, et Congregatio poterit jubere ut inter alias referantur » (*a.* 1600). Attamen « rationum selectio et judicium pertinet ad Congregationem quia *ipsius nomine* proponuntur ; neque id durum videri alicui particulari debet si ejus rationes non admittantur a Congregatione provinciali ; quia potest quisque *nomine particulari* proponere » (*a.* 1600). Judicium ad cogendam Congregationem generalem petendum est in Congregatione provinciali non ex statu aliarum Provinciarum, sed ex statu præsenti cujusque Provinciæ. Hoc enim cum ex singulis habeatur, satis est ut Romæ de tota re decerni possit » (*a.* 1600).

Deinde proponantur postulata a deputatis approbata, de quibus singuli suam sententiam brevi, libere, sincere et modeste dicant. Hæc ad plura suffragia definiuntur. Omnes latine agant[1]. Si quæ Superiorum personam videantur attingere, religiosa modestia dicantur : qui personam potius sugillare videtur quam res tractare, eum Provincialis de officio suo moneat : neque impeditur libertas eo quod in modo procuratur caritas. (Form. 48.) 299

Licet unicuique aliis auditis mutare sententiam antequam res concludatur (§ 49). Deinde licebit unicuique proponere ea quæ a deputatis rejecta sunt; sed de eis non agetur nisi consulta et approbante Congregatione. Quæ vero attingerent substantiam Instituti aut personas, ne deputatis quidem proponi possunt (ibid)[2]. Si vero Congregationi generali aliqua Constitutionum mutatio proponenda videatur, duæ tertiæ partes Congregatorum consentire debent de hoc, neque est petenda mutatio, sed rationes proponendæ (§ 46). Vetatur publice affigi puncta quæ postridie tractanda sunt, et gravius etiam ea quibuscumque typis impressa distribui. (Form. 49. — C. G., XXIII. 38, 3.)[3]

[1] Potest dispensari ut quis loquatur lingua vernacula, si nequeat se satis explicare latina (*a.* 1611, 1628).

[2] « Postulata sæpius fuit declaratio n. 48 Formulæ Congregationis provincialis circa statum Provinciæ. Sed non fuit judicatum a PP. Deputatis in Congregatione IX, tit. 34, mem. 5: in Congregatione X, Act. 48, m. 5. » (*a*) Ibidem vox *Debebunt* nullam imponit obligationem tractandi de statu Provinciæ; sed solum significat qualia esse debeant, si quid tractandum occurrat (*a.* 1658). « De iis solum in publicis conventibus tractandum est, quæ vel Congregationi generali vel Reverendo Patri Nostro sunt, nomine Provinciæ, proponenda, ut clare patet ex n. 19, et insinuant nn. 43, 47, 48 » (*a.* 1640).

[3] « Si quid vero proponatur in Congregatione quod egeat majori consideratione, petatur ut differatur discussio » (*a.* 1587, 1611, 1649).

300 Patres congregati aliis extra Congregationem acta non evulgent sub pœna pro gravitate culpæ infligenda a Provinciali. (Form. 49.) Omnibus expeditis recitatur hymnus *Te Deum* et solvitur Congregatio (§ 50). Si quis dum electioni vacatur, pro se vel pro alio ambitiose agere deprehendatur, judicabitur a Provinciali et tribus antiquissimis Professis, qui eum voce vel activa vel passiva vel utraque privare et aliis pœnis punire poterunt[1]. Judicavit C. G., XXIV, d. 11, « ex Formula (Congr. Prov.), prout nunc est, nihil quidem demendum neque immutandum esse, posse tamen addi quæ circa Congregationem provincialem jam statuta sunt vel de novo statuentur; quam curam Præposito generali demandavit.[2] »

[1] Si is e Congregatione ejiciatur, alius ejus loco substituendus erit (*a.* 1658).

De iis porro quæ in Congregatione acta sunt secretum servari debet etiam cum iis qui ad eam veniendi jus habuissent et impediti fuerunt (*a.* 1628, 1625, 1642).

Non est permittendum ut, tempore Congregationis, habeantur conclusiones publicæ (*a.* 1575); nec conciones nisi in diebus festis (*a.* 1579). Prima et ultima die dari solet omnibus melior tractatio (*a.* 1600), item die qua eligitur Procurator similis illi quæ datur in Renovatione votorum (*a.* 1648); aliis diebus permittitur antipastum et postpastum, duplex scilicet ultra consuetum victum (*a.* Ibid.), sed non patiendum est ut PP. Congregati invitentur omnes simul apud convictores, at per vices tantum nunc ii, nunc illi (*a.* 1605). Non est tolerandum ut Superiores sedeant ad mensam separatam (*a.* 1639). Non est imponenda contributio Provinciæ ad solvendas expensas Congregationis nisi nullum aliud perfugium sit (*a.* 1597). « Non est contra paupertatem uti tapetibus viridibus aut aliis hujusmodi in mensa, dum Patres agunt in Congregatione, modo non sit res admodum sumptuosa » (*a.* 1587).

« Ex n. 50 Formulæ Procurator non debet discurrere per Provinciam, plenioris informationis sumendæ gratia; sed quæ illi a Provinciali vel ab aliis commendabuntur ut Generali referat, fideliter eidem proponet. Porro Procurator debet instrui de cognitione non eorum dumtaxat quæ a solo Generali curari possunt, sed etiam aliorum quæ ad Provinciæ utilem cognitionem Generalem juvare possunt » (*a.* 1640). Attamen « non debet in publico conventu petere informationem de statu Provinciæ sed privatim a Provinciali et aliis quibus (status) bene perspectus esse videtur » (*a.* 1640). Quænam vero in acta Congregationis referenda sint, et quid ex his Procurator secum deferat, cf. Form. n. 50.

[2] Quod præstitum est in editione Instituti quæ prodiit annis 1892-93.

SCHOLION

DE JURE SUPERIORIS SEMINARII EPISCOPALIS, SCHOLÆ APOSTOLICÆ ET CONVICTUS AD CONGREGATIONEM PROVINCIALEM

De Seminariis vero episcopalibus, Scholis apostolicis, Convic- 301
tibus, et si quæ alia similia, expendendum est ex circumstantiis, utrum adsint conditiones omnes, intrinsecæ et extrinsecæ, quæ ad vera Collegia Societatis requiruntur. De quo, præsertim in dubio, judicium Generali pertinet. (Cf. P. Martin, Ord. pro tempor., 16.) Hinc factum est ut non una fuerit pro varietate temporum et cir-

cumstantiarum secuta norma. Ita anno 1853 scribebat P. Roothaan Provinciali Tolosano : « Le P. G..., en sa qualité de Supérieur du Grand Séminaire de Mende doit être appelé à la Congrégation provinciale. Il n'en serait pas ainsi si cet établissement n'était qu'une simple pension sans classes propres ; mais comme il a ses cours à lui et ses professeurs, il est un vrai collège dans le sens de nos Constitutions qui donnent surtout ce nom aux maisons où l'on enseigne la théologie. — Les Petits Séminaires en France étant regardés comme *Collegia inchoata* en vertu du 14e décret de la Congrégation XXe donnent à leurs Recteurs le droit d'être appelés à la Congrégation provinciale. Ainsi vous devez appeler le P. P... Recteur de Sarlat. — Rome, 31 janvier 1853, Roothaan » (*f*). Et eodem jam modo responsum fuerat 8 maii 1847 (*f*). Et addebat P. Beckx (2 aug. 1862) Seminaria, quorum Superiores a Congregatione provinciali excluduntur, ea esse quæ Scholas non habent, ut est, Romæ, Collegium Germanicum.

At mutatis alibi circumstantiis, aut forte attentius perspecta horum Seminariorum conditione, ipsorumque regiminis indole, anno 1886, dubium motum est de Rectore Salmanticensis, Seminarii, et ad R. P. Anderledy tunc Vicarium Societatis delatum. De quo casu ab hujusce compendii editore interrogatus, ita rescribebat R. P. Provincialis Castellæ, die 16a aprilis 1894 « Dubium fuit de P. Rectore Salmanticensis Seminarii cui ratione antiquitatis, jus non adest ad provincialem Congregationem veniendi, cuique, si standum est Instituti litteræ, neque sui muneris ratione tale jus conceditur. Contrarium autem suadere videbantur tum quædam aliarum Congregationum exempla, ad quas Episcopalium Seminariorum Rectores sui muneris gratia vocati esse dicuntur, tum etiam similitudo quam hujusmodi Seminaria præ se ferunt cum convictibus illis quorum Rectores ad Congregationem provincialem admittendos declaravit C. G., XX. Dubium discussit R. P. Vicarius, hac de re consultus ; cujus hæc est responsio : « De Rectore Salmanticensis Seminarii, re cum PP. Assistentibus

communicata, non videri ad Congregationem vocandum, *quoniam Seminarium nostrum non est, nec ejus administratio bono nostro cedit.* » Et jamjam, anno 1617 (*a*) ipse Rector Collegii Anglicani Audomariensis (Saint-Omer), ubi erant Scholæ cum Professoribus et exercebantur ministeria, non fuit admissus « quia non est Collegium Societatis sed tantum Seminarium. »

N. B. — Præter Congregationem generalem et provincialem, habentur in Societate *Congregatio Procuratorum* ad quam hæc dirigitur et quidem, (extra casum Congregationis generalis indictæ) ut ad finem essentialem, et *Congregatio ad eligendum Vicarium generalem.* De quibus cf. Epit. Inst., P. VIII,

PARS QUINTA

De Disciplina Societatis et de mediis quibus bonum in ea promovetur.

Disciplinæ nomine ea omnia media complectimur quæ ad 302
bonum fovendum et malum corrigendum a Societate instituta sunt. Hinc duplex classis mediorum, quorum priora se referunt ad bonum statum Societatis conservandum et augendum, media scilicet ad fovendam pietatem erga Deum, mutuam charitatem, domesticum ordinem et valetudinem; posteriora ad malum corrigendum, scilicet reservatio casuum, impositæ censuræ et præcepta, dimissio e Societate.

CAPUT PRIMUM

DE MEDIIS AD FOVENDAM PIETATEM

I. — **Media interna.** — Primo loco statuendum est studium 303
perfectionis, quod in absoluta Constitutionum observatione se prodit et in virtutum solidarum exercitio (Ex., I, 2. — Cst., III, I, 10. — VI, I, 1); eas magis quam exteriora dona æstimando (Cst., X, 2); rectam intentionem circa omnia habendo placendi

divinæ Bonitati præcipue propter seipsam. (Ex., I, 3. — Cst., III, I, 26. — X, 2, 3.) Hæc Scholasticis peculiariter circa studia commendatur (Cst., IV, VI, 1), non secus ac indifferentia circa futuras occupationes (Ins., VII, 5); quam si non habeant, et relaxati sint, ad Exercitia spiritualia inducantur, imo, a studiis amoveantur. (Cl. VI, 4. — Ins., VII, 4.) Tentationes antevertant NN., adhibitis contrariis, et Superioribus aut Præfecto manifestent. (Cst. III, I, 10. — XII, 13.) Quæ mundus abhorret concupiscant, et ad hoc omnimodæ abnegationi, præsertim in abjectorum officiorum exercitatione, etiam Sacerdotes incumbant. (Ex., IV, 28, 44, etc. — Cst., III, 1, 13. — VI, II, 15, etc.) Vitent tamen pœnitentiarum excessum necnon et defectum. (Cst., III, II, 5. — VI, III, 1. — X, 10.) Excitetur usus præsertim in juvenibus, frænatis iis qui ulterius proveherentur. (Ins., XIII, 6.) Constitutionum Summarium, Communes regulas et eas quæ ad propria officia pertinent singulis mensibus legant. (Cst., X, 13. — IV, X, F. — Sum. Cst., LII. — Reg. com., 49.)

304 II. — **Exercitia spiritualia.** — Orationi horam unam primo mane tribuant[1] (C. G., I, 97. — II, 29. — IV, 5. — VIII, 38, 4), in suis cubiculis. (C. G., I, 98. — IV, 59.) Examini tum particulari tum generali binos quadrantes impendant omnes (Cst., III, I, 11. — IV, IV, 3. — C. G., IV, 5. — Cl., III, 5); exceptis diebus festis ubi habita est concio[2] (C. G., VII. 25, 2), in quibus non pulsatur ad examen. Examinis tempore nemo extra cubiculum vagetur. (Or., IV, 1.) Visitentur omnes orationis et examinis tempore[3]; aliquando etiam a Ministro et a Rectore[4] (R. Rect., 47. — Ins., XIII, 1); nec omittendi sunt qui serius surgunt, eisque orandi definitum tempus est assignandum (C. G., VII, 25). Rosarium et Officium B. Mariæ Virginis cujusque devotioni et Præfecti Spiritualis prudentiæ relinquitur. (C. G., VI, 40, 4.) Præcipitur tamen Rosarii recitatio ad certas intentiones iis qui sacerdotes non sunt. (Catal. Miss. et Orat.)[5] Quotidie omnes ex vetusta consuetudine, Congregatione IX sancita, ad Litanias conveniant[6], quibus

Ave maris Stella, *Sub tuum*, *Defende* primo addita sunt (C. G., IX, 7), tum *Deus qui glorificantes* (C. G., X, 14), tum demum variæ aliæ præces[7] (C. G., IX, 7. — X. 14. — XII, Act. 20. — C. Poloc., II, 8. — V, 5). Benedictio mensæ, publice juxta ritum romanum, privatim vero secundum antiquum morem fiat (Cst., III, 1, 5. — C. G., I, 99. — IV, 60)[8].

[1] Dispensatum est aliquando in Provinciis septentrionalibus, cum Sacer- 305
dotibus et Professoribus qui horas alio tempore recitare nequibant, ut eas orationis tempore recitarent (*a.* 1595). Non est necesse nec inducendum ut oratio simul fiat ab omnibus (*a.* 1603). Permissum tamen est in aliquibus Provinciis pro Scholasticis (*a.* 1626), et Coadjutoribus non formatis (*a.* 1661). Cumque peteretur ut id transiret in usum, C. G., VIII (Act. 12) id reliquit arbitrio Præpositi generalis. Non debet oratio fieri in horto (*a.* 1601). Non sunt cogendi NN. ut flexis genibus hanc faciant, etsi id optandum sit (*a.* 1620). Tempore autumnalium vacationum, in villa fiebat a Scholasticis Collegii Romani quadrans orationis mane, antequam deambulatum irent, et semihora vespere, stato tempore. « Videbit R. V., addebat P. Hoffæo Visitatori, utrum hoc idem sit Friburgi permittendum » (*a.* 1597).

[2] Etiamsi concio extra templum nostrum habita sit, ab examine dispensantur qui ei interfuerint (*a.* 1642.) Secus si valde mane habita fuisset, binis vel ternis horis ante prandium, aut vespere esset habenda (*a.* 1600, 1610, 1618, 1620); aut si extra diem dominicam et festum habeatur, v. g. in feriis quadragesimalibus (*a.* 1629, et pluries).

Præceptores et alii qui dicunt vel audiunt sacrum, tempore examinis matutini, tenentur tantumdem temporis a prandio examini tribuere (*a.* 1590.)

[3] Ab hac visitatione eximi posset a Provinciali v. g. qui fuisset Provincialis (*a.* 1620), aut a Superiori, justa de causa. Cæterum antiquiores potius exemplo cæteris esse debent (*a.* 1597). Nemo generatim a visitatione eximendus est nisi quem valetudo ab ipsa oratione eximit (*a.* 1620).

Novitiis non detur cura visitandi tempore orationis, nec similia officia (*a.* 1591.)

[4] Hi in visitatione provinciali de hac re rationem reddent (*a.* 1614).

[5] Nomine Rosarii, in suffragiis, Romæ intelligitur indifferenter tertia pars Rosarii (*a.* 1576, 1626).

Non permittatur abire in desuetudinem pius mos gestandi de cingulo coronam vel Rosarium B. Virginis, ne, dum id removemus ab oculis, etiam recitationem ejus ex memoria excidere patiamur (*a.* 1649).

Orationes *Pater* et *Ave* quæ ex Catalogo singulis hebdomadis debent dici a FF. non commutentur in coronam ne oblivioni tradantur (*a.* 1594).

[6] Hæ litaniæ non nimis cursim dicendæ sunt (*a.* 1622). Ab his ultimo triduo Hebdomadæ Sanctæ abstineatur (*a.* 1642). Ipse Provincialis a communi earum recitatione abesse non debet (*a.* 1654). Nullæ aliæ litaniæ præter Sanctorum et Lauretanæ in templis nostris recitandæ sunt (*a.* 1617, 1654). Hinc reprobatus est usus publicus litaniarum S. Nominis Jesu (*a.* 1617, 1654), et SS. Angelorum (*a.* 1617), utpote non approbatarum a Sede Apostolica, aut etiam reprobatarum quoad usum publicum. Hodie permittuntur pro usu publico litaniæ solum quæ exstent in Breviario aut in recentioribus editionibus Ritualis Romani ab Apostolica Sede approbatis. (S. C. Rit., 28 nov. 1895, in Act. S. Sedis, vol. XXVIII, p. 310.) Cæteras vero approbare possunt Episcopi, non quidem pro usu liturgico, aut etiam publico quamvis forte extraliturgico, sed pro recitatione privata. (Cf. *Revue Théologique Française*, 1896, p. 24 et sqq.)

Nec absonum, nec improbabile apparet quod docet Suarez, t. IV, tract. 10, lib. VIII, c. II, n. 4, eum qui abfuit a recitatione publica litaniarum non teneri privatim recitare, quum jam transacta sit occasio et materia recitationis. (*a.* 1641).

[7] Oratio Cordis Jesu præscripta fuit a Congregatione Polocensi; necnon, diebus Sabbati, litaniæ Lauretanæ quas, probabile est, ex præscripto hebdomadarias, usum tunc quotidianas effecisse. (Cf. P. Oswald, n. 824.)

[8] S. Franciscus Borgia edixit ut id stando non sedendo fieret (*a.* 1565).

306 III. — **Sancta Eucharistia.** — Missæ omnes quotidie intersint (Cst., IV, IV, 3), nisi forte Scholastici aliquando dispensentur[1] (Cst., IV, IV, B). Sacerdotes ita vivant ut quotidie celebrari possint, celebrationem ultra octiduum sine legitimis causis non intermittant (Cst., VI, III, 2), imo crebrius celebrent. (Ex., IV, 25).[2]. Pia praxis *crebrius* intellexit *quotidie* (Epit., P. 4, n. 9). In missæ celebratione ritum romanum servent. Non ita breves sint ut semihoram non expleant nec tamen multum excedant;[3] nec prius publice celebrent quam fuerint exercitati. (Ex., V, 7. — Cst., IV, VIII, 2. — VIII, I, 8. — C. G., I, 93. — IX, 19. — Ins., XIII, I, 5.) Et circa congruam celebrationem invigilet Præfectus Ecclesiæ. (R. P. E. 12, 13.)[4]

Possunt porro sacerdotes nostri, ex licentia a Superiore locali communicanda, celebrare una hora, imo duabus horis ante auroram aut post meridiem; missionarii vero, et in nostris ecclesiis

sacerdotes sive nostri, sive sæculares, duabus horis post mediam noctem, et tribus post meridiem. (Comp. Priv., n. 409, 410.)

[1] Generatim non probatur ut missæ tempore Nostri coronam aut alias preces recitent. Minime vero eo tempore quo sacerdos altiori voce loquitur ; tunc enim vacare debent meditationi sancti mysterii (*a.* 1585). Vix credibile est ad recitandum Rosarium aliud tempus defuturum (*a.* 1609). Nullum tamen præcepto id prohibetur ; sed majoris perfectionis est extra missam illud recitare (*a.* 1638).

[2] Verbum *crebrius* consuetudo ita interpretata est ut *quotidie* significet, et ideo pœnitentiis sunt compellendi qui aliter agerent (*a.* 1591). Feria V in Cœna Domini, non autem Sabbato Sancto, dici potest missa privata ubi consuetudo loci id permittit, cum ferant rubricæ ut id fiat non ex gravi causa (*a.* 1590, 1617, 1621). At ne faciant Nostri communionem Sabbato Sancto, in sacello privato (*a.* 1642).

Nostri qui locum parochi impediti supplent possunt bis celebrare ubi ipse potest. Cum forte dicimus missam parochialem non liberamus parochum ab onere celebrandi pro populo. Nostri qui parochorum vices supplent in insulis Americæ, liberantur a sacro dicendo pro P. N. et pro Septentrione et Indiis, non autem ab iis quæ dicuntur pro benefactoribus et defunctis (*a.* 1653).

« Sacra, juxta regulam hebdomatim ac menstruatim dicenda, non sunt omittenda, vel differenda propter defunctos in Provincia, sed pro his faciendum postquam illis erit satisfactum » (*a.* 1634, 1638). Missas affixas certo tempori, si non potuerunt ob infirmitatem aut alias causas hoc tempore dici, suppleri non est necesse, nec etiam Rosaria, secus de aliis ; quas etiam si nimium excreverint, Superior imminuere poterit (*a.* 1576, 1585). Si vero Sacerdos perpetuo inhabilis sit, Rosarium loco missæ pro constitutis intentionibus recitare tenetur (*a.* 1615). Qui ex incuria hanc obligationem implere omisisset ad id postea teneretur (*a.* 1629). Potest nonnihil anteverti tempus, si prævideatur obex (*a.* 1595).

« Nullo modo probanda est in praxi sententia dicentium uno sacro satisfieri posse diversis obligationibus » (*a.* 1639). Eadem de re alia duo responsa accipe : « Unam missam ad plures intentiones applicari posse Nostri nec opinari, nec practicare debent » (*a.* 1596, 1598). — « Opinio quorumdam uno sacro satisfieri pluribus obligationibus dicendi sacrum, adversatur Decreto Pontificis, et communi sensui Societatis » (*a.* 1631).

Non videtur satisfacere Regulæ qui missam dicit per alium (*a.* 1629). Missæ injunctæ absque determinatione temporis dici debent intra tres menses (*a.* 1569, 1605). Rector tenetur missas in Catalogo fixas dicere (1611). « Missionibus occupati, dum in illis sunt, videntur eximi a missis quæ extra ordinem indicuntur, exceptis quæ dicuntur pro defunctis » (*a.* 1592). Qui in aliena Provincia per aliquod tempus moratur sacra in hac, non in propria Provincia, indicta celebrare tenetur (*b.* ††, 1579).

Ubi sunt tantum tres vel quatuor e Nostris, non obligantur ad missas indicatas in Catalogo § 8, 9, 10. Ubi sunt tantum quinque, possunt tria sacra restringi ad duo, unum pro Societate alterum pro benefactoribus.

Qui missarum stipendia ex speciali concessione accipiunt, sacra in Catalogo præscripta *secunda saltem intentione* celebrare debent. Imo celebrari debet *prima intentione*, quaque hebdomada, semel ad intentiones Generalis ; tum die Commemorationis Defunctorum Societatis, mense novembri ; rursus quando suffragia nominatim indicuntur pro aliquo Nostro defuncto ; denique cum sacrum petitur pro re gravi a Superioribus, nisi aliter statuatur. Ita P. Anderledy in Ord. de stipendiis, 31 jul. 1887.

307 [3] Missæ per semi-horam durare debet a formatione crucis in principio ad finem ultimi evangelii (*a.* 1612, 1648 et pluries). Vituperandi sunt igitur qui semi-horam in sacro faciendo non explent, minime vero qui eam paululum excedunt (1848). Regulæ igitur repugnat illa interpretatio mediam horam concludendam eo tempore quo sacerdos vestes sacras induit et rursum exuit (*a.* 1612, et Patres qui mediam horam non explent egent emendatione (*a.* 1655). — « Le sens de la quatrième règle des prêtres (*de semi-hora in faciendo sacro*) est que la messe, à partir du signe de la croix au bas de l'autel jusqu'à la fin du dernier évangile, dure une demi-heure. Et c'est d'après ce principe que l'on doit instruire nos jeunes scolastiques promus au sacerdoce, en n'oubliant pas cependant que, pour cette règle comme pour toutes les autres, on doit éviter dans la pratique de sacrifier à la lettre l'esprit qui est ici de nourrir sa propre dévotion et d'édifier le prochain. » (P. Roothaan ad P. Maisounabe, Rectorem Collegii Valsensis, 29 oct. 1842.)

[4] Jubilæum sacerdotii aut Professionis Nostris olim celebrare non fuit permissum, etiam cibis oblatis a pœnitentibus : jejuniis potius et pœnitentiis hostia laudis ea die immolanda videbatur (*a.* 1647, 1648, 1650).

308 *Ad Sacram Communionem* octavo quoque die accedant qui Sacerdotes non sunt, nisi Confessarius aliquod impedimentum esse judicet. (Ex., IV, 25. — Cst., III, I, 11. — IV, IV, 3.) Minister huic rei invigilet, et cibum corporis subtrahat his qui animæ cibum renuerint. (R. Min. 9.) Frequentior communio, non Scholasticis nisi ob necessitatem, sed aliis facilius est concedenda. Et quoad Scholasticos, attentis tum regula ipsa, tum modo quo observatur, tum ceteris adjunctis, hæc regula nullatenus videtur immutanda (C. G., XXIII, 37.)[1] (Cst., IV, IV, B. — R. Rect., 34.) Idem concedere poterit Præfectus spiritualis aut Confessarius ex delegatione Rectoris[2]. (R. Rect., 34.)

[1] Servandus est usus indicendi communionem quotiescumque festa SS. vel BB. Societatis occurrunt (etiam increscente NN. BB. numero). At simul retineatur consuetudo quam constat semper viguisse in Societate ne communio indicetur EX OBLIGATIONE tribus continenter diebus, nisi in iis festa incidant ex principalioribus, integra Superiori facultate dispensandi cum singulis (*c.* Prov. Taurin., 1868). Et jam 1640 (*a*) « Omnibus tribus diebus (communicetur) si in die sabbati et lunæ occurrant festa principalia. » — Et « Quando festum SS. Cosmæ et Damiani (annivers. confirmatæ Societ.) inciderit in diem sabbati, et S. Michaelis in diem lunæ, non est omittenda communio, diebus quibus vel Constitutionibus vel decr. 54, C. G., VII præcepta est. Potest Superior *dispensare* etiam pro festo S. Michaelis, si expedire judicaverit » (*a.* 1642). Etenim communicandum die 27 ex decr. Congr., et dominica ex Constitutionibus.

[2] Post communionem per quadrantem in templo Nostri remaneant (*a.* 1625). In die depositionis alicujus ex Nostris, communio a Rectore concedi poterit iis qui petent (*b.* †, 1693).

IV. — **Confessio.** — Confiteantur omnes octavo quoque die 309
(Ex., IV, 25. — Cst., III, I, 11, Q. — IV, IV, 3), et religiosi formati *generaliter* semel quotannis, non formati quolibet semestri (Ex.. IV, 41. — Cst., III, I, 11. — R. com. 3.)[1]; confessariis a Superiore deputatis [2] (Paulus III, *Licet debitum.* Leo XII, *Plura inter*); uni omnes aut certe stabili; et ordinario aperiatur quod alii dictum fuerit. [3] (Cst., III, I, 11, I, Q. — VI, III, 2. — C. G., XXIII, 30).

[1] De confessione generali Graduatorum cf. P. Oswald, n. 444, 5°.

[2] Utrum tempore jubilæi possint Nostri adire confessarium externum Comp. Priv., n. 126, jubet ut considerentur indulta jubilæi, quæ, cum hisce temporibus amplissima esse soleant, videndum est an illorum tenore Nostri quoque in facultate sibi eligendi confessarium, absque ulla requisita Superioris licentia, comprehendantur.

Responsum aliquando fuit « quemvis per quemlibet sacerdotem absolvi posse a venialibus » (*a.* 1633). (Cf. Lacroix, l. VI, p. 2, n. 1153, et Suarez, tr. 8, l. II, c. XVI.) Verum post decretum Innocentii XI prohibitum est in genere ne non approbatus absolvat; imo dubitari potest an hæc facultas quoad validitatem adhuc vigeat. Lacroix (l. VI, p. 2, n. 1489) censet vigere; idem ut probabile tenetur a S. Alphonso. (L. VI, n. 543. — Cf. quoque De Annibale Summ. Th. mor., tr. 2, n. 182.)

Hinc orto dubio de hac doctrina, dubium quoque oritur utrum subsistat licentia P. Mutii, quæ huic sententiæ innixa fuisse videtur. At respondit P. Beckx ad Prov. Tolos. (jun. 1882) se nolle dirimere quæstionem theologi-

cam; ipsius tamen mentem eam esse, ut nemo confiteatur nisi specialiter designatis confessariis. (Cf. P. Villada, n. 2, not. 1.)

Erronea autem est et constitutioni Gregorii XIII *Decet Romanum Pontificem* aperte contraria opinio eorum qui sibi persuaderent, virtute facultatum a S^a Pœnitentiaria traditarum posse aliquem e Nostris absolvi ab eo qui a Societatis Superioribus jurisdictionem non accepisset. (*c.* Prov. Taur., 1868. — Cf. P. Villada, n. 70. — Comp. Privil., n. 128, quoad licentias Innocentii IV.) — Bulla vero *Cruciatæ*, hac in re, certo Nostris non suffragatur. (Comp. Privil., n. 126.)

[3] Qui Superiori confessus est non tenetur hac regula, quamvis laudabiliter faceret, eadem ordinario confessario repetere (*a.* 1584). Hæc quidem ante disciplinam Clementinam. Post vero decretum Urbani, ut observetur lex de pluralitate confessariorum « superentur difficultates omnes » (*a.* 1647); et quæ ex hac lege nascerentur incommoda « uni Deo decet committere » (*a.* 1641).

310 Collatis vero tum jure communi, tum specialibus Societatis privilegiis :

1° Nostri non possunt, nec licite nec valide, confiteri nisi confessariis a Superiore designatis;

2° Non licet Superioribus suorum subditorum confessiones audire nisi quando hi habent reservata (cf. tamen infra ubi *de reservationibus*); aut ipsi subditi sponte ac proprio motu velint eis confiteri;

3° Ab hac prohibitione excipiuntur Magistri novitiorum quamvis simul Superiores sint Novitiatus; et semel aut bis in anno, relate ad confessiones novitiorum, Superior Domus aut Provinciæ per se vel per alium. (Comp. Pr., n. 125.)

4° Debent Superiores duos, tresve quatuorve confessarios Nostris in unaquaque domo designare, secundum disciplinam Clementinam; aut, si deputent unum tantum ex privilegio Urbani VIII, offerre, quolibet anno, quinque aut sex vicibus, confessarium extraordinarium cui omnes cum effectu confiteri teneantur. (Comp. Privil., n. 125.) Optandum est tamen ut confessarius ordinarius Scholasticorum sit Pater spiritualis Domus, cui eorum cura tantopere commendatur. (C. G., XXIII, 30, 3.) Itinerantes vero confiteri debent socio idoneo, si habent, exclusive;

si non habent, cuilibet discreto et idoneo (quamvis forte non approbato) regulari aut sæculari. (Comp. Priv., n. 125.) De casu quo reservata haberent, cf. infra[1].

[1] Hospites qui ad breve tempus in alieno Collegio remanent, possunt suo socio confiteri (*a.* 1572); non tamen tenentur (*a.* 1638); possunt enim ad unum ex ordinariis domus confessariis accedere. « In via autem, etsi duo non missi simul occurrant sibi in via, debet unus alteri confiteri si sit necessitas; nec possunt licite aut valide confiteri sacerdotibus non de Societate » (*a.* 1628); nequidem ob offensam ab altero acceptam (*a.* 1612.) Si tamen non adsit socius itineris, sed solum occurrat aliquis e Societate putat P. Villada (n. 8), cui favet Comp. Priv., n. 125, posse itinerantem confiteri etiam extraneo, dummodo reservata non habeat.

Missionarii erratici qui inter suas missiones in nostris domibus commorantur, confessariis ibi designatis confiteri debent. Facilis tamen erit Rector in concedenda dispensatione (*b.* †, 1672).

Si vero plures extra domos nostras simul mittantur, confiteri possunt cuilibet ex sociis, nisi aliter statuerit Superior. (P. Beckx ad P. Gautrelet, 1861, apud Montrouzier, c. XI in fin.)

Qui, iter agendo, divertit ad aliquam domum Societatis, eadem die ad propriam rediturus, non hujus domus sed proprii Superioris jurisdictioni subjicitur. Potest tamen ad devotionem ad confessarios hujus domus accedere. (Ibid. — De casu domus *dispersæ*, cf. P. Villada, n. 71.)

Possunt Nostri confiteri modo uni, modo alteri (*a.* 1637); licet id minus probetur, ob varia quæ inde nascuntur incommoda (*a.* 1641.) Præceptores non sint ordinarii confessores suorum discipulorum (*a.* 1649). Nec confessarii sint Consultores (*a.* 1622); aut saltem ubi de iis quos audiunt agitur, taceant aut etiam discedant (*a.* 1639, 1647, et pluries).

Notitia ex confessione habita nemo utatur ad externum regi- 311
men ullove modo, etiam ubi nulla suspicio revelatæ confessionis inde oriri potest[1]. (Or., V, 1, 6. — Ins., V.) Sacerdotibus frequentior confessio commendatur. (Reg. Sac., 3.)[2]

[1] Imo confessarius nihil conferat ad bonam gubernationem juvandam cum Superiore, quod habeat relationem cum confessione, licet illud etiam aliunde noverit (*a.* 1584). — Nihil a confessariis aut Præfecto spirituali petendum ad dimittendum eum qui extra confessionem eis aliquid dixerit (*a.* 1584). A rigore tamen Ord. V, l. c, excipiendi casus forte urgentes, ubi grave reipublicæ detrimentum immineret, at salvo sigillo et circumspecte (*a.* 1611).

Insuper Ordinatio non pertinet ad internam et spiritualem conscientiæ directionem, in quo tamen ipso summa adhuc requiritur prudentia (*a.* 1618).

[2] « Quoad confessiones nostrorum Sacerdotum varia responsa meorum antecessorum exstant ; posteriora tamen, quæ post maturam deliberationem confirmo, definiunt Sacerdotem semel octavo quoque die confitentem regulæ suæ satisfacere. Proinde poterit quidem R^a V^a suos hortari ut sæpius confiteantur, non vero ordinare, multo minus mandare confessariis ut secus facientes deferant » (*a.* P. Nickel ad Prov. Rhen., Super. 10 jul. 1656).

312 *De facultatibus Confessarii Nostrorum.* — Petendæ sunt passim a Compendio Privileg. novissime edito, attento modo communicationis ibidem. Hæc sunt præcipua. Confessarii possunt :

1° Commutare vota et juramenta NN., nisi sint reservata aut commutatio præjudicet tertio (Comp., 110, 178);

2° Dispensare pro foro conscientiæ, singulis annis, feria 2^a post dominicam primam Quadragesimæ, in omni irregularitate, nisi contracta ex homicidio, mutilatione, aut bigamia (Ibid., 165);

3° Commutare aliqua opera infirmis injuncta ad lucrandas indulgentias (cf. Villada, n. 20, et ibi P. Assist. Hispaniæ, januar. 1892);

4° Commutare officium canonicum impeditis ex pietatis operibus aut studiis litterarum, juxta modum in Comp. n. 117 indicatum, et plenius adhuc infirmis (Comp., 118);

5° Declarare ad cautelam justam causam recitandi Matutinum hora secunda (Comp., 320) ;

6° Approbare pœnitentias, concedere communiones ex devotione (hæc ex delegatione fieri solita), non tamen supplere quoad Scholasticos officium Præfecti spiritualis (cf. Villada, 23);

7° Absolvere Nostros a qualibet censura aut peccato quæ non sint certo reservata (Comp., 16). De reservatis autem cf. infra.

Hæc de confessariis ordinariis a Provinciali constitutis : confessarii vero a Superiore designati ab ipso discant quænam ex supra relatis sibi communicentur.

313 V. — **Verbum Dei.** — Exhortationes a Superiore vel alio Instituti perito habeantur, singulis aut alternis hebdomadis [1] ; et in iis de observatione Constitutionum, charitate, humilitate, abnega-

tione agatur, aut de iisdem rebus collationes spirituales fiant (Cst., III, 1, 21, 28. — C. G., VI, 40, 3). Seriæ sint et cor petant (Cl. III, 1, 5). Conciones aut sacræ lectiones quæ habentur in nostro templo omnes audiant.[2] (Reg. com., 2.) Lectionem spiritualem meditationisque præparationem per quadrantem faciant ante examen vespertinum. (C. G., VII, 25, 3.) In refectorio legatur liber pius non difficilis[3], aut litteræ ædificationi conferentes, aut concio fiat. (Cst., III, 1, 5, E. — R. Præf. ad mens.) Martyrologium legitur, et quidem in prandio, ut sciant Sacerdotes quomodo ordinandum officium. (C. G., VIII, 47.)

[1] In parvis Collegiis ubi sunt decem circiter personæ, loco exhortationis haberi possunt collationes spirituales (*a.* 1655). Omitti possunt ubique tempore quadragesimæ, si in templo nostro fit concio (*a.* 1574); item diebus festis, nisi pluribus diebus veneris continuis festum incidat (*a.* 1619).

[2] Possunt a concione audienda eximi qui occupati sunt; vel utilius lectioni piæ tempus impendunt (*a.* 1590), item arbitrio Provincialis qui lectioni matutinæ interfuerunt in scholis (*a.* 1600). Eximuntur Professores superiorum classium (*a.* 1619), et qui jam extra domum aut in templo nostro concionem audierunt (*a.* 1594). Facilius dispensabitur ubi proprium templum non habemus (*a.* 1581). Cæterum omnes qui in Collegio degunt, vel concionem vel lectionem Scripturæ Sacræ, quæ in templo Domus professæ habetur, audire debent (*b.* ††, 1584).

[3] Legere autem debent ipsi Sacerdotes in parvis Collegiis, ubi non sunt Scholastici, ne magistri qui quinque horis in docendo fatigantur toto hoc labore onerentur (*a.* 1619, 1639). Si id fieri nequeat, legatur aliquid in fine, reliquo vero tempore silentium servetur (*a.* 1646). De delectu legendorum cf. P. Beckx, encycl. 13 junii 1877, n. 14. Martyrologio nihil inseri aut addi debet (*a.* 1654. — Cf. tamen in libello cui titulus *Compendium cæremoniarum ad usum PP. Soc. Jesu*, Anicii, 1873, p. 82 quædam observanda ut melius satisfiat intento Congr. VIII).

VI. — **Ratio Conscienciæ** nobis magnopere commendatur, ut 314
Superiores melius subditos juvare possint et securius dirigere (Ex., IV, 34, 35. — III, 1, 12. — IV, 10, 5. — VI, 1, 2. — C. G., IV, 40. — Ins., XI, 1, 3. — XIII, 2, 2). Ad substantialia Instituti pertinet. (C. G., V, 38.) Reddenda est in ingressu, dein sexto quoque mense; a Professis et Coadjutoribus formatis singulis annis et quoties Superior voluerit. (Ex., IV, 34. — VI, 1, 2. — R. Prov.,

131. — Rect. 22.) Totam animam omnes Superiori manifestam esse velint. (Cst., III, I, 11, 12, Q).

Et quamvis sub secreto confessionis, aliove quovis modo, subditi sese aperire, prout placuerit, possint, laudandi tamen sunt qui se extra confessionem, semotis ad confessionem proprie pertinentibus, manifestant. (Ins., XIII, II, 2 et 3.)Quare Superioribus secretum de his quæ in accepta conscientiæ ratione audiverint, gravissime injunctum est, non tamen in virtute sanctæ Obedientiæ. (C. G., XXIII, 34.) Præfectus vero rerum spiritualium quoque saltem mense agat cum unoquoque, præter eos quos Superior satis instructos judicaverit. (R. Pr. Spir., 9.) Id intelligendum de religiosis non formatis. Graduati enim possunt conferre res suas spirituales vel cum Præfecto spirituali, vel cum confessario, vel cum Superiori, nec tenetur confessarius eos vocare singulis mensibus. (Cf. Villada, p. 23, not. 1, et P. Oswald, p. 444.) [1]

315 [1] De ratione conscientiæ hæc accipe :

1° *Ejus materia* : Materia rationis conscientiæ sunt non inclinationes et tentationes modo, sed ipsa peccata jam absoluta, quamvis intra sacramentum hæc aperiri possint. (*a.* 1637, 1584, 1608, 1618 et pluries. — Cf. P. Oswald, n. 565.) Non tamen nimis urgeri debent inferiores a Superioribus præsertim in iis quæ pudorem excitant. (Ad calc. Reg. Prov.) Non debet hæc ratio exigi ordinarie nisi ab ultima quæ seu eidem, seu alteri Superiori reddita est ; quamvis possit Provincialis ab ultima sibi reddita exigere, sed non expedit. (P. Mut., *a.* 1690.)

2° *De modo eam reddendi :* Potest reddi in confessione, idque, ubi de peccatis agitur, forsan melius est (juxta Rodriguez. P. III, T. VII, c. XI. et Jac. Alvarez, l. V, c. VIII, n. 2). P. Natalis in confessione eam excipiebat et magis probabat ; neque P. Claudius, (quamvis quoad cætera modum præferat extrasacramentalem,) quoad peccata aliter sentit (cf. Ins., XIII, II, 3). Potest et scripto reddi, quod etiam P. Natali solemne fuit. Non debet reddi per interpretem. Obligatio autem reddendi rationem conscientiæ eadem est *per se* ac cæterarum regularum (cf. P. Oswald, n. 56).

Juxta responsa P. Mutii ad P. Lancisium 11 januar. 1631 apud P. Oswald n. 590. 1° Superior a Patribus magnæ auctoritatis et virtutis diu exploratæ rationem conscientiæ semel acceptam potest subsequentibus annis non ita plenam et distinctam exigere ; et id, nisi adsit ratio aliqua extraordinaria, magis convenit. Imo primo ipso anno satis est si ab illis tantum postulatur utrum aliquid habeant quod ad manifestationem suæ conscientiæ Superiorem scire cupiant : tales enim sponte sua liberalius quam cæteri plerumque sese

manifestant ; 2° Quamvis fieri possit, tamen, nonnisi gravi urgente causa, non expedit ut Superior committat alteri exactionem rationis conscientiæ.

3° *Quibus reddi debet :* Debet reddi ipsis Superioribus immediatis, a graduatis non minus quam ab aliis (*a.* 1629, 1638, 1643), quamvis eam Provinciali reddiderint eo anno. At in rigore graduati non tenentur tunc, nisi vocati. Nihilominus valde laudabilis mos multorum qui, tempore exercitiorum vel alio opportuno, ad aperiendam animam adeunt Superiorem quamvis non vocati. Ita P. Anderledy, ex judicio majoris partis C. G., XXIII, 8 maii 1889.

Si vero Provincialis mox venturus sit, tempore quo Superiori reddi solet, hunc monet ne eam excipiat (*a.* 1595).

A Novitiis et Tertiariis Rectori et Provinciali reddenda est, nisi munus eam exigendi Magistro et Instructori committant. Hi vero eam extra tempus quibus Superioribus reddi solet possunt exigere (*a.* 1627, 1639). « Instructor extra illa tempora, juxta reg. 48 exigere potest. Et sic intelligendum responsum datum : Tertiani tenentur Instructori reddere rationem conscientiæ. » (1625.) Si tamen Novitii vitam suam præteritam Magistro in confessione generali manifestaverint, non debet ab ipsis alia conscientiæ ratio exigi (*a.* 1588).

4° *Quoad usum.* Cum olim confessionem in qua redderetur ratio conscien- 316
tiæ, qualificari per pactum implicitum, prius admissa sententia fuit, deinde rejecta, de usu notitiæ quæ per redditam conscientiæ rationem habetur, non una fuit semper Generalium interpretatio. (Cf. P. Claudium, 1606, 1609, P. Caraffa, 1646, P. Mutium, 1620, P. Thyrsum, 17 jul. 1697, C. G., XII, 15, P. Oliva, 1669 et 25 jan. 1679, apud P. Oswald hanc totam rem plene referentem, n. 580 et sqq.) At recentissime P. Anderledy, ut voto a C. G. XXIII ad ipsum remisso satisfaceret, litteris suis 8 martii 1889, rem pressius determinavit. Ex quo hæc accipe :

Si aperitur conscientia sub sigillo confessionis, de his nullo modo uti potest Superior. (Cf. hac de re P. de Reverseaux, ad calcem editionis Suarezii. Paris-Tournay, 1857, p. 646, 647.) Si aperitur conscientia extra confessionem, *revelatio* est prorsus interdicta, nisi subditus expresse consentiat. *Usus* vero ipse sine ullo *revelationis* periculo, solum licet ad loquendum cum subjecto, aut ad providendum de bono subditi aut Societatis, dummodo subditus expresse consenserit, aut saltem nec consenserit nec negarit. Ubi vero expresse dissenserit subditus, tunc solum usus licebit cum agetur de bono *necessario* et favebunt principia theologiæ moralis. Litteras refert P. Oswald, n. 585.

Ratione conscientiæ quam novitius reddidit ad eum dimittendum uti non licet, nisi ipse sponte consenserit ; hocque consensu cum summa circumspectione utendum est (*f.* 15 oct. 1834). « Non potest quis ob delictum in sola ratione conscientiæ a se ipso Superiori manifestatum dimitti a Societate ; et pluribus explicatur in Ord. de ejectis (*a.* Flandr., 17 nov. 1618). Hinc ob occultum aliquod peccatum, sed in sola manifestatione conscientiæ a reo detectum, non potest eo invito, differri promotio ad gradum ex Urbe jam concessa, seu ad ordines sacros, quando æque vel minus antiqui ad gradum,

vel ejus condiscipuli ad ordines promoventur, et non apparet in foro externo aliquid aliud ob quod videri possit justa dilatio merito facta, juxta c. 1, Ord. Gen., n. 17 et Inst., XII (XI?), n. 1. » (*a.* Sine temp. ad V. *Conscientiæ Ratio*, VII). « Quod si tamen dilatio illa in particulari aliquo casu necessaria esset ad præcavenda graviora peccata, seu scandala, seu infamiam Societatis, subditus tenetur in eam consentire, aut etiam petere, ut dictum est in Instr. de Recidivis » (*a.* P. Lancisio, mart. 1640).

« Factum Petri et Samuelis mereretur utriusque dimissionem, si aliunde accepta fuisset ejus notitia ; nunc vero non potest Petrus dimitti, nec puniri, ob id quod ex sola ipsius manifestatione propria cognoscitur. Nec etiam Samuel potest dimitti ob solam denunciationem paternam a Petro factam. Videtur autem Petrus merito queri de Rectore suo, qui revera non servavit decr. 33. Cong. VI, et multo magis cum simul esset confessarius Petri. Moneat illum R^a V^e serio, et jubeat legere citatum decretum, vel Ordin. Gener. XV. P. II. Et doceat præterea nullo modo deferenda esse ad Superiorem mediatum in ordine ad dimissionem quæ quis reddendo rationem conscientiæ de seipso detexit etiam extra confessionem » (*a.* Sine temp. ad V. *Conscientiæ Ratio*, VII).

Superior supponere semper debet in eo qui rationem conscientiæ reddit bonam voluntatem, nisi contrarium ei certo constet. Intentus proinde esse debet ad inferiorum corda dilatanda (*f.* 18 mai 1843).

De ratione conscientiæ late et egregie pertractat P. Oswald, P. VI, c. II, sect. 4.

317 VII. — **Manifestatio delictorum.** — Contentus esse debet unusquisque ut errores sui et quidquid ad ipsum pertinet Superiori manifestetur (Ex., IV, 8. — Sum., 9); delicta proinde etiam gravia (C. G., VI, 32); et hæc obligatio ad substantialia Instituti pertinet. (C. G., V, 58.) Omnes igitur qui Societatem ingrediuntur, quoad hoc juri suæ famæ cedunt. (C. G., VI, 32, 2.)[1] Nec sola delicta, sed graves etiam tentationes Superiori manifestandæ sunt (Reg. Com., 20); imo potest manifestari quidquid fuerit notatum aut observatum. (Or., XV, 31.) Excipiuntur, præter ea quæ fuerunt in confessione audita, ea quæ secreto, et consulendi causa[2], commissa sunt, nisi ex doctorum diligenter tunc consulendorum sententia hoc secretum sit cum apta cautione patefaciendum. (C. G., VI, 32, 4.)

Ad hanc manifestationem Superiori faciendam omnes parati esse debent (Ex., IV, 8. — Summ., 10), in spiritu tamen caritatis

qui etiam exterius appareat. (C. G., VI, 32, 6.) Nec necessario exspectandum est mandatum Superioris. (Ibid., n. 5.) Imo si de delicto communitati aut tertiæ personæ nocivo agatur, uti esset lapsus carnis cum tertio, seminatio discordiarum, detrahendi vel susurrandi consuetudo, tunc denunciatio paterna non solum liceret, sed etiam ex obligatione esset facienda. Et si in casu non sufficeret denunciatio paterna, judicialis facienda esset. (C. G., VI, 32, 7. — VI, 33, 9.) Ad immediatos Superiores primo recurrendum est, aut, si ordo intervertatur, reddatur ratio. (C. G., VII, 12.)

Superior deferentem absque ejus consensu (aliquando obligatorio) nulli revelet (C. G., VI, 33, 1); delatum vero nonnisi quibus et quantum necesse est et sub secreto. (Ib., n. 2, 3.) Ad consulendum, etiam tacito deferentis nomine, hujus assensum petat quem tamen ille præstare debebit (nº 6). Delatum corrigere potest coram duobus aut tribus testibus (nº 4), et aliis modis v. g. ordinariis pœnitentiis, dummodo secretum non lædant. Ejus emendationi, semota semper ejus infamia, providere (nis 7, 8); imo e Societate eum dimittere potest, ita ut causa non reveletur (nº 9). Defectus tamen communes et leves sic delatos potest Superior publice ordinariis pœnitentiis corrigere, dummodo nulla oriatur delato infamia alicujus momenti (nº 8).

Hæc novitiis ostendi debent. (C. G., VI, 34.) Si necessarium sit, ad judicialem denunciationem transeundum erit. (C. G., VI, 32, 8.) Hujus tamen formulam Instituto inserendam non esse judicatum est, sed Generali committendam, ut Provincialibus pro opportunitate communicetur. (C. G., VI, 45. — VII, 94.)

Boni omnes consulant ab aliis corrigi. (Ex., IV, 8.) Nemo tamen alium reprehendat. (R. C., 31.)

[1] Manifestanda sunt ea quæ quis indirecte novit, non secus ac ea quæ per se notavit (*a.* 1622). De denunciatione fraterna, cf. Suarez, l. X, c. VII et sqq. et Lugo, *De just.* disp. 37, et C. G., VI, 32. — Ex ipsa natura hujus fraternæ denunciationis, quæ tota peragitur in foro paterno et ad emendationem rei, sequitur delatorem, nisi sinistre procedat, futurum esse indemnem; delati

vero famæ prospiciendum ; ex parte tandem Superioris, non judicis potestatem sed providentiam solum patris exserendam. In casu quo, ob bonum publicum aut tertii, transeundum esset ad denunciationem judicialem, cf. Lugo, l. c, n. 82.

[2] Suarez intelligit copulativo sensu particulam *et* : « secreto et consulendi gratia. » (L. X, c. VII, in fin.)

318 VIII. — **Pœnitentiæ** a Superioribus imponi possunt (Ex., I, 6. — Cst., III, I, 26)[2]; nec ab iis licet appellare. (Paulus III. *Licet debitum*. — Leo XII. *Plura inter*. Cf. supra, P. 2, c. 7, n. 151.) Ab omnibus libenter suscipiendæ sunt, etiam ob defectus non culpabiles (Ex., IV, 33. — Cst., III, I, 15); imo peti debent. (Cst., III, I, 28.) In iis injungendis Superiores a regula et consuetudine non discedant (Reg. Rect., 9); [1] nec antiquioribus imo nec Superioribus parcant. (C. G., VI, 37, 7. — Ins., XVIII, 10.) Primo suaviter moneant; mox ruborem injiciendo, tertio timorem amori conjungendo, nisi prudentia alium ordinem suadeat. In publicis defectibus publica sit pœnitentia, sed ædificationis ratio habenda est. (Cst., III, I, 15, N. — VIII, I, G. — R. Rect., 28.) Et omnes intelligant pœnitentias in Societate non haberi ut infamantes. (Ins., XVIII, 10.)

Nullam ordinariam pœnitentiam ex regula subire debemus, sed quisque eas suscipiet quas Superiores ad suum proprium profectum convenire judicabunt[2]. (Ex., I, 6. — Cst., III, I, 12. — III, II, 5. — VI, II, 16.) Quæ nec nimiæ nec rariores essse debent. (Cst., VI, III, 1.) Segniores ad secretarum pœnitentiarum usum excitandi sunt (Ins., XIII, 6), præsertim juvenes, non tam studiorum quam vacationum tempore. (Ins., VII, 4.) [3] Servetur abstinentia Sextæ Feriæ juxta morem Societatis, et jejunium in pervigilio Sancti Ignatii. (C. G., VII, 16. — R. com., 5.) [4]

[1] Vituperatur Provincialis qui usum disciplinæ communem in Provincia instituerat (*a*. 1668). Item jussus est Provincialis Rhen. Sup. (*a*. 1656) revocare ordinationem suam qua jubebat ut decies per annum fieret flagellatio publica in triclinio, in pervigiliis festorum. « Non permisit S. Ignatius Nostris Messanensibus abstinentiam a carnibus et ovis die Mercurii, quamvis res esset bona, quia non erat is mos Societatis » (*a*. P. Natalis, 1548). —

« Petentibus ut Nostri Veronæ a carnibus abstinerent in adventu, eo quod omnes ibi qui religiosius viverent, abstinebant, P. Everardus his verbis respondit : *Curent Superiores ut sine externorum offensione communis mos in Societate, hac in parte, servetur.* » (*a.* Ad V. *Abstinentia a carnibus*, n. 5.)

[2] Nostri in refectorio facientes pœnitentias easdem lucrantur indulgentias ac cæteri religiosi in capitulis (*a.* 1606). Cf. Comp. Privil. V. *Indulgentiæ*, n. 337.

[3] Tabella pœnitentiarum olim vacationum tempore publice affigebatur, cum generali licentia eas seligendi quæ melius convenire unicuique videbantur; dum studiorum tempore particularis licentia necessaria erat, nec adeo facile concedebatur (*f.* P. Secr., 15 jul. 1834). Et hodiedum retinetur usus in Collegio Romano.

[4] Ex responsis GG. deprehendimus abstinentiam Feriæ V^ae^ olim fuisse arctiorem. Non dabatur jentaculum, nisi indigentibus : in cœna apponebatur media tantum pars panis in prandio absumi solita, et præterea una res, puta pulmentum, offa, acetarium, fructus (*a.* 1564, etc.). Non fiebat a Pascha ad Pentecosten : qui tamen volebat abstinere, permittebatur (*a.* CC. 1584). Consuetudo Societatis quæ servari jubetur (Reg. 5 Comm.) de abstinentia, erat Romana (*a.* 1587, 1590). Tollebatur abstinentia, si alia die occurrebat jejunium (*a.* 1617); excepta illa quæ solet fieri vigilia renovationis (*a.* 1629, et pluries). Et hæc habebatur etiam tempore Paschali (*a.* 1639, 1650). Quando incidebat renovatio in diem Lunæ, abstinentia erat Sabbato (*a.* 1529).

P. N. viva voce probavit ut in Gallia abstinentia cum carnibus vel absque eis fieret juxta diem quo cadit; utque jejunium in pervigilio S. P. N. Ignatii cum abstinentia semper conjungeretur (sept. 1877).

IX. — **Renovatio Votorum** pro religiosis non formatis bis in 319
anno fit, iis in festis quæ Præpositus generalis designat[1]. (Cst., IV, IV, 5, D. — V, IV, 6, H. — C. G., II, 64. — IV, 55.) Præmittatur triduana recollectio[2], in qua a studiis, exceptis scholis ordinariis, abstineatur. (C. G., VI, 29, 1. — VII, 77.) Multo magis a colloquiis cum externis, negotiis, recreationibus; et vacetur orationi, examini, lectioni, etc.[3] (Ins., XVII, 7.)

Designantur vel a Provinciali si præsens sit, vel a Rectore confessarii extraordinarii, qui omnes etiam non renovantes ad se accedentes audire possint[4]. (R. Prov., 131, R. 22. — C. G., XII, 16.) Iique, et ordinarii confessarii, a die renunciationis in triclinio factæ, ad diem renovationis inclusive, facultate gaudent a reservatis

absolvendi. (P. Anderledy, 16 maii 1884, ex C. G., XXIII, 47.) Cf. infra, ubi de casibus reservatis.

[1] Quantum fieri potest, Provincialis semel in anno votorum renovationi interesse debet, et conscientiæ rationes accipere (*a.* 1571). Non est conforme Constitutionibus ut diebus feriatis renovatio fiat (*a.* 1656). Si Superior gradum non habet, alicui gravi Professo munus excipiendi renovationem committere potest, si ita videtur (*a.* 1600). Si eam ipse excipiat, praxis est ut celebret et primus renovet post communionem, ad altare versus (*a.* 1583). Fiat renovatio post datam absolutionem a Sacerdote, coram SS^mo^ super altare posito, celebrante stante et converso ad altare non genuflexo (*a.* 1665). « Quem morem continua traditione ab ipsomet B. P. Ignatio derivatum accepimus. » (P. Christ. Balth. Visit. Burdig., 10 nov. 1609. — *a.* Ad V. *Vota,* III, 7.) Sacerdotes qui renovant antea vel postea celebrare possunt (*a.* 1620). Qui vero cum aliis renovare nequeunt, non debent id privatim in propria missa facere, sed coram Superiore, aut altero Sacerdote ex ejus commissione celebrante (*a.* 1610).

[2] Hæc non solet fieri in Domibus professis (*a.* 1630). At cætera facienda non secus ac alibi. Fit autem in Collegiis, etiamsi unus sit qui vota renovet (*a.* 1654). At etiam ubi nulla fieret renovatio, deputandi essent confessarii extraordinarii, hique et ordinarii gauderent reservatis. Cf. P. Villada, n. 45. Non eximitur a renovatione et recollectione qui paulo ante vota nuncupavit (1632). Neque olim in Provincia Romana mos eximebat eos qui brevi graduandi erant (*a.* 1659).

« Etsi utilius videri possit si (triduana votorum) recollectio renovationem immediate præcedat, id tamen non esse necessarium indicant illa verba § 7. Ins., V, pro Scholasticis, quibus ipsæ Natalitiæ vacationes designantur tanquam tempus illi recollectioni percommodum, cum tamen vota non renoventur nisi aliquanto post, hoc est in festo Circumcisionis, ut plurimum, aut Epiphaniæ » (*b.* †, 1611).

Scholastici carmina affigenda non componant aut scribant tempore recollectionis, sed ante (*a.* 1619).

« La lettre du P. Vincent Caraffe exclut les académies, les répétitions et les disputes scolastiques qui forment comme un exercice à part. Mais elle n'interdit pas l'étude nécessaire pour prévoir, selon la règle des scolastiques, et repasser les matières de la classe du jour. » (*k.* P. Beckx, ad Prov. Tolos., 29 aug. 1872.)

[3] In Collegiis parvis, ubi nonnisi duo vel tres vota renovant, necesse non est omnes Generalium epistolas legere quæ in majoribus Collegiis leguntur; sed sufficit aliquid ex iis ad dies aliquot perlegere (*a.* 1646).

[4] Non est anticipanda aut postponenda confessio generalis usque ad tempus quo obeuntur Exercitia (*a.* 1615); nisi pro graduatis qui eam hoc tempore

facere solent (*a.* 1613, 1622, 1639). Fiat confessio uni ex designatis in renovatione (item). Hodie attendenda facultas a P. Anderledy facta confessariis, tempore Exercitiorum. (Cf. infr. ubi de casibus reservatis.)

X. — **Exercitia B. P. Ignatii** per octo aut decem dies, omnes quotannis[1] obire debent, nec Superiores ab eis quemquam possunt eximere. (C. G., VI, 29, 2. — VII, 25, 4. — VIII, 8, 38, 1, 2. — XVIII, 22, 1. — Or., IV, 20. — Ins., XIII, 1, 4. — Cl., III, 3.)[2] 320

[1] Sufficit ut Exercitia quolibet anno Domini fiant, licet non præcise intra duodecim menses (*a.* 1650).

[2] Fuit aliquando lex (legem statuimus) ut qui sacerdotio initiandi essent per octo minimum dies sese meditationi, de more Societatis, exercerent (*a.* 1633, 1639). Hi porro ab Exercitiis repetendis hoc anno liberi erant, nisi mitterentur ad tertiam Probationem (*a.* 1639). Ab hac lege excipiebantur qui Exercitia fecissent tribus dumtaxat mensibus ante promotionem ad sacerdotium vel gradum (*a.* 1628). Exercitia possunt fieri sine Instructore (*a.* 1589), nisi quis instructione egeat.

Non sunt permittendæ accommodationes Exercitiorum prout cavetur Direct., c. x, § 5. — Cf. Roothaan, Encycl. 27 dec. 1834.

Aliquando prohibitum fuit ne Exercitia facturi recederent in villam (*a.* 1617, 1630). Cf. tamen Cst., VI, II, 45. Non est autem prohibendum quominus vacantes Exercitiis spiritualibus hortum domesticum inambulent, sanitatis tuendæ gratia (*a.* 1643).

In Exercitiis annuis, quatuor quotidie horæ sunt impendendæ orationi, nisi aliud moderatoribus videatur (*a.* 1627, 1640).

Qui facit Exercitia potest omittere examen matutinum (1611), nec visitandus est sub oratione (*a.* 1624).

Qui vacant Exercitiis a mutuis colloquiis abstineant (*a.* 1627). Non debent convenire, nisi ita Instructori videatur (*a.* 1618). Non sinantur egredi ad ambulandum (*a.* 1648), nec ad stationes obeundas, ad templa visitanda, aut audiendam concionem de Passione (*a.* 1633). Possunt tamen adhiberi ad serviendum divinis officiis in Majori Hebdomada (*a.* 1619). Superiores non possunt absque necessitate, dum faciunt Exercitia, vacare negotiis temporalibus, aliisve alienis ab ipsis Exercitiis, non magis quam cæteri, imo minus (*a.* 1654). Melius est ut qui vacat Exercitiis eodem tempore ea aliis non tradat, sed sibi soli totus attendat (*a.* 1614). Possunt equidem Exercitiorum tempore audiri Nostrorum confessiones, non vero externorum (*a.* 1617), nisi moribundorum (*a.* 1655). Qui ob debilitatem capitis Exercitia spiritualia meditando transigere nequeunt, saltem colligant se in cubiculis, ad octo dies, et abstineant a recreatione, vacando lectioni piorum librorum (*a.* 1647, 1648, 1649).

321 XI. — **Pecularia pro junioribus.** — Pro junioribus Scholasticis, regulæ speciales statuuntur; segregantur enim, saltem per biennium, ab aliorum consortio [1]. (C. G., VI, 16. — Or., XIII.) Etsi horum cura tota a Rectore pendet, a spirituali tamen eorum Præfecto et proprio Ministro exerceatur. Minister eos in regulari disciplina continet, de necessariis providet, varias licentias etiam pro minimis dat [2], eorumque recreationibus interest. Subduntur tamen Ministro domus quoad pœnitentias, si extra locum sibi assignatum ordinem violent. Ad hunc etiam eorum Minister recurret ad pœnitentias publicas pro levioribus injungendas. Res enim alicujus momenti ad Rectorem deferendæ erunt.

Ad eam partem domus quam incolunt juniores, cæteri absque licentia Rectoris non accedant. (Or., XIII.)

[1] Nisi pauciores sint quam quinque (*a.* 1633, etc.). Tunc enim Provincialis videbit utrum conveniat eos cum veteranis misceri (*a.* 1648). Qui semel permixti fuerunt non debent amplius ad juniorum secessum revocari, etsi id maxime vellent (*a.* 1637, 1655). Probatur consuetudo Provinciæ Tolosanæ prorogandi separationem juniorum usque ad finem philosophiæ (*a.* 1633).

[2] Non enim permittendum ut absque speciali licentia juniores sibi mutuo chartam, calamos et similia dent; etsi cæteris generalis licentia ad id dari possit (*b.* †, 1600).

Minister Juniorum ab officialibus ea quæ ipsis necessaria sunt provideri curabit.

CAPUT SECUNDUM

DE MEDIIS AD FOVENDAM CHARITATEM MUTUAM

I. — **Media generalia.** — Id in primis commendatur ut sin- 322
guli alios sibi superiores ducant, potiores eis partes deferendo, et exterius honorem eorum statui debitum exhibendo; cum simplicitate tamen ita ut tituli nobilitatis (ut vox *Don*) omittant. (Cst., III, I, 4. — C. G., II, 85.) Sacerdotes in mensa laicos præcedant, sed inter varios gradus nullus ordo constituendus est[1]. (C. G., I, 106.) Graduati nullum locum peculiarem in Universitatibus habeant, sed simul extra numerum se constituant. (Cst., IV, VI, 17; — IV, XV, 4.) In omnibus demum servetur uniformitas. (Cst., X, 9.)

[1] Ex sequentibus responsis edocemur mentem ususque Societatis. Retinendum mordicus inter nos ne sit ulla præcedentia, etiam inter pœnitentiarios, in cæremoniis publicis, etc... In actibus publicis, judicet Rector pro re nata an modo hi, modo illi præcedere debeant (*a.* 1576). Tituli in litteris, in actibus et in conversatione vitentur (*a.* 1579, etc.). Non scribatur ad Provincialem hac formula : *admodum Reverende Pater* (*a.* 1586), nec ad Assistentes (*a.* 1628); nec dicatur in conversatione *Rev. P. Provincialis* sed *P. Provincialis* (*a.* 1587) S^tus^ Ignatius titulum *Paternitatis* repudiabat (P. Polancus, *a.* 1553); eum P. Laynez in solis litteris admisit (Polancus, *a.* 1558). Qui sacerdotes non sunt, *Patres* non vocentur; nisi forte in Seminariis. Non est permittendum ut Scholastici nostri aut Coadjutores compellantur titulo *Reverentiæ Vestræ* (*a.* 1585, 1639). Scholares nullibi sunt vocandi *Magistri* (*a.* 1637). Nomen *Magistri* usurpandum est cum iis tantum qui actu docent, quia apud nos significat functionem, non gradum (*a.* 1587). — In litteris non est inscribendus titulus *Ministri, Concionatoris, Professoris* (*a.* 1579); nec in inscriptione litterarum ponatur *Professo Societatis Jesu* sed tantum *Soc. Jes.* (*a.* 1554).

323 II. — **Quæ vitanda.** — Vitentur omnia quæ animos dividere possent : doctrinæ differentes (Cst., III, 1, 18); propensio ad varias factiones, nationales partes (Cst., X, 11), contentiones. (Reg. Com., 28.) Dissensionum auctores alio amandandi sunt, aut etiam, si necesse sit, e Societate dimittendi. (Cst., VIII, 1, 5, F; — II, 2, D. — C. G., V, 15. — Reg. Prov. 128. — C. G., XXIV, 20, n. 1.) Severe etiam animadvertendum est in perturbatores Societatis ut sunt qui externorum patrocinio novarum Provinciarum erectionem tentant aut impediunt (C. G., V, 54; — IX, 5); in eos qui libellis Institutum aut Superiores impetunt (C. G., IX, 25); item in falsos delatores, detractores et eos qui eos manifestare recusant. (C. G., VII, 12, 93; — XII, 18. — Ins., XIII, IV, 1, 2.)[1]

[1] Si delatio occulta fuerit, publica pœna punienda non est (*a.* 1628).

Qui aliorum Collegiorum defectus referunt graviter puniendi sunt; quod si ipsismet Superioribus id referunt hi ostendant sibi id displicere (*a.* 1611).

324 III. — **Erga hospites de Societate.** — Hi liberaliter et magna cum charitate excipiantur in nostris domibus, ad quas divertere tenentur. Eleemosynis si opus sit juventur, nec ab iis aliquid etiam sponte oblatum admittatur[1] (Cst., IV, 2, F; — VI, 2, D. — R. Rect. 80); nisi ob longiorem moram aliqua compensatio danda videatur a Superioribus (C. G., VII, 18), a quibus mittuntur. Egenti vero domui, quo fit major concursus, potest succurrere Provincialis. Hospitum negotia dirigat et juvet Superior. (R. Rect. 80).

[1] Ordinatum primo fuerat ut ubi in eadem civitate plures sunt Societatis domus, nostri hospites diverterent ad Domum professam, nisi aliter, propter Domus penuriam vel alia incommoda, expedire Provinciali videretur (*a.* 1593). Demum responsum est hospites de propria Provincia divertere debere ad Collegium; qui vero ex aliis Provinciis veniunt, ad Domum professam (*a.* 1647). Postulatum est tam a PP. Toletanis quam a Castellanis ut pro his instituerétur Matriti hospitium diversum a Collegio, sed negatum est (*a.* 1642).

Ordinatum olim fuerat ut iis qui peregre adveniebant, ad remanendum, daretur mane et vespere duobus vicibus antepastum et postpastum duplex; si a longe venirent unum ferculum addebatur; si ex aliis Provinciis, adhuc

plus, arbitrio Superioris (*a.* 1599). Postea statutum est ut hospites omnes de Societate post triduum redigantur ad victum communem, etiamsi Superiores sint; nec Superiores permittant sibi apponi particularia, sive in cibo sive in potu (*a.* 1646). Hodie attendenda sunt varia Provinciarum consuetudinaria. — Nullo modo probandum est ut illo triduo quo vel Provincialis, vel alius Superior tanquam hospes lautius tractatur, eodem modo tractetur et Superior loci (*a.* 1630).

Ubi magnus concursus est hospitum (v. g. Posonii), hospites nonnisi uno die tractantur hospitaliter (*a.* 1647).

Rectores non excedant in tractandis hospitibus, nec aucupentur sibi nomen liberalis et splendidi (*a.* 1647).

Hospes, sive negotiorum, sive valetudinis causa, alibi commorans, censetur longiorem moram trahere, adeoque debere solvere sumptus juxta decretum 18 Cong. VII, si spatio unius mensis vel amplius ibi maneat (*a.* 1639).

IV. — **Erga absentes**, cum quibus litterarum crebra communicatio multum commendatur[1]. Olim quarto quoque mense communes litteræ a singulis Provinciis mittendæ erant. (Cst., VIII, 1, 9, M.) Deinceps vero statutum est ut singulis annis Romam mitterentur, ut ibi colligerentur, imprimerentur et per Societatem spargerentur[2]. (C. G., IV, 38; — VII, 19; — XXI, 20.) Mense igitur januario, Romam mittuntur annuæ litteræ anni penultimi. (Form. Scrib. 27.) At externorum nemini, quavis occasione, communicentur. (Or., IV, 11.) 325

[1] Formula vetus subscribendi litteris *Servus in Christo* retinere debet, resectis aliis, cum maxima Religiosorum urbanitas sit sancta simplicitas (1622, 1642).

[2] Annuæ legantur per Provinciam prout a Collegiis missæ sunt, non contractæ (*a.* 1612). Nec opus est ut eleganti stylo scriptæ mittantur (*a.* 1584).

V. — **Erga morti proximos**, maxime eminere debet Societatis charitas : opportune muniantur omnibus sanctis sacramentis, juventur orationibus domesticorum, et piis verbis assistant eis aliqui pecularius delecti qui saltem suis precibus ad transitum usque prosequantur. (Cst., VI, IV, 2, A. — R. Inf., 13, 14.) Ipsi vero ægroti vicissim tunc maxime omnes ædificare conentur et DEUM glorificare. (Cst., VI, IV, 1.) 326

327 VI. — **Erga defunctos.** — Post mortem[1] curetur decenter corpus; missa *de requie* dicatur, recitetur officium defunctorum, præsentibus nostris, cum candelis accensis. (C. G., IV, 3, B, C.)[2]

Sacerdotes sepeliantur eo modo quo sacerdotes honesti in sua regione[3]; cæteri more clericorum in eadem regione (C. G., I, 109), nisi, eo quod in regione clerici forte sepeliantur clericalibus vestibus spoliati, Generalis ad consolationem Nostrorum dispensaverit. (C. G., IV, 4.)

Elogia non uniuscujusque indiscriminatim conscribenda, nec mittenda absque approbatione Provincialis. At, si quid in morbo notatu dignum acciderit, potest cum suffragiis referri. At omnium, etiam Novitiorum, defunctorum vitæ summarium ad P. Generalem mittendum juxta instructionem ad hoc communicatam. (C. G., XXI, 25. — P. Roothaan Inst., 25 oct. 1829.)

[1] S^tus Franc. Borgia ordinaverat ut in morte Nostrorum per quadrantem oraretur ab omnibus pro eorum anima; deinceps ordinatum est ut omnes dato signo genibus flexis tamdiu orent quamdiu duret campanæ pulsus (*a.* 1633).

[2] Si duo eadem die moriuntur, bis legendum officium in Ecclesia pro illis (*a.* 1653).

[3] Non est inducendum ut in funeribus Nostrorum habeatur funebris oratio (*a.* 1629).

Quoad missam *de Requie* corpore alicujus e Nostris præsente lectam, cf. infra, App. de Privileg., P. II, a. 4, n. 4.

Coadjutores sepeliendi sunt cum habitu clericali eorum qui non sunt sacerdotes (*a.* 1590). Galerus et pileus clericalis non conveniunt nisi iis qui in sua vita eo usi sunt (*a.* 1590). Novitii Scholastici sepeliendi cum pileo clericali (*a.* 1585, 1587, 1590).

328 Ipse Superior a vicinioribus domibus suffragia expetat. Omnes sacerdotes qui hanc domum incolunt pro defuncto tria sacra celebrare debent, non sacerdotes vero tres coronas recitare. In tota Provincia ad quam defunctus pertinet sacerdotes duo sacra celebrant, non sacerdotes vero duas coronas recitant. Pro iis qui extra Provinciam propriam, in Europa, moriuntur, fiunt suffragia tum in propria domo et Provincia, tum in ea domo in qua aut

prope quam moriuntur. (C. G., III, 40. — Or., III, 2.)[1] Pro iis qui vita funguntur in itinere indico, suffragia fiunt in Indiæ Provincia unde veniunt aut quo tendunt et præterea in ea Provincia ubi moriuntur, quasi ad eam pertinerent. (Or., II, 5.) Si in itinere maritimo mortem obeant, censentur esse de illa Provincia cui primo eorum obitus innotuerit. Si ex Indiis jam appulere in Europam, fruuntur suffragiis tum Provinciæ indicæ, tum ejus in cujus territorio moriuntur, nisi alicui certæ Provinciæ in Europa fuerint applicati. (C. G., XV, 10; — XVIII, 9.) Insuper de obitu alicujus significetur per totam Societatem, ut eum adjuvent Sacerdotes in missis, et ceteri pro sua devotione. (C. G., III, 40.)

Pro Præposito generali celebratur quinquies sacrum a sacerdotibus in loco ubi moritur, ter vero in tota Societate. Præterea officium defunctorum in omnibus nostris templis pro eo celebrandum est, et solemne sacrum cum exequiis faciendum, qua die omnes nostri sacerdotes sacrum aliud faciant.

Pro Assistentibus, sive præsentibus sive præteritis, tria sacra vel tres coronæ indicuntur in tota eorum assistentia; unum autem sacrum vel una corona in tota Societate. Pro Secretario Societatis, per totam Societatem, sacrum unum vel una corona; idemque pro eo qui Provincialis fuit, in Provincia quam gubernavit[2].

Præterea omnes Societatis sacerdotes singulis hebdomadis sacrum faciunt pro iis qui extra eorum Provinciam defuncti sunt, et pro iisdem non sacerdotes coronam recitant.

Demum prima die libera post Commemorationem omnium fidelium defunctorum, sacrum celebratur ab omnibus sacerdotibus et corona a cæteris recitatur pro defunctis Societatis. (Catal. Miss. et Orat.)

Omnia quæ ad defuncti usum erant pertinent ad domum in qua suam sedem habebat, etiam extra suam Provinciam. (C. G., XX, 11)[3].

[1] « Pro iis qui Provinciæ in qua diem supremum obeunt applicati erant, etiamsi ad tempus tantum, suffragia fieri debent a Sociis Provinciæ in qua moriuntur. Applicati autem Provinciæ censentur ii quibus munus ad eam 329

Provinciam pertinens sive a Præposito generali, sive mutuo Provincialium consensu impositum est. (C. G., IX, 33; — XVIII, 16.) Pro iis vero qui Provinciæ in qua vita defunguntur, non erant applicati, sed in ea sive ad tractanda suæ Provinciæ negotia, sive studiorum vel valetudinis gratia, aut alia simili de causa morabantur, tria quidem consueta suffragia a Sociis Collegii vel Domus ubi moriuntur, reliqua autem facienda sunt a Sociis Provinciæ cui adscripti erant. Hac eadem norma definitur pro quibus defunctis ii qui extra suam Provinciam degunt, suffragia præscripta exsolvere teneantur. » (P. Beckx, 1 mart. 1861.)

« Hospes tenetur pro defunctis loci ubi est ad tria sacra; non tenetur tamen pro defunctis (aliis) in illa provincia, sed in sua » (*a.* 1603 et iter. 1636). Et vicissim « pro hospite mortuo in Collegio indicenda sunt ac si fuissent membra Collegii, eaque debebit persolvere quisquis tum isthinc versabitur » (*a.* 23 feb. 1641). Imo « si quis moriatur *in itinere,* tria sacra fiant pro illo, tam in suo Collegio ad quod spectat, quam in eo in quo sepelitur » (*a.* 5 jun. 1626). Pariter pro *hospite* moriente (*a.* 1636.)

« La communion, le jour du décès de l'un des Nôtres, dans la résidence du défunt, ne doit pas être établie *comme un point de règle,* mais seulement *généralement permise,* en sorte qu'elle reste entièrement libre. » (P. Roothaan, 24 oct. 1850.)

Concessum fuerat petenti Provinciæ Toletanæ ut ex aliis Provinciis morientes in illa habeant eadem suffragia ac haberent in sua, ne diu careant auxilio suffragiorum. Item ut in singulis domiciliis loci ubi moritur quis, tot fiant suffragia quot in domo ubi moritur (*a.* 1665). Pro morientibus in parvis Collegiis teneatur Superior procurare sacra offerri ab externis, judicio Provincialis (*a.* 1655).

Quando Provincia Galliæ divisa fuit, concessum est ut qui ad eam pertinebant sponte se obligarent ad suffragia pro se invicem post divisionem facienda; sed P. N. noluit hoc tanquam a se ordinatum statuere.

Quando indicuntur suffragia pro Nostris tanquam benefactoribus eorum nomina proclamari non solent (*a.* 1635).

Qui missarum stipendia ex speciali concessione accipiunt, sacra pro defunctis nostris celebrare debent (6 oct. 1860). — Et iter. P. Anderledy, 15 oct. 1885. — Cf. supra, n. 306, p. 274.

[2] Pro Visitatore suo officio actu fungente, eadem suffragia fiunt ac pro Provinciali (*a.* 1646).

[3] Litteras ad defunctum a Superioribus missas a nemine lectas comburat Superior (*a.* 1636). Ex quo deducet vir discretus quid quoad cætera hujusmodi agendum ipsi sit.

330 Scholion. — **De jure funerandi.** — Ad exsequias Nostrorum parochus minime invitandus est. Sive per leges civiles permit-

tantur Regulares, juxta jus suum, cæmeterium proprium habere, sive debeant uti cæmeterio communi, possunt cadavera Fratrum ad cæmeterium cum stola et cruce elata, associare, sine parochi interventu, et cum transitu per parochiale territorium dummodo associatio fiat recto tramite et absque solemnitate. (S. C. Concil., 24 janv. 1646, apud Bouix, *De jure Regul.*, t. II, 345; — Santi, *Præl. jur. Can.,* l. III, t. XXVIII, n. 42; — *Acta S. Sedis,* vol. 7, p. 161; — *Revue théologique*, t. V, p. 235.) Illa vero solemnitatis absentia in eo consistit quod associatio fiat a sola familia regulari proprii conventus, sine concursu populi. (S. C. Conc., 24 jan. 1846, in *Actis S. Sedis,* t. VII, p. 173.)

Nec solvenda est quarta funeralis.

Jus illud retinent Regulares etiam minorem conventum habitantes, qui ob incolarum paucitatem subditur Ordinario, saltem quamdiu Ordinarius aliter non statuerit. — Regulares vero, injuste a gubernio civili expulsi, per se illud quoque jus retinent; at poterit per accidens fieri, ut, deficiente Ecclesia propria, aut in casu omnimodæ dispersionis religiosæ communitatis, illud jus de facto exseri nequeat, et defuncti tumulatio et funus ad parochum loci pertineant eadem ratione ac pro aliis paræcianis. (Cf. Santi, l. c., n. 37; — *Acta S. Sedis,* t. VII, p. 25; — S. C. EE. et RR. in Pisauren., febr. 1864, apud Bizzarri, p. 754.) At non intelligo penitus deficere communitatem, ubi communitas distribuitur in varias sectiones per urbem sparsas, sub respectivis officialibus et regimine unius Superioris, ac religiosæ familiæ organisationem præ se fert. (Cf. Santi, l. c.) Neque hunc casum considerare videtur S. C. EE. et RR. in Pisauren. citat. — Hinc probe intelligend. Comp. Priv., n. 504, et P. Villada, n. 31, not. 1.

Sepultura vero alicujus extranei in nostris ecclesiis nequit concedi nisi a P. Generali (Comp. Priv., n. 503); quo in casu levat corpus proprius defuncti parochus et usque *ad januam* ecclesiæ associat, ibique valedicit. In rigore juris nostrum tamen esset in associatione illa levare crucem et sub nostra cruce incedendum esset parocho. Ipsi vero debetur quarta funeralis. (Santi,

l. c., n. 10, 29; — *Acta S. Sedis,* t. XIV, p. 215; — *Revue théolog.,* p. 187, 250. — Gardellini, n. 4524. — Craisson, *Manuale juris,* edit. 1875, n. 1415.)

At non debetur quarta funeralis et ratio sepulturæ Regularium servanda est pro iis qui gaudent communicatione nostræ exemptionis, uti sunt famuli intra septa habitantes sub obedientia nostra, nobisque actu servientes. Utrum inter hos ex participatione exemptos adnumerandi sint convictores nostrorum collegiorum, controvertitur. (Cf. *Acta S. Sedis,* t. III, p. 47; et Lucidi, *De Visit. SS. Liminum,* t. II, p. 356, ibique caus. de Setin., in qua partes Societatis tuebatur P. Tarquini; item. *Acta S. Sedis,* t. XXII, p. 298.)

Regulares vero extra suum monasterium morientes debent sepeliri in sepultura sui monasterii, nisi adeo distet ut commode nequeat huc deferri cadaver a loco obitus. (Cf. S. C. Conc. in Velitern., 21 aug. 1869). Non autem gaudet religiosus jure quod habent ceteri christiani pie decedentes, suæ sepulturæ locum eligendi.

Ad solvenda dubia occurrentia in hac materia cf. Bouix, *De Regularibus,* loc. cit., et *De Parocho,* p. 471; — Craisson, *Traité des sépultures ecclésiastiques* (Poussielgue, 1873); *Revue des sciences ecclésiastiques,* juin 1872; — Ferraris, V. *Parochus.* Et auctores in lib. 3, Decret., t. XXVIII.

Non licet Parocho ingredi monasterium cum stola et cruce (pluries S. C. Rituum et Concilii confirm. a Clemente X, *Nuper pro parte,* 3 aug. 1672).

CAPUT TERTIUM

DE DOMESTICO ORDINE

I. — **Communia exercitia.** — Quotidie post orationem matutinam dicitur missa Communitatis. (Cst., IV, IV, 3.) Ad communionem accedunt Nostri præsertim die dominica, in Templo, sed sejunctim ab externis. (R. Rect. 46.) Inter signum prandii et cœnam, octo saltem horæ intersint[1], imo aliquid plus diebus collationis. Septem horæ separent cubitum et signum surgendi (Cst., III, II, 2, B, E; — IV, x, 9, I. — Reg. Rect. 50), et sit qui post quadrantem mane, ab excitatione; noctu, a cubando, visitet cubicula. (R. Exit. 2. — R. Visit., 1, 2.) 331

A prandio et cœna una hora recreationi impendatur; post collationem semihora[2]. (Cst., III, II, 4, D. — C. G., VI, 6.) Hoc vero tempus religiose transigatur, de iis rebus agendo quæ ad vocationis nostræ finem juvent. (C. G., VI, 6. — Ins., XIII, 9.) — Omnes demissa voce et circumspecte loquantur. (Cst., III, I, 4.) Res ludicræ amandentur et catalogus P. Natalis præ oculis habeatur. (C. G., VI, 6, 38; — VII, 80, 5. — Or., IV, 22. — Ins., XIII, 9. — Cl., III, 10.) Ab hac recreatione abstineatur triduo passionis Domini. (C. G., VII, 34.) Qui mensis ministrant eam producere possunt. (Or., IV, 21.)[3] Horæ quadrans ante prandium vel cœnam corporis exercitationi tribuatur. (R. Rect. 49.)

[1] In mensa, sacerdotes omnes, etiam Novitii, sejunctim ab aliis, sed inter se permixti sedeant (*a.* 1590). Nullus est pro diaconis separatus locus (*a.* 1581); nec pro Ministro (*a.* 1588), nisi ex ordinatione Provincialis, loco Rectoris absentis sedeat (*a.* 1600). Primus locus dari potest ei qui Professio-

nem, vota ultima, aut primitias celebravit, non vero Novitio sacerdoti prima vota nuncupanti, inter alios sacerdotes (*a.* 1608).

Cultello vas non percutiatur ad vocandum eum qui servit; nec a secunda mensa discedatur antequam lectio finiatur (*a.* 1580). Non sibi invicem Nostri propinent, etiam in villa (*a.* 1648); externos autem salutantes resalutare possunt (*a.* 1648).

[2] In domibus ubi nostri juvenes degunt, prandium hora 11 $^1/_2$ fieri posset, etiamsi in cœteris Provinciæ domibus hora 12 fieret (*f.* P. A. 2 mart. 1830). In iisdem domibus, cœna horæ quadrante posset anticipari, ut hora integra recreationi impendi posset (*f.* 16 jul. 1835).

Ab hac recreatione nemo absque licentia absit (*a.* 1654). « Liberum relinquendum Superiori ut recreationi intersit : ita tamen ut intelligat non expedire ut ordinarie id faciat; sicut neque ut ad eum omnes conveniant, ne honesta et religiosa Nostrorum recreatio impediatur; sed liberum sit vel sedere, vel stare, vel ambulare » (*a.* 1587). Simile jam commendaverant P. Laynez vicarius (*a.* 1563) et P. Borgia (1568).

Recreationem post prandium per horam integram, a momento quo e triclinio egrediuntur, in Seminariis et Novitiatibus produci omnino probatur (*f.* 7 jun. 1836).

[3] Secunda recreatio libera est (*a.* 1584, 1590).

Ubi sunt pauci, non opus est secunda recreatione (*a.* 1584, 1587); atque hoc est aptius ad disciplinam (*a.* 1590).

Olim in quibusdam Provinciis, diebus dominicis et festis, recreatio pomeridiana in usu fuit. Postea tamen sublata est hæc consuetudo ubi adhuc vigebat, tanquam discrepans a reliqua Societate. (Germ., *a.* 1579, 1609. — Rhen. et Belg., 1642. — Fland. Gallob., 1642.)

Quid de alimentis attendendum, cf. infra ubi de valetudine tuenda.

332 II. — **Silentium.** — Reliquo tempore silentium est accurate servandum[1], exceptis de rebus necessariis[2], aut obiter et perpaucis, præsertim in Ecclesia, Sacristia, Refectorio, maxime vero in missa, concione, mensa, lectionibus et disputationibus (Cst., III, 1, 4. — Reg. Com., 26. — Or., IV, 21. — Ins. XIII, 3, 1. — Cl., III, 9); item ubi est frequens populi concursus. (Or., IV, 21.) Loquaciores privatione recreationis et aliis pœnis castigentur. (Cl., III, 9. — Ins., XIII, 3, 1.) In aliena cubicula nemo ingrediatur absque licentia[3], nec nisi postquam pulsaverit et audierit *Ingredere,* et janua aperta remaneat. (Cst., III, 1, D.)

[1] Non aliter Novitii ad silentium tenentur quam qui vota fecerunt (*a.* 1585).

Cum vero sartores in officio suo silentium servare vix possint, subministranda est ipsis lectio aliqua pia et amœna, et curetur ut vitent otiosa colloquia (*a.* 1584).

[2] Per res necessarias in Reg. 26 Comm. intelliguntur illæ quæ non patiuntur tantam moram, donec petatur facultas (*a.* 1607). Discipuli possunt suis magistris proponere dubia : si tamen excedant, eos Rector corrigat (*a.* 1483).

Generatim vitanda est discipulorum cum magistris familiaritas : eam enim Institutum nostrum sapienter respuit, utpote pro magistris magis periculosam quam discipulis utilem. In omnibus consulenda est mens Instituti (*f.* P. A., 28 jul. 1831).

[3] Nequidem Præfecti studiorum (*a.* 1665), Admonitoris, nisi sit Præfectus spiritualis, Consultorum, Confessariive secundarii, cubicula libere adiri possunt i. e. absque licentia generali aut speciali (*a.* 1619, 1653). Janua, dum intus est quis cum alio, debet patere, ut colloquentes videri et audiri possent (*a.* 1576), vel saltem non omnino esse adjuncta (*a.* 1587). Hyemis tempore, licet claudere ostium, si periculum sit ne hypocaustum calefactum frigescat (*a.* ad Prov. *Lithu.*, 1619). In Nostrorum cubiculis externi rarius admittendi sunt (*a.* 1568), minime vero Scholares externi (*a.* 1605), etiam confessionis causa (*a.* 1563). Ipse Præfectus spiritualis alumnos in suo cubiculo recipere non deberet, nisi hoc cubiculum extra claustrum esset. In Italia recipit utique sed janua aperta. Melius esset ut eos, certis horis, in cubiculo communi alloqueretur, cujus janua ita clauderetur ut a quocumque aperiri posset (*d.* P. A., sept. 1857). Ministrum potest quis intus alloqui, cubiculo ejus clauso, ita tamen ut clavis extrinsecus maneat qua aperiri possit (*a.* 1602).

III. — **Communicatio cum externis.** — Nemo colloquatur cum 333
externis, aut alios vocet, sine facultate. (Reg. Com., 36.) Nemo externorum ad domesticos, et vice versa, mandata deferat, etc., nec externis quæ domi aguntur referat. (Id., 37, 38.)

Externi nonnisi ex gravi causa hospitio excipiendi sunt, multo minus profugi e Societate. (Cst., II, IV, 1 et A. — R. Rect., 79, 81.)

Rusticandi apud externos facultatem solus Provincialis, rarissime, gravibus de causis, ad breve tempus, et nonnisi cum socio concedet. (C. G., XVI, 25; — XVIII, 7.)[1]

Nostri ante lucem non egrediantur et ante noctem reduces sint[2]. Egredientes nomina sua signent et janitorem moneant. (R. C., 46, 47.)[3]

[1] In patriam vero nemo mittatur absque Generalis licentia, nisi necessitas

urgeat (et tunc P^em N^um monere Provinciales tenentur), nec absque socio, quam observantiam inculcavit P. Anderledy (Encycl., nov. 1891). Sed hæc regula non comprehendit loca in quibus aliqua domus Societatis est, in qua pernoctare Nostri possunt (*a.* 1640); nec casum in quo nullum esset periculum sæcularis affectus, esset vero spes magni fructus (*a.* 1612). Fac vero attendas recentiora de hac re documenta : « Rusticationes Nostrorum apud parentes et itinera in patriam non concedantur sine venia Præpos. Generalis. » (*f.* Lugd., 1868, et Encycl. P. Anderledy, nov. 1891.)

Ut autem Superiores suum officium hac in re implere possint, inferiores eos adjuvare debent, odium, si quod sit, in se suscipientes, generosumque hunc spiritum qui nobis a nostro Instituto inculcatur, jam inde a tirocinio haustum, manifestantes (*i.* Prov. Lug., 1868).

Romam nullus e Societate petere potest, invitis Superioribus, nisi cum expressa facultate S^tæ Sedis (*a.* 1622; ex Const. Pii V et Greg. XV).

Raro nec nisi ob peculiares rationes et cum fido socio Nostri sinendi sunt apud externos prandere.

Urgenda est efficaciter exsecutio regulæ 41 Comm. itemque decr. 25, C. G., XVI, et decr. 7, C. G., XVIII; ac proinde impediatur ne nostri concionatores tempus interjectum inter ministeria, pro lubitu aliquando suscepta, apud externos pro lubitu consumant (Prov. lugd., 1862). Anniversariis conviviis quæ a priscis nostris alumnis in diversoriis plerumque celebrantur nec præesse nec adesse debent Nostri (*f.* 4 apr. 1874).

[2] Id intelligitur ante signum matutinum et post signum vespertinum salutationis angelicæ (*a.* 1576); ubi scilicet, ut Romæ, juxta horam ortus et occasus solis variatur is pulsatus. — Regula hæc comprehendit eos ipsos qui egrediuntur ad convictorium et scholas (*a.* P. Oliver, ad v. *Egredientes domo*).

[3] In tabella nominum scribatur : 1° Rector et Minister, nomine offficii (*a.* 1627); dein, Sacerdotes omnes permixti, etiam socius (*a.* 1647); tertio, Scholastici; demum Coadjutores (*a.* 1627); omnes ordine alphabetico (*a.* 1648).

334 IV. — **Litterarum commercium.** — Litteras nemo mittat aut accipiat absque facultate Superioris[1], qui eas videre debet. (Reg. Rect., 35. — Ex., IV, 6. — Cst., III, 1, 2, B.)[2] Nemo proinde absque Provincialis facultate sigillum habere potest[3].

Compescenda est nimia litterarum missio[4], nec ferendum ut circa sæcularia negotia versentur aut aulico stylo scribantur. (Or., IV, 4. — Ins., XIII, 4, 3.)[5]

Litteræ autem ad mediatos Superiores aut ab ipsis, ab immediatis Superioribus videri non debent nec possunt[6]. (C. G., XXII,

21.) — Si quis tamen ex aliena Provincia ad suum Provincialem scribit, ejus litteræ per manus immediati Superioris, etsi obsignatæ, transire debent. (C. G., XXII, 21.)

De prohibitione armorum, instrumentorum musicorum et librorum profanorum, cf. supra, P. II, c. 6, n. 145. De ludis, cf. infra, cap. sq. in notis.

Otium procul amandari Superiores exemplo et auctoritate curent. (Cst., III, 1, 6; — IV, x, 6. — Ins., IV, 4.)

[1] Missionarii, dum in missionibus versantur, si forte scribant ad sæculares degentes in civitate ubi eorum Rector est, tenentur litteras mittere prius ad Rectorem apertas, ut eas legere possit (*a.* 1667).

[2] Regula hæc (collata cum. reg. 19) comprehendit ipsas schedulas, memorialia, etc., etiam aperta, instructiones ex libris impressis descriptas, quia universaliter loquitur (*a.* 1584, 1646, 1636). Non satisfacit regulæ qui scriptas sine licentia litteras deinceps ostendit Superiori (*a.* 1647). Non debent litteræ scribi ea lingua quæ a Superiore non intelligitur (*a.* 1599), modus vero occultus serio exterminandus (*a.* 1615). Optandum est ut ab omnibus latine scribatur (*a.* 1593, 1629). Qui in aliena domo degunt, possunt ad suum Superiorem litteras clausas mittere et ab eo accipere, sed omnes debent transire per domus Superiorem (*a.* 1587).

« Licet regula non concedat magistris novitiorum, ut dare possint et accipere litteras, quæ non aperiantur a Superioribus, ab iis quos educarunt, potest tamen dissimulari usque ad Congregationem Generalem » (*a.* 1638).

Litteræ a pœnitentibus cum hac inscriptione *Conscientiam concernentia* legi non debent, si prudenter constet eas esse de hujusmodi arcanis (*a.* 1654). Secus poterit Superior uti jure suo. Sed ad securitatem majorem, non prius legat quam moneat eum de quo dubitat, legendas esse omnes suas litteras (*a.* 1656). Idem confirmatur recentius (*f.* 21 fev. 1833).

[3] Qui ex peculiari facultate habet proprium sigillum, nihilominus ejus litteræ seu aliorum ad ipsum a Superiore aperiri possunt (*a.* 1619.)

[4] In litteris spiritualibus scribendis magna temporis jactura et alia gravia incommoda, maxime a junioribus sacerdotibus timeri possunt. Cavendum igitur ne id temere fiat (*f.* 21 feb. 1833).

[5] Nostri theologi aut confessarii de re quapiam consulti scripto respondere non debent inconsulto Rectore (*a.* 1654).

[6] Litteræ ad Provincialis Admonitorem scriptæ Superiori apertæ tradi debent (*b.* ††, 1584). De litteris cf. supra p. 238.

N. B. — Ut melius Regularum observationi studeamus, Summarium Constitutionum, Regulas Communes et sui officii legere vel audire unumquemque singulis mensibus

oportebit[1], imo Coadjutores officii sui regulas qualibet hebdomada. (Sum., 52. — R. Com., 49.)[2]

[1] Regulæ sacerdotum non censentur esse regulæ officii, quæ singulis mensibus legendæ sunt (*a.* 1609). Rector et Provincialis non tenentur quolibet mense, quia sunt valde longe et supponuntur eas scire (*a.* 1603.)

[2] « Si quis recte officii sui regulas teneret memoriter, cum eo dispensari posset a Superiore ne octavo quoque die eas legere teneatur » (*a.* 1568). Quod responsum, ut ex textu ipso patet, pertinet ad Coadjutores temporales; necnon, ut videtur, et illud aliud : « Minister si sit diligens, sufficit ut alterno mense officialibus suas regulas legat » (*a.* 1583).

CAPUT QUARTUM

DE IIS QUÆ AD VALETUDINEM TUENDAM ET REPARANDAM CONFERUNT

I. — De Valetudine tuenda.

I. — **Media generalia.** — Ad conservandam valetudinem : 335
1° omnibus suppeditentur ea quibus natura sustentari potest[1]; 2° non secus ac ea quæ medicus in ea regione convenire judicabit ita ut substractio horum sit ex devotione, non ex obligatione; quæque cæterum ab honestorum sacerdotum usu non abhorrent; in his tamen habeatur ratio humilitatis, paupertatis et ædificationis (Ex., IV, 26. — Cst., III, II, 3; — VI, II, 15, 16, R), non secus ac decentiæ et commoditatis; ad quas in vestitu magis attendendum cum Scholasticis quam cum Novitiis, resecatis tamen superfluis. (Ex., I, 13, F. — Cst., I, IV, 4; — III, II, C.) Itinerantibus vestitus et alia necessaria sunt suppeditanda magna charitatis significatione, at eorum expensis quorum est itineris sumptus solvere. (R. Rect. 85.)

Ita vero servanda est vita communis ut iis qui peculiari subsidio indigent id non negetur. (Cst., III, II, 2, B, C, D, E; — VI, II, M, N. — C. G., XII, 43.)

Collegia in locis salubrioribus sint et bene ædificata. (Cst., X, C. — C. G., I, 113.) Si cui vero alicujus regionis cœlum non conveniret, videat Superior num is sit amovendus. Interea ille pro muta-

tione non postulet nec ostendat propensionem. (Cst., III, II, G. — Reg. Rect., 84.) Mundities accurate servetur et ideo verrantur cubicula tertio quoque die[2]. (R. C., 18, 19.)

Nimio labore nemo oneretur, sed aliqua corporali exercitatione omnes utantur[3]. Nec a prandio per unam aut duas horas, maxime in æstate, gravioribus corporis aut mentis exercitiis studiisve incumbant. (Cst., III, II, 4, D; — IV, IV, 1; — X, 10.)

Scholastici vero ultra duas horas studium absque aliqua interruptione non producant. (R. Schol., 11.)

[1] Reprobatus fuit olim (*a.* 1647) usus majorum lancium et casei integri in mensa, ex quibus singuli tantum sumunt quantum volunt (*a.* 1655). Unicuique danda erat portio carnis octo unciarum (*a.* 1648). Nivis usus prius Bohemiæ et Siciliæ reprobatus (*a.* 1637), dein oretenus concessus (pro Sicilia, ut videtur). Usus choccolatæ non fuit primum toleratus (*a.* 1654). Merenda vero, ob solam necessitatem, egentibus primum permissa (*a.* 1584, 1619), postea prohibita fuit (1637). Prohibitum est vinum, et alia poculenta in cubiculis etiam Superiorum (*a.* 1651, etc...) — « Non assuescant omnes promiscue haustui pomeridiano magis ex consuetudinis quam necessitatis habita ratione. Ponendus ergo modus tum Societatis ratione tum sobrietatis religiosæ » (*a.* 1615, 1619). « A frugali consuetudine Societatis alienum est ut aliqua quasi ordinaria consuetudine, quocumque anni tempore, a meridie potum sumant » (*a.* 1619). « In æstate non est negandus. Sedentiariis tamen et sartoribus non detur sine licentia Ministri. Certa hora assignetur extra quam non detur nisi legitime impeditis » (*a.* ad v. *Collatio*, n. 6). Jentaculum autem, quod olim in usu communi non erat, facilius permissum est (*a.* 1584). Quando primo postulatum est ut Coadjutoribus caffæum cum lacte in jentaculo daretur, id negatum est (*f.* 23 dec. 1835). Carnes in jentaculo Nostris non apponantur, nisi jubente medico (*f.* 12 april. 1873).

[2] Id est bis in hebdomada (*a.* 1642); nec dispensetur cum Præceptoribus Philosophiæ et Theologiæ, nisi necessitatis causa (*a.* 1590).

[3] Hæc corporalis exercitatio pro Sacerdotibus et magistris non est alia quam labor verrendi cubicula (*a.* 1583, 1588, 1630).

336 II. — **Recreationes** opportunæ studentibus non desint; hinc, singulis hebdomadis, dies unus saltem a prandio quieti destinatus sit. (Cst., IV, XIII, 5, F.)[1] Si exire per tempus aliasve causas non licet, mane studeant; vespere interposito aliquo silentii intervallo recreationi non strepitosæ indulgeant[2]. (C. G., VI, 40, 9.

— Or., II, 15.) In reliquis conferatur cum Provinciali de ratione ordinaria intermissionis studiorum. (Cst., IV, XIII, 5, F.)

Tempore vacationum, in villa remanere possunt, si domus bene clausa sit[3], non tamen ultra quindecim dies. Ibi Superior aliquis adsit; exercitia spiritualia non omittantur; nemo vero externorum villas adeat, nisi ex Provincialis licentia. (C. G., VI, 40, 8. — Or., XIV.)[4]

[1] Solis Scholasticis conceditur dies vacationis hebdomadariæ; non vero Coadjutoribus (*a.* 1641). Rector tamen aliquos inter ipsos interdum mittere solet (*a.* 1599). Non probatur ut ex Domo professa ad suburbanum eant singulis prope septimanis (*a.* 1650). Diebus recreationis, Nostri non vetentur deambulare vel separari ab aliis, nec adstringantur omnes ad manendum in uno loco, quum talis recreatio sit potius mortificatio (*a.* 1561).

Diebus recreationis in Quadragesima, non tenentur omnes ire ad deambulandum, animi relaxandi causa, sed qui volunt (*a.* 1574).

Non est omittenda recreatio hebdomadaria in villa ideo quia ea hebdomada sit renovatio votorum, nisi forte triduum esset interrumpendum (*a.* 1618).

Recreatio die Martis non est concedenda quando festum incidit in diem Jovis (*a.* 1647).

Cum festi dies in alterius septimanæ initium, alteriusque finem incidunt, Provincialis eas relaxationes concedere potest quas magistris, Scholasticisque necessarias in Domino judicabit (*a.* 1597). Pluries prohibitum est ne Rector extraordinarias vacationes concedat nisi in casibus valde raris, et reddita Provinciali ratione (*a.* 1646, 1647, 1648).

Ubi non est usus vineæ, permitti possunt Scholastici, etiam mane, pluvio die recreationis, domi colloqui, non obstante Dec. Cong. VII et Instruct. 17, n. 6. (*a.* 1641).

Etiam inferioribus scholis, dies integer vacationis hebdomadariæ permittitur a Paschate ad initium Junii, judicio Provincialis, juxta reg. 39 (*a.* 1600).

Praxis Romana aliis Provinciis commendata ea olim erat ut, dum Nostri ruri erant, in recreatione sive hebdomadaria, sive generali, semper servaretur silentium super mensa, etiamsi non legeretur (*a.* 1636).

[2] Ludi locum non habent, in Domibus professis (*a.* 1628). Alibi non permittitur ludus tempore vesperarum et concionum, etiam in bacchanalibus (*a.* 1647). Olla fortunæ in solis vacationibus autumnalibus permittatur, et soli Superiores conferant symbola (*a.* 1647). Ludus pilæ primum prohibitus, dein concessus cum cautione (*a.* 1586, 1613), fuit postea sublatus (*a.* 1619, 1646). Ludus schaccorum et latrunculorum ut a nostra simplicitate alienus et animum nimis defatigans fuit primo prohibitus (*a.* 1583, 1596, 1637, 1644, 1649), nec deinceps permissus nisi raro et extraordinarie, quibusdam temporibus (*a.* 1653). Ludus chartarum et alearum cum duabus tabulis

expansis (tric-trac) severe interdicitur (*a.* 1648); imo ablegatur ad Novitiatum qui illum introduxit. Ludus aliquis domi permittitur nostris juvenibus in frigidis illis regionibus, ubi nec villa habetur, nec per magnam anni partem vix foras iri potest (*f.* Germ. Sup., nov. 1832).

[3] Nostri præsertim Scholastici non sinantur tempore vacationum excurrere ad arces nobilium aut in patriam. Si prædium Collegii remotius sit, habeatur in vicinia locus relaxationi idoneus ut sumptus vitentur (*a.* 1631). Venatio prohibenda est (*a.* 1598) etiam avicularum (*a.* 1648). Manentium domi, quando alii ad villam exeunt, eadem debet esse conditio in cibis ac exeuntium (*a.* 1650). Hic porro secessus aliquot dierum ad suburbanam villam, tempore vacationum, regulariter solis Scholasticis et præceptoribus conceditur, licet quidam alii ex occasione admitti possint (*a.* 1642).

[4] Præter hanc ordinariam recreationem, ex antiquo more, bis vel ter in anno ducuntur magistri (Scholarum inferiorum) ad prædium, ibique tractantur sicut in die renovationis votorum et non amplius (*a.* 1646). — Si quæ vero sint aliæ mensales recreationes, earum catalogum offerant Ministri Provinciali in visitatione (*a.* 1647). Abrogentur in examinibus omnibus (*a.* 1648). Semel tantum in die fiant (*a.* 1647), in prandio non in cœna (*a.* 1650). Gaudiosa hæc prandia paulo lautiora esse possunt ac prandia primæ classis (1834).

Non permittantur Confessarii emendicare recreationes mensales a suis pœnitentibus (*a.* 1650), et qui eas emendicant puniantur (*a.* 1647). Nec facile admittantur quæ sponte oblata fuerint (*a.* 1650).

337 III. — **Vitanda** sunt omnia quæ valetudini nocent. Corporis castigatio immoderata esse non debet. (Cst., III, II, 5, F.) Infirmi et gravioribus occupationibus onusti sublevandi sunt fraternæ charitatis ministerio; licet generatim Nostri seipsos adjuvare debeant. (Reg. Præp., 62.) Nemo extra consueta tempora bibat aut absque facultate extra domum cibum sumat. (R. C., 16), aut aperta fenestra noctu dormiat. (R. C., 12.)[1]

Sit aliquis qui valetudini invigilet et de iis quæ noxia esse possunt Superiorem moneat. (Cst., III, II, 6, G. — RR. Præf. sanit.) Ad eum recurrant ii qui male se habere sentiunt. Qui vero aliquid sibi necessarium esse aut noxium animadverterint, Superiorem moneant, oratione præmissa, et ejus prudentiæ totum committendo. Si tamen ex oblivione præsumitur non providisse, res ei in memoriam modeste revocetur. Et Minister de minus sollicitis specialem curam habeat. (Cst., III, II, 1, A.)

[1] Non satisfaceret huic regulæ qui sola charta fenestram noctu clauderet (*b.* ††, 1584).

II. — De valetudine reparanda.

Ægrotorum cura maxima habenda est in Societate. Statim ac 338
infirmarius senserit rem esse alicujus momenti, Superiorem moneat et vocetur medicus. (Cst., III, II, 6.)[1] Nemo tamen medicum consulat, nisi probante Superiore, qui eum, ubi opus erit, vocabit, aut etiam plures si res postulet, quamvis ordinarius unicus esse debeat. (Reg. Rect., 59.) Eo adveniente, pulsetur campana; Minister, Præfectus sanitatis et infirmarius adsint, et quod jubet observetur[2]. Pro convalescentibus sit in refectorio certus locus, ubi ex infirmarii præscripto adamussim tractentur. (Cst., III, II, G. — Reg. Rect., 59. Infirm., etc.)

Ad eos infirmos invisendos qui minus ædificationis darent, v. g. ob phrenesim, pauci essent mittendi et ex his quibus magis confiditur. (Cst., VI, IV, A.) Omnes autem qui ægros invisent, eis molesti non sint, sed eos consolentur. (Reg. Com., 29.)

Ipsi vero ægroti obedientiam erga medicos et infirmarium, patientiam, resignationem, humilitatem exercere studeant et ostendant se accipere infirmitatem ut Dei donum[3]. (Ex., IV, 32. — Cst., III, I, 17; — III, II, G.)

At interea pro reparanda eorum sanitate, laxentur spatia charitatis in Societate. (Epit., P. IV, n. 110.) De modo practice subveniendi infirmis, cf. regul. infirm.

[1] In iis ministeriis quæ valetudini noxia sunt, ut est cura peste infectorum, NN. non exponantur inviti (*a.* 1636); confessiones caute audiantur, nec alia sacramenta præbeantur, habita tamen ratione ædificationis (*a.* 1612). Minus conveniens esset ut alicui e Nostris peste correpto serviret sæcularis (*a.* 1617).

[2] Tametsi permitti possit ut nostri convalescentes ex gravi et diuturno morbo mittantur ad alia Collegia, mutandi aeris causa, præsertim si judicio medici non videantur sine isto medio integre convaluturi, id tamen omnibus quasi ordinarie, etiam medici judicio, permitti non debet (*a.* 1624). Si in hoc

novo domicilio ægrotus sine occupatione sit, nutrietur sumptibus domus ad quam pertinet (*a.* 1653). Ad aquas medicas nullus mittatur nisi ex judicio medici et licentia Provincialis (*a.* 1617) et moderationem hac in re, titulo paupertatis, pluries commendavit P. Anderledy. (Et cf. Nigronum, in Reg. 17 Comm.)

Cæterorum balneorum usus solius valetudinis gratia permittebatur (*a.* 1619), etiam ad aquas fluviales (*a.* 1650). Si balneis opus esset, in cubiculis id fieri commendabatur (1650). Et cf. Nigronum, in Reg. 17 Comm., ex quo saltem deprehendes olim in Societate balneorum usum habitum fuisse ut medium valetudini aliquando utile , non ut oblectamentum religioso viro congruum.

Tabaci usus excepta necessitate a Provinciali judicanda prohibetur (*a.* 1623, 1636, 1653). Imo in Provincia Tolosana sub præcepto deinceps sublato vetitus fuerat haustus fumi tabaci per tubuum (pipe) (*b.* ††, 1750).

Si ægrotus Domus professæ mittitur ad unam alteramve hebdomadam, ad prædium Collegii, æquum est ut Domus solvat expensas (*a.* 1624). — Quando Collegium non habet reditus sufficientes, possunt in Domo professa recipi infirmi Collegii, si Domus habet eleemosynas sufficientes; deinde non est necesse ut Collegium compenset rationes dati et accepti. — Si Collegium habet reditus sufficientes, vel Domus professa non habet illam commoditatem, non expedit illam a Collegio gravari (*a.* 1560).

Amentes nostri olim non mittendi erant ad hospitalia, sed in nostris domibus servandi (*a.* 1588, 1592). Nostri senes non equitent per urbem ut visitent devotas (*a.* 1589).

[3] Ægrotis nostris præsertim sacerdotibus, porrigatur Sacra Communio quotidie, si id desiderent (*a.* 1648). Cf. R. 13 Infirm.

PARS SEXTA

De mediis quibus malum coercetur in Societate.

CAPUT PRIMUM

DE CASIBUS RESERVATIS

I. — **Reservationis utilitas** non minor est apud Religiosos quam 339
apud fideles; imo major ob majorem eorum status sanctitatem, quæ diligentiori custodia indiget; et majus contagionis periculum, quod satis efficaciter averti nequit, nisi qui gravius deliquerunt, ab eo qui curam totius communitatis habet, congrua remedia accipiant [1]. (Cst., III, I, 11.)

[1] « Etiam in prima probatione (Prov[ii] Campaniæ, 4 mart. 1627) Novitii nostri sunt obnoxii casibus reservatis, juxta Reg. Mag. Nov., quidquid alii auctores doceant in contrarium. (Cong. Rhen. Sup., 1649, 1650, ad 3); et confirmatum auctoritate Congr. X in actis mns. » (*a.* ad v. *Casus reservati Novitiorum*, n. 3). Utpote Novitii subduntur jurisdictioni Societatis et ab Ordinariis eximuntur, quidquid alii doctores sentiant (*a.* 1590, 1619, 1650, 1670).

« Licet aliqui putent Novitios non habere casus reservatos (Henriquez, l. VII, c. XXII, n. 7; — Rodriguez, tit. I, q. 21; — Azor., tom. I, l. XII, c. II, 10); contrarium tamen declaravit P. Claudius ad Prov. Lugdun. (1611, ad 22), addens Societatem hoc habere proprium, saltem ex conventione (quidquid sit de jure communi), fundatum in c. III, Exam. litt. A. ubi

agitur de eo qui in Examine primæ Probationis tacet aliquod impedimentum. Habet enim Societas in eos potestatem jurisdictionis, licet non quasi dominationis quam acquisitura est per vota eorum, licet aliqui contrarium doceant » (*a.* 1619, 1614).

Opinio dicentium Novitios absolvi posse a reservatis per quemcunque evitanda est tanquam nociva bonæ educationi Novitiorum (*a.* 1590, 1591, 1611, 1615).

Imo, anno 1614, P. Aquaviva (apud Lacroix) prohibuit ne in Societate doceretur. Cum multi auctores hanc tamen propugnent, putavit P. Montrouzier (*De Inst.*, c. XII, a. 2, q. 6). P. Claudii prohibitionem amplius locum non habere. De quo quidem movet dubium P. Villada quem conferas (*De Conf. Nostris*, n. 73). At saltem certa mens est Societatis Novitios incurrere reservata, ut patet ex regula 7. Mag. Nov. Alsolvuntur Novitii a Magistro et iis quibus Superior commiserit, uti sunt tempore renovationis confessarii ordinarii et extraordinarii. (C. G., XXIII, 30.)

« Novitius versans in Domo professa ad ejus servitium, si incideret in casum reservatum, absolvi potest a Superiore Domus vel cui commiserit » (*a.* 1614).

340 II. — **A quo facienda.** — Post decretum Clementis VIII, 26 maii 1593, quod insertum fuit in Instituto, Or., v, Superiores non possunt absque Congregatione generali aut provinciali reservare alios casus præter undecim a Pontifice designatos[1]. Cum vero hos casus omnes jam reservavit C. G., V, nullus jam potest ampliuś reservari nisi in Congregatione generali.

[1] Quamvis autem Congregatio provincialis jurisdictionem non habeat, posset Provincialis ea consulta et consentiente reservare. Ita P. Villada, n. 33 ex Lacroix (l. VI, n. 1667) et Lugone (*De Pœnit.*, d. 20, n. 42, 45). Habeatur tamen præ oculis decretum 60, Cong. Gen., II, quo reservatur Generali declaratio, ampliatio vel restrictio casuum reservatorum.

341 III. — **Quinam casus reservati sint in Societate.**

1° *Casus Clementini*[1] :

1° Veneficia, incantationes, sortilegia.

2° Apostasia a religione, habitu dimisso aut retento, egrediendo extra septa monasterii[2].

3° Nocturna ac furtiva egressio e conventu, etiam non animo apostatandi facta[3].

4° Proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale.

5° Juramentum falsum in judicio regulari seu legitimo.

6° Procuratio, auxilium aut consilium abortus post animatum fœtum, etiam effectu non secuto[4].

7° Falsificatio manus aut sigilli officialium monasterii[5].

8° Furtum de rebus monasterii quod peccatum mortale sit.

9° Lapsus carnis voluntarius opere consummatus[6].

10° Occisio, vulneratio aut percussio gravis cujusque personæ.

11° Malitiosum impedimentum, retardatio aut apertio litterarum Superiorum ad inferiores et vice versa[7].

[1] Peccata a Clemente VIII enumerata sunt « a Societate acceptata pro reservatis, ut satis patet ex decr. 51, C. G., V, ex particulis *etiam* et *propter* » (*a.* 1638).

[2] Duas conditiones requiri docet Lacroix ut quis in hunc casum incurrat : 1° animus religionem deserendi, quamvis cum intentione aliquando redeundi ; 2° egressio actualis ad certam distantiam ; nam paucorum passuum non sufficeret. At quoad primum verius videtur non haberi apostasia (sed solum fuga) ubi adest animus redeundi ; incurrunt reservationem ipsi Scholastici.

[3] A domo religiosa stricti nominis, non vero ab hospitio i. e. hospitio proprie dicto. — Requiritur copulative egressio furtiva et nocturna.

[4] Huic peccato annexa est excommunicatio Superiori reservata et irregularitas a solo Pontifice aut P. Generali tollenda. (Conf. Comp. Privil., n. 165.) Excommunicatio plectit solum procurantes et quidem principales (cf. DD. in 2am cens. seriei 3æ, in bulla *Apostolicæ Sedis*). Oportet ut fœtus sit *certo* animatus.

[5] Nomine officialium intelliguntur qui ex officio habent sigillum, ut Generalis, Assistens, Provincialis, Secretarius, Admonitor, Procurator Generalis (*a.* 1620).

[6] Juxta quosdam requiritur seminis effusio opere procurata ; verum Lacroix hanc sententiam non probat ; cf. etiam paulo infer., n. 343.

[7] Hic casus non incurritur nisi hæc apertio sit peccatum mortale, quod pendet a circumstantiis (*a.* 1582), et debet esse malitiosa, i. e. ex intentione impediendi effectum litterarum. Cf. P. Mélot, n. 437. — « Qui legit litteras Superioris ab subditum aut contra, etiamsi non aperiat, incidit in casum reservatum : idem enim est incommodum ac si aperiret » (*a.* 1622).

342 2° *Auctoritate Congregationis Generalis* reservantur :

1° Perjurium et falsum testimonium in judicio et extra.

2° Furtum et usurpatio cujuscumque rei contra votum paupertatis, in ea quantitate quæ sit peccatum mortale[1].

[1] Hujusmodi esset peccatum ejus qui fructus suorum bonorum impenderet in augmentum illorum sine facultate requisita aut qui ex illis fructibus summam pecuniæ numeratæ cumularet (*a.* 1650). De peccatis contra votum paupertatis, cf. supra, ubi de hoc voto.

« Eum qui tantummodo prandium foris sumeret sine venia Superioris, uti pœnæ sine dubio subjicerem, ita reservatione absolutionis non obligarem » (*a.* 1642).

3° Quidquid est contra votum castitatis quod in actu externo prodeat[1].

343 [1] Dum in casu Clementino reservantur tantum fornicatio, adulterium, pollutio et peccata contra naturam, utpote consummati actus in sua specie luxuriæ, ex C. G., V. reservatur quidquid externum est grave contra castitatem, v. g. aspectus, tactus, etc. At requiritur :

1° Ut sint actus graviter peccaminosi in ratione *externi actus*. Hinc actus indifferentes et ex *sola intentione* mali non reservantur : v. g. deambulatio. Ita P. Mutius : « Ut peccatum contra votum castitatis censeatur ita prodire in actum externum ut sit reservatum, necesse est talem actum esse qui ex se non sit indifferens, qui scilicet in bonam et malam partem accipi possit » (*a.* Prov. Gallob., 18 dec. 1632). Et P. Aquaviva : « Debet habere malitiam exteriorem quæ index sit internæ malæ voluntatis » (*a.* Prov. Germ., 8 nov. 1608). Rursus P. Mutius : « Non videtur casus reservatus, si quis ex contactu manus alterius qui ex *se turpis non est,* peccat mortaliter delectatione morosa : modo illa delectatio non prodeat in actum exteriorem. Sin vero ex illo contactu vel solo aspectu sequatur voluntaria pollutio, est casus reservatus, ratione hujus pollutionis, quæ est peccatum contra castitatem in actum externum, non ratione illius aspectus aut contactus (*a.* Gallob., 13 junii 1620). Tandem P. Nickel : « Declaraverunt sæpe Præpositi generales actus externos indifferentes non esse reservatos in 3, *Cas. reserv.* (i. e. reservatio 3ª Societatis) : sed solum illos qui sunt indices malæ voluntatis contra castitatem : et huic declarationi Nostri aquiescunt » (*a.* Austr., 18 aug. 1657 ; V. *Casus reserv. contra castitatem,* n. 7).

2° Attamen non videtur restringi ad actus solos externos ex natura sua et independenter a circumstantiis intrinsece malos, sed

3° Extendi ad omnem actum qui, non sane a sola intentione, sed saltem ex *externis* circumstantiis malitiam præ se fert mortalem, ita ut in bonam

partem ita adjunctis suis externis vestitus accipi nequeat (quamvis forte præcisus ab his, non fuisset intrinsece malus). Ita clarissime ex P. Mutio : « Visus, auditus, deambulatio, licet sint mortalia contra castitatem, quando sint imperata ab actu malo interno, non tamen sunt reservata, quia ex se sunt actus indifferentes : secus cum ex se actus sunt determinati ad maulm, ut oscula, tactus impudici, sollicitatio ad res venereas » (*a.* Japon., 1 januar. 1618). Item : « Aspectus, locutio, lectio cum delectatione interna mortaliter mala tunc solum censetur reservata, quando actio externa ex se indicat malitiam actus interni; nec manet amplius, ut tam in bonam quam in malam partem accipi possit. Quando vero actio externa in individuo sit talis, vel non sit, spectat ad theologos judicare » (*a.* P. Mutius, Polon., 9 apr. 1644; — P. Nickel, Aquitan., 2 mart. 1656). Rursus : « Hinc etiam non censetur reservatus aspectus etiam animo libidinoso factus, nisi talis sit qui *spectatis omnibus suis circumstantiis* non sit indifferens amplius » (*a.* P. Mutius, Germ., 26 janu. 1633). Et quadrat cum responsis primo loco superius recitatis. Qua præjacta declaratione optime intelligitur quomodo hoc responsum ejusdem P. Mutii concordet cum responso suo anni 1620 supra relato : « Reservata censenda sunt omnia quæ prodeunt in actum externum, ut sunt oscula, tactus, etc., dummodo sint mortalia ex vi talis actus; nec requiritur ut sint consummata per pollutionem vel fornicationem » (*a.* Austr. 1642).

4° Requiritur ut actus sit *voluntarius in ratione actus externi,* i. e. si actus « sequitur vel habetur quando voluntas mala adhuc existit, v. g. in vigilia (distillatio aut pollutio) voluntate non retractata; secus si mala voluntas jam cessavit, quando incipit pollutio; poterit quidem tunc esse culpabilis in causa, sed non erit reservata, v. g. quando accidit in somno » (P. Villada, n. 95). Inde non videtur reservari pollutio secuta ex delectatione culpabili, sed ante pollutionem retractata : secus incurreretur reservatio, tunc quando forte ob contritionem pœnitens jam redierit in statum gratiæ.

5° Quamvis reservatur pollutio, imo et distillatio, non reservatur simplex commotio spirituum, quamvis ex interna culpabili delectatione forte fiat et intendatur. Ita Lacroix ex Revisoribus Romanis (l. VI, n. 1672).

6° Controvertitur vero utrum incurrat reservatio qui sine propria delectatione inducit alium ad violandam castitatem. (Cf. Lacroix, l. IV, n. 155, ubi tenet affirmativam.)

Hæc ut clare innotescat confessario natura reservationis, at forsan non abs re erit hic apposuisse verba P. Claudii : « Doceantur confessarii ne ex pia quadem opinione quam habent de Nostris, venialia omnia aut levia, atque extra periculum esse ducant : sed considerantes quonam tandem res istæ, quæ parvæ videntur, evadere, quoque exitu terminari possint, nimis liberas conscientias exstimulent, ruinas et præcipitia, in quæ ferri imprudentes possunt, ostendant : hoc unum esse quod dæmon technis suis fraudibusque moliatur. Dent operam ut pestiferas quasdam et nimis laxas opiniones penitus evellant, hoc illudve non esse mortale, magni momenti non

esse, necessarium non esse ut distincte confitendo explicetur. Meminerint denique sic terram paulatim alluvione consumi » (Instr. ad Sup., c. 5, n. 3).

344 4° Inobedientia expressa[1], qua quis asserit se nolle parere.

5° Seditio in Superiorem et divisio membrorum a capite, in grave nocumentum Societatis.

6° Detractio famæ aliorum[2], et discordiarum inter fratres seminatio[3].

[1] De hac reservatione, cf. supra, n. 149.

[2] Scilicet tam externorum quam Nostrorum, et hunc esse sensum vocis *aliorum* declaravit P. Mutius cum CC. (*a.* 1622, et rursus 1633, 1638, 1656). Hoc de detractione famæ : utrum vero seminatio discordiarum etiam inter externos reservetur, disputant auctores, quos cf. apud P. Mélot, qui ipse tenet non reservari. De vitio detractionis, cf. P. Anderledy, Litt. encycl., 21 nov. 1891, n. 18; et P. Claud. Indust., c. XVII.

[3] P. Piccolomini doceri vetuit quintum et sextum casum inter reservatos a Congregatione Generali V, et similia, non reservari si effectus secutus non sit. (Prop. 21, inter Prop. theol. a P. Piccolomini proscriptas).

7° Impedimentum excludens e Societate celasse in examine, vel in eo mentitum esse, unde grave incommodum oriri possit[1].

8° Acceptio seu missio litterarum absque licentia expressa, si contineat hæc acceptio aut missio rationem peccati mortalis.

9° Transgressio votorum simplicium Professorum.

10° Censuræ Societatis, seu peccata quæ in nostris Constitutionibus, Bullis vel Decretis annexam habent excommunicationem.

11° Violatio præcepti de non procuranda externorum intercessione. (C. G., XVI, 17. — Or., v.) Cf. n. 151.

[1] Reservatio habet duo membra : 1° Reticentia impedimenti essentialis; 2° Mendacium in examine circa aliquid, unde nocumentum grave oriri possit, licet forte per accidens non oriatur. Hinc de impedimento aliquo tantum secundario responsum : « Casus reservatus est si candidatus reticet ejusmodi habitus suos pravos, ex quorum reticentia grave incommodum oriri possit Societati. Sic enim locus Ex., c. III, litt. A, videtur applicandus Ord. Gen., V, cas. 7 » (*a.* 1643). — « Casus reservatus reticentis aliquid in examine, de quo S. P. N. (Exam., c. IV, litt. A) est reservatus Magistro Novitiorum,

juxta regulam illius 7, vel Superiori sub quo continget admissum vivere, juxta, c. xv, Ord. Gener. inter casus n. 7 » (*a.* 9 feb. 1647).

Hæc peccata reservantur, cum manifeste[1] (ex confessione pœni- 345
tentis) sunt mortalia et in actum externum prodierint[2]. Statim vero ac Confessarius dubitat an peccatum aliquod sit mortale, potest absolvere et valet absolutio; nec repetenda erit accusatio, etiamsi dubium ex ignorantia procedat. (Or., VI, 8.)

[1] « Ratio illa *manifeste* in ordine ad confessionem dependet a confessione pœnitentis, cui in foro conscientiæ credendum est » (*a.* 1622).

[2] « Non quivis actus exterior ex mala intentione vitiosus est reservatus, si videlicet ipse per se sit indifferens, ut fieri potest in aspectu qui sit peccatum, et qui non retinet suam indifferentiam, sed malitiam externam habet adjunctam, quæ malæ voluntatis internæ sit index » (*a.* 1608). — « Casus si signa extrinseca ita sunt indifferentia ut possint in bonam et malam partem accipi, non erit reservatus » (*a.* 1594, 1618).

IV. — **Quisnam a reservatis absolvere possit.** — Hæc omnia 346
(exceptis his censuris quæ mediatis respective Superioribus necnon hæresi et apostasia ab Ecclesia quæ P. Generali), Superiori domus, utut parvæ, reservantur[1], vel ejus locum tenenti, si, per diem unam absit, et recursus sit difficilis[2]. Facultas vero absolvendi a casibus papalibus specialiter reservatis datur a Provinciali, ab aliis a Superiori locali. At excipiendi sunt casus : 1° absolutionis complicis et calumniose denunciantis, ad quos non se extendunt nostra circa absolutionem privilegia; et 2° hæreseos et apostasiæ ab Ecclesia, post ingressum in Societatem incursi, qui ex dictis reservantur Generali. (Comp. Priv., n. 16, 4.) Superior aut ejus locum tenens, facultatem absolvendi delegare potest. (C. G., XII, 17).

[1] Procuratores aliarum Provinciarum non debent a suis Provincialibus habere potestatem eligendi confessarium alium ab ordinario Collegii. Pro casibus reservatis possunt recurrere ad Provinciales suos, utpote veros Superiores suos (*a.* 1657). Confessarii nostri non possunt absolvere Nostros a casibus Bullæ Cœnæ, quia in Compendio ea facultas, ratione Nostrorum, reservatur (*a.* 1600). Nunc vero temporis facultas absolvendi ab his casibus

(i. e, specialiter Papæ reservatis), duobus exceptis, datur a Provinciali. (Cf. Comp. Priv., n. 4, 16.)

[2] Absente *quolibet* Superiore, jurisdictionem habet sacerdos in Societate antiquior. Si vero Superior absit ad horam et tempus celebrandi urgeat, poterit ordinarius confessarius absolvere cum onere comparendi, non vero alius sacerdos (*a.* 1624, 1640).

Imo his in adjunctis religiosum gravis culpæ reum qui deberet celebrare aut communicare aut vellet statim culpam deponere, a quolibet ex contubernalibus directe a cæteris peccatis, et indirecte a reservatis absolvi posse, respondit ad P. Gautrelet, R^us^ P. Beckx (1861), apud Montrouzier, c. xi, in fin.

347 Jure vero, ex voluntate C. G., XXIII, act. 34, a P. Anderledy condito (16 maii 1884), delegatur facultas generalis, tempore renovationis, confessariis sive ordinariis sive extraordinariis, etiam in his domibus ubi nemo forte esset renovaturus, et tempore quo quis peragit Exercitia confessariis ordinariis illique quem Exercitans cum licentia Superioris elegerit. (Ex quo antiquantur Responsa GG. in contrarium olim data.) In parvis domibus, ubi nempe quatuor tantum aut quinque ex NN. morantur, confessarii a reservatis absolvere possunt, cum onere se sistendi Provinciali, aut ei Superiori in cujus domum pœnitens forte brevi discessurus sit. (C. G., VIII, 25.)[1]

[1] Hæc facultas extenditur ad domos ubi sex e NN. commorantur. (P. Roothaan ad Prov. Angl., nov. 1832, apud Montrouzier, c. xii, a. 2, n. 3); necnon ad eas quæ, ob quorumdam diuturnam absentiam, ad hunc numerum reducuntur; et permittitur ut in his adjunctis, absque ulla restrictione, facultas a reservatis absolvendi confessario domus concedatur. (P. Beckx, ad Prov. Tol., 18 oct. 1875.) Imo observandum est decretum S. Cong. Episc. et Reg. (17 aug. 1866) his verbis : « Serventur decreta Clementis VIII et Urbani VIII, ita tamen ut in præfatis parvis communitatibus, Superiores omnino debeant deputare habitualiter unum Confessarium ex religiosis proprii Ordinis, qui facultatem habeat absolvendi a peccatis et censuris in proprio Ordine reservatis. » In quo decreto non fit sermo de obligatione se sistendi Superiori quam imponit C. G., VIII, 25, 1. Hinc novissimum Compend. Priv., n. 16, « Provincialium erit ex ordinariis confessariis (parvæ communitatis) unum designare qui hanc facultatem (in prælaudato decreto S. Congr. requisitam) habeat. »

Superior facultatem absolvendi facile concedat, nisi raro et 348
gravi ex causa denegandam eam esse censeret (ut si scandalum et relapsus timeretur), cum sine justa causa negans graviter offendere posset; nec curiose inquirat; caveat autem confessarius ne aliquid dicat quod pœnitentem manifestare possit[1]. Potius in genere dicat aliquem in casum reservatum incidisse unde damnum nullum oriri potest[2]. Si neget Superior et confessarius insistat, media alia simul excogitent; si vero nullum suppetat, Superior facultatem concedat[3]. Si per sacerdotem diversum a confessario petatur facultas, non est facile concedenda; e contra sæpe confert ut ipse Superior subdito ad se accedere renuenti designet sacerdotem seniorem, doctum et charitate plenum, qui eum absolvere possit. (Or., VI.)[4]

Iter agentes a socio absolvi debet, vel a confessariis ordinariis domus ad quam transeundo divertunt, eorumve defectu a quolibet externo : sed in his casibus omnibus, cum onere se sistendi suo Superiori. Si diutius, ex. gr. per unum alterumve mensem, in aliqua domo permaneant, in eadem erunt conditione ac cæteri; ac proinde ab habentibus facultatem ibi absolvendi a reservatis, absolventur sine onere.

Facultas Superiores a reservatis absolvendi est penes quem designaverit Provincialis aut confessarios ordinarios domus, sine onere : insuper penes quemlibet subditum, sed cum onere se sistendi Provinciali[5]. (Or., VI, 7.) Provincialis vero a Socio aut Superioribus domorum ordinariisve confessariis absolvi potest; et uterque Provincialis socius ab his iisdem et a Provinciali. (Epit., P. IV, n. 18.)

[1] Si confessarius licentiam ad absolvendum petere nequiret quin esset 349
periculum manifestandi pœnitentem, posset eum absolvere cum onere se sistendi Provinciali vel Superiori (*a.* 1655). Nulla vero *per se* vis infertur sigillo sacramentali ex eo quod confessarii Nostrorum, si forte inciderint in casum reservatum, petant absolutionem a Superiore per sacerdotem cui ipsi soli confitentur; quia sæpissime contingit, ut qui petunt absolutionem a reservatis per interpositam personam, non petant per ordinarium confessarium sed per alium (*a.* 1649).

[2] Confessarius petens a Superiore facultatem absolvendi a reservatis, debet in specie exprimere casum, quando abest periculum ne ex eo conjicere possit Superior quis sit is pro quo petitur facultas, ut supponi videtur c. VI, Ordin. Gener., § 3 (*a.* 1620).

350 [3] Clemens VIII declaravit in casu quo Superior confessario injuste negat facultatem absolvendi Regularem pœnitentem a reservato, posse eum illa vice absolvi (*a.* 1624) et quidem directe et sine onere se sistendi (cf. Comp. Priv., n. 125). Censetur porro Superior « sine causa seu injuste negare, quando nullum damnum timetur ex non præsentatione pœnitentis, incommodum ex illa pertimescentis aut simpliciter reluctantis; item quando in dubio post expositionem casus (salvo sigillo) et libratis utrinque rationibus confessarius existimat facultatem concedendam. » (P. Villada, n. 56.) In dubio perseveranti standum est pro pœnitente in mitiorem partem, nisi agatur de damno publico vitando. (Ibid., n. 57.) Meminerit tamen confessarius sibi pertinere non officium judicis solum, sed et medici. Quidam id intelligunt pro una vice, alii toties quoties. « Exspectanda est declaratio Sedis Apostolicæ; et interim hortandi Nostri ut in praxi sententiam tutiorem sequantur » (*a.* 1657). Licet enim Superior male neget confessario petenti facultatem absolvendi a reservatis in casu et circumstantiis in cap. VI, Ordin. Gener., § 4 expressis, manet nihilominus Superior in possessione potestatis reservandi; adeoque confessarius non potest in eo casu absolvere vi citati paragraphi (Ordinationis) cum nulla ei in illo paragrapho communicetur a Societate in reservata jurisdictio (*a.* 1642).

Hæc postrema responsio explicat sensum Ordinationis (cap. VI, 4); non autem labefactat vim declarationis Clementis VIII, quam juxta S. Ligorium minime contradicentem, quidam graves theologi sic interpretantur ut verba *pro ista vice* idem valeant ac *toties quoties*. Imo Continuator Tournely refert decretum S. C. ex consensu Urbani VIII editum, et hanc interpretationem confirmans. (Cf. S. Ligor. *De Pœnit.*, n. 586, 5. — Gury-Ballerini, *De Pœnit.*, n. 573, q. 6, nota *a.*) Hinc, attentis auctoritatibus, tuto potest hodie hæc sententia in praxim deduci.

351 [4] Non expedit universim dare confessariis, etiam piis, facultatem generalem, etiam ad tempus aliquod, absolvendi a casibus reservatis (*a.* 1658); licet Superior id valide faceret (16 dec. 1834).

Imo Superior hanc facultatem opportune dare posset confessario ultra modum anxio, aut quoad determinatum pœnitentem. (*d.* Ita 19 jul. 1859, P. de Villefort, ex Consult. P. Gen., nec non Assistentis Galliæ et Secret. Soc.) « Vere scrupulosis, ad tollendos scrupulos, si opus sit, potest facilitas generalis dari ut certo aliquo casu perpetuo absolvantur. Nam casus dubii vel qui scrupulosis tales videntur, non reservantur » (*a.* 1554).

Generatim concedi potest Præfecto spirituali facultas absolvendi pro tribus casibus. Ultra id, vel toties quoties facultatem petere, vel pœnitentem ad Superiorem remittere debet. (*d.* P. A., 8 junii 1857, appr. P. N.)

[5] Ita ex Cong. Gen., XII, Act. 40. — Hinc antiquata sunt responsa prius data quibus restringebatur facultas absolvendi ad confessarium a Provinciali designatum aut ad confessarium primarium domus.

Posset regularis exemptus absolvi a casibus Papæ reservatis per Episcopum habentem hanc potestatem, si eam proprius Superior non haberet (Lacroix post Suarez), et intelligas cum licentia Superioris. Nostri autem pro absolutione a reservatis cujuscumque religionis aut confraternitatis privilegiis uti non possunt (*a.* 1648, 1665). « Bullum *Cruciatæ* possunt Nostri suscipere, præter quam ad eligendum confessarium et ad obtinendam absolutionem a reservatis. Sic enim declaravit Societas per Procuratorem. » (*a.* 1594).

N. B. — De reservationibus Societatis, cf. P. Villada, n. 80 et sqq.; — P. Mélot, 352
n. 427 et sqq.; — Castropalao, *De Pœnit.*, tr. 23, p. 15; — Pellizzari, S. J., *Manuale Regular.*, t. I, tr. 6, c. I; — Tamburini, S. J. (Thomas), *De Pœnit.*, l. V, c. VII; — Lacroix, S. J., *De Pœnit.*, l. VI, p. 2, n. 1667 et sqq.; — Gobat, S. J., t. I, tr. 7, n. 669 et sqq. — De casibus Clementinis ex P. Mélot, sequentia auctorum nomina accipe : Josephus Pauwels, *Tractatus theologici de cas. reserv.*, Lovanii, 1751; — Bordonus, *Variæ resolutiones seu consilia regularia*, t. I, res. 40-50 (1671); — Rotarius, *Theologia moralis Regularium*, t. III, l. VII, c. I, p. 4; Venet., 1724; — Grueber, *De privilegiis religiosorum*, tr. 3, disp. 1, s. 2, n. 13 et sqq.; Augustæ Vindelicor, 1747; — Coriolano, *Tract. de cas. reserv. juxta decr. Clem. VIII;* Coloniæ, 1609; — Suarez., *De Relig.*, t. IV, tr. 8, l. II, c. XVIII; — Tamburini (Ascanius), *De jure abbatum*, t. II, D. 13, q. 2; Lugduni, 1640; — Lezana, *Summa qq. Regularium; Consulta moralia;* — Portel, *Dubia Regularium; Responsa moralia;* — Peyrinis, *De privilegiis Regularium;* — Fagundez, S. J., *In præcepta Ecclesiæ et Decalogi;* — De Graffiis, *Decisiones aureæ;* — Bassæus (Eligius), *Flores totius theologiæ practicæ;* — Juniperus a Drepano, *De casibus reserv.*; — Xaverius Faber, *De casibus reserv.*

CAPUT SECUNDUM

CENSURÆ ET PRÆCEPTA

353 Ut gravioribus quibusdam periculis efficacius obviam iret Societas, quædam cum censura prohibuit, quædam vero in virtute Sanctæ obedientiæ præcepit. Hæc vero continentur in elencho authentico. (Instit. Ed. nov., t. II, p. 45.) Monet vero Institutum, ex dec. 15 C. G., XVII, censuras aut præcepta in elencho non relata vel abrogata fuisse, vel non tangere universam Societatem. Quoad vero censuras aut præcepta, quibusdam provinciis particularia, si agatur de provinciis antiquæ Societatis, cessaverunt cum ipsis provinciis in suppressione Societatis.

I. — Quoad electiones et congregationes.

354 1. — **Censuræ.** — Excommunicantur ipso facto :

1° Qui Vicario aut alicui ex antiquioribus Professis non manifestaverit eos quos, ab obitu Generalis usque ad electionem ejus successoris, resciverit Generalatum affectasse vel affectare, directe vel indirecte, id procurando vel declarando se id velle;

2° Qui in judicio de ambitu aliter ac sentit sententiam dicit;

3° Qui post promulgationem Generalis, suffragium suum mutat, vel peracta electione, novam electionem tentat (et hic aliis gravibus censuris arbitrio Societatis obnoxius est);

4° Qui ab obitu Generalis usque ad electionem, pro se vel pro

aliis ambierint aut cum personis etiam externis, cujuscumque status aut conditionis, egerint aut tractaverint, vel litteras aut favorem Prælatorum, Principum aut aliorum procuraverint, ut aliqua natio aut persona promoveatur aut excludatur; qui libertatem aut sinceritatem electionis, juxta Institutum, directe vel indirecte impedire aut corrumpere conati fuerint; qui informationem studiose mendacem, in re gravi, mala cum intentione, dederint. Ambitiosi pro se vel pro aliis a solo Vicario ante electionem, vel post electionem a Generali absolvi possunt. Easdem censuras incurrunt qui in electione Vicarii ambiunt, aut cætera agunt quæ in hoc numero indicantur;

5° Qui falsis informationibus aut alio modo procuraverit ut vel ipse vel alius Assistens eligatur, aut alius excludatur (reservatur Generali).

II. — **Præcepta in virtute Sanctæ Obedientiæ.** — 1° Ut secre- 355
tum teneat, præterquam cum electoribus, qui grave quid in informationibus pro electione sive Generalis sive Assistentium intellexerit;

2° Ut Generali revelentur qui munus Assistentis pro se vel aliis ambierint, aut alios excludi curaverint;

3° Deputati ad detrimenta, Vicarius generalis, Secretarius, omnesque sive jure suo sive consilii causa ad hanc deputationem admissi, nemini prorsus, ne collegis quidem, nec ipsi generali Congregationi, deferentes manifestent, nisi ipsis volentibus;

4° In Congregatione Procuratorum, in re gravi, servetur secretum de iis quæ quis in informationibus, circa necessitatem Congregationem generalem cogendi, cognoverit, nisi cum iis qui suffragium habent;

5° Ne quis a die indictæ Congregationis provincialis[1], directe vel indirecte procuret ut ipse vel alius in electorem, Procuratorem, aut Substitutum eligatur, aliusve excludatur; et ne quis pro se suffragium ferat[2].

[1] Intelligitur dies *quo* Provincialis litteras misit ad Congregationem indi-

cendam, non ad *quem* eam indixit (*a.* 1639, et pluries « in quem sensum a P. N. correctum responsum quod nonnihil diversum datum fuerat.) »

[2] Non potest stricte ambitus damnari qui Patribus jus suffragii habentibus suadet ut Procuratorem non ex Rectorum numero eligant. Sed is male ageret et a R. P. N. in eum posset extendi pœna ambientium. (*a.* 1642.)

II. — Quoad Instituti conservationem.

356 I. — **Censuræ.** — Excommunicatur ipso facto et inhabilis fit ad beneficia et officia etiam regularia, qui Societ .tis Constitutiones seu Constitutionem Gregorii XIII, *Ascendente Domino*, impugnaverit directe vel indirecte. (Sanctæ Sedi reservatur. Gregorius XIII. *Ascendente.*)[1] Item qui quovis prætextu Constitutiones, decreta, Instituti substantialia impugnaverit aut mutari curaverit alia ac legitima via. (Gregorius XIV. *Ecclesiæ catholicæ.* Et cf. Paulus V, *Quanta Religio.* Et C. G., XX, act. 36, apud Oswald, n. 28.)

357 II. — **Præcepta.** — 1° Prohibetur ne quis sive extra sive intra Societatem, nisi de Generalis aut inferiorum Præpositorum licentia, glossas super Institutum, Constitutiones et alia in Bulla *Ascendente* contenta, faciat aut disputet, aut hujusmodi impressas aut scriptas legat, doceat, apud se retineat vel aliis tradat. (Gregorius XIII. *Ascendente.*)

2° Machinantes contra Institutum quam primum Generali revelentur, non secus ac complices. (C. G., V, 54.)[2]

3° Eodem decreto comprehenduntur Nostri omnes qui aliorum quorumcumque opera utuntur ad Societatem perturbandam. — Provincialibus præceptum imponitur ut in hujusmodi inquirant et Generalem moneant, nec minus fortiter quam fideliter in ea re munere suo fungantur.(C. G. VI, 2).

[1] « Nostri qui possunt absolvere a casibus papalibus, eadem auctoritate possunt absolvere sæculares qui peccassent contra Bullam Gregorii XIII, *Ascendente* » (*a.* 23 jun. 1590). Qua tamen ratione vigeat hæc censura quoad

externos deduces ex disputatis apud Commentatores de indole et vi bullæ *Apostolicæ Sedis*.

[2] Ad declarandum illud præceptum inservire possunt quædam de his quæ supra habentur de voto denunciandi ambitum. — Dicitur « qui resciverint » i. e. ex certa scientia aut ex fide digna auditione. — Denuncianda machinatio præterita, saltem si effectus adhuc perduret : et contrarium raro præsumendum erit. Ita ex Palao. (Tract. XVI, Disp. 5, Punct. 9, n. 11.)

III. — Quoad religionem et vota.

I. — **Quoad religionem** : 1° Quos Præpositus generalis e Societate dimitti judicaverit, etiam Professos, hi possunt ad quemvis Ordinem, etiam laxiorem, ab ipso præscribendum transire, de consensu illius Superiorum, ibique professionem emittere : ipsis inhibetur sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ne quid contra hoc privilegium attentare audeant. (Gregorius XIII. *Cum alias*.) 358

2° Excommunicantur ipso facto qui, post emissa vota, absque expressa licentia, prætextu cujuslibet indulti, ad sæculum redeunt. Reservatur Summo Pontifici aut Superiori Societatis (Pius V. *Æquum reputamus*).

3° Recedentes post tria vota simplicia sunt vere apostatæ; excommunicationi latæ sententiæ aliisque apostatarum pœnis S. Sedi aut Generali reservatis subjacent. (Gregorius XIII. *Ascendente*).

4° Qui post mandatum Superioris, intra octo dies non redeunt, excommunicantur, non secus ac ii qui iis auxilium vel favorem præstant. Provincialibus absolutio hujus excommunicationis per se vel per alios committitur. (Per communic., Comp. Priv., n. 39, 40.) Vide alia in Compendio Privil. ad V. *Apostatæ;* et hic ubi de dimissione, infra n. 380.

II. — **Quoad obedientiam**. — Nostris non licet appellare a Præposito generali aut Visitatoribus ab eo deputatis, a reformationibus et correctionibus eorum, nisi in generali Congregatione, et in 359

casu denegatæ justitiæ aut pro notoria injustitia; sub pœna excommunicationis Sanctæ Sedi reservatæ. (Concessum Cisterciensibus, cf. Comp. Priv., ad v. *Appellatio;* et sup. p. 2, c. VII, n. 151.)

360 III. — **Quoad castitatem.** — Prohibetur in virtute Sanctæ Obedientiæ, sub pœna excommunicationis, privationis lecturæ, vocis activæ et passivæ, inhabilitatis ad quælibet officia, aliisque pœnis pro arbitrio Generalis infligendis, ne quis in Societate, sive publice sive privatim, etiam ut tolerabilem eam sententiam ulla ratione doceat quæ tenet in re venerea, exiguam aliquam delectationem deliberate quæsitam aut admissam, propter levitatem materiæ excusari posse a mortali, aut placere eam significet, aut secundum eam consilium det. Qui alium hac in re delinquentem noverit, eum manifestare in virtute sanctæ Obedientiæ tenetur [1]. (P. Claudius, 24 apr. 1612. C. G., IX, 24.)

IV. — **Quoad paupertatem.** — Prohibetur Nostris in virtute sanctæ Obedientiæ ne ab ullo externo pro se vel pro aliis mutuam accipiant pecuniam etiam in pios usus expendendam absque expressa facultate Superioris. (C. G., XVI, 28.)

361 [1] Rursus P. Claudius, 29 apr. 1614, ubi ratio hæc additur : « Cum moraliter impossibile sit distinguere hic materiam levem a gravi » (*a*). Iterum P. Mutius : « Hæc propositio : *consensus deliberatus in delectationem veneream, ex objecto seu actu mortali obortus, videtur esse solum venialis ob parvitatem materiæ,* repugnat decreto Societatis; et nos cum theologis nostris eam permittendam et docendam in Societate nequaquam censemus. » (*a.* 30 sept. 1634. Prov. Rhen. Inf.) Exstat simili sensu responsum ad Prov. Austr. 3 nov. 1640 (*a*). — Violatio tamen hujus præcepti non est casus reservatus (1623) per se. — Insuper « qui absolveret in confessione pœnitentem externum tenentem opinionem de parvitate materiæ in re venerea non faceret contra decretum P. Claudii contra tenentes opinionem in Societate, cum confessarius possit et debeat talem absolvere. » (P. Nickel, ex Cons. cum Ass. et judicio Revis. — 22 febr. 1659, (*a*) ad v. *Opiniones scholasticæ,* I, 7.)

Nec prohibetur sententia quæ tenet dari quosdam actus qui, *secluso omni affectu delectationis venereæ,* excusari possunt a peccato mortali, etsi de facto plerumque graviter peccaminosi in materia luxuriæ sint habendi. Cf. Castro-

palao, Tract. XVI, Punct. 9, n. 8.) At de his attendenda damnatio sequentis propositionis (40ª inter 45 damnatas ab Alexandro VII, 1665, 1666) : « Est probabilis opinio quæ dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris et pollutionis. » Quonam porro sensu damnata sit hæc propositio, cf. Viva et Duarte (in hanc propos.), et apud Gury-Ballerini, n. 411, 413, 414 cum notis. Et eodem forte sensu intelligendum illud responsum : « Tactus et oscula impura esse solum venialia non licet docere, cum damnatum sit a Sede Apostolica » (*a.* 11 jan. 1606).

IV. — Quoad doctrinam.

I. — **De tyrannicidio** : Prohibetur in virtute sanctæ Obedientiæ, 362
sub pœna excommunicationis, suspensionis a divinis, inhabilitatis ad quævis officia et aliis Generalis arbitrio reservatis, ne quis publice vel privatim, sive legendo, sive consulendo, aut libros scribendo, affirmare audeat licitum esse cuique personæ quocumque prætextu tyrannidis reges occidere seu eis mortem machinari. Easdem pœnas et sui officii privationem incurrent Provinciales qui aliquid eorum resciverint nec emendaverint, aut non præcaverint incommoda contrarii, efficiendo ut hoc decretum sancte servetur (P. Claudius, 1 aug. 1614)[1].

II. — **De potestate Summi Pontificis in reges et principes** : 363
Ne de hoc argumento aut de tyrannicidio aliquid evulgetur quod Romæ prius non fuerit recognitum probatumque Provincialibus commendatur in virtute sanctæ Obedientiæ (P. Claudius, 2 aug. 1614).

Iterum idem prohibetur, et insuper ne de hoc argumento publice disputetur aut doceatur in scholis; quæ prohibitio publice legenda est Patribus et Magistris, et Revisoribus librorumque censoribus tradenda (P. Mutius, 15 aug. 1626)[2].

[1] Intelligit Palao hoc præcepto comprehendi casus tum principis legitime constituti et tyrannice agentis, tum principis tyrannice invadentis regnum, saltem si jam adeptus sit. (l. c. n. 9.)

[2] Proposita in C. G., XXIII, 14, postulatione de temperando P. Mutii præcepto, Congregatio, post prolixiorem disputationem, unanimi consensu, statuit totius rei curam Generali demandandam, quia agebatur de præcepto a Generali lato.

In Ord. pro trienn. philos. a P. Beckx edita asserenda est obligatio potestatis civilis attemperandi administrationem rei civilis emolumento Ecclesiæ. Et additur : « De potestate autem Ecclesiæ in ipsa regna temporalia, principes et magistratus, non agatur ; sed, positis quæ supra enuntiata sunt principiis, quæratur, debita tamen cum moderatione et prudentia, de nonnullis juribus vel factis particularibus, ut de libertate cultus, de jure Ecclesiæ possidendi et administrandi bona temporalia, de legibus civilibus contra crimina in religionem commissa, de placeto regio. »

V. — Quoad quædam alia.

364 I. — **In principum negotia publica et sæcularia,** quæ ad rationem Status pertinent se immiscere in virtute sanctæ Obedientiæ Nostris vetatur. (C. G., V, 47, 49.) Quænam sint hæc negotia, cf. C. G., VII, 46.

II. — **Externorum intercessiones** procurare, quæ liberam Superiorum gubernationem non relinquant, in virtute sanctæ Obedientiæ vetatur[1] (P. Mutius, 7 febr. 1643. — C. G., VIII, 24. — IX, 24. — X, 18). Hujus præcepti transgressio est casus reservatus Superiori (C. G., XVI, 17). Excipiuntur intercessiones eorum qui, ratione universalis regiminis in Ecclesia, etiam in Societatem auctoritatem habent (P. Oliva, 17 jun. 1662)[2].

[1] Comprehenduntur in hoc decreto procurantes per externorum intercessionem pulpita concionum (*a.* 1648). C. G., IX, 24, mitigavit illud præceptum, abrogando partem qua vetabatur admittere has intercessiones. Illa autem intercessio censetur non relinquere liberam gubernationem, quæ saltem difficile Superiori reddunt quominus pro suo judicio, juxta Institutum, de rebus ac personis disponat.

[2] De aliis quibusdam præceptis, olim impositis, sed hodie abrogatis, utpote non relatis in elencho authentico, cf. Castropalao, l. c.

CAPUT TERTIUM

DE DIMISSIONE E SOCIETATE ET TRANSITU

I. — **Causæ dimissionis**[1]. — In Genere. — Non idonei, dimittendi : attamen ut non faciles ad admittendum, ita neque ad dimittendum, imo minus oportet; i. e. major debet esse difficultas ad dimittendum aliquem ab aliquo gradu quam fuit ad eum eidem gradui cooptandum; et causæ eo graviores esse oportet, quo quis α) arctius corpori Societatis conjungitur; β) melius de ea meritus est; γ) aptioribus Dei donis præditus est. (Cst., II, 1, 1, A.) 365

[1] Quamvis *dimitti* generatim dicatur, qui exit solutus a voto, *ejici* vero, qui, manente voti obligatione, a consortio Societatis expellitur, nihilominus in stylo Instituti vox *dimissionis* indiscriminatim pro utroque casu adhibetur, quamvis re dimissio Professi sit vera ejectio (cf. Comp. Priv. ad v. *dimissio*).

Quæ hic loci referebat auctor hujusce libri, sub litt. A, in prioribus editionibus, de decretis Urbani VIII et Innocentii XII in ejectione Professorum observandis, jam omitti possunt ob rescriptum S. C. Concilii relatum in n. 160 Compendii Privileg. et de quo infra in n. 371.

Constitutiones reducunt dimissionis causas ad quatuor capita : honorem Dei, bonum Societatis, bonum subjecti simul et Societatis, jus extraneorum (II, 2).

In Specie. — 1° Quoad *novitios* : Dimittendi ubi experiamur ad majus Dei obsequium fore si in Societate non maneant, uti quando apparet eos aliquando e Societate dimittendos. Provincialis non se exhibeat in dimittendo difficilem; nec exspectandæ culpæ graves. (Cst., II, 1, A. — R. Pr., 41. — Ins., VI, 2.) 366

2° Quoad *religiosos non formatos* : Causæ dimissionis rationa-

biles, et justissimæ semper sunt; sed aliquando culpam supponunt, aliquando non. (Ex.. VI, A. — Cst., II, II.)

Primi generis causæ sunt : Malum exemplum [1] ; seminatio discordiarum; moliri aliquid contra Societatis bonum. Ubi tamen causa esset non tam culpæ gravitas quam periculum offendiculi pro aliis, posset aliquando reus mitti ad alium Societatis locum valde remotum. (Cst., II, II, 3, D. — VIII, I, 5, F. — C. G., V, 54.) Pravi affectus et vitia contra divinum honorem quamvis aliis non noxia [2] (Cst., II, II, 2. — X, 7, C); insubordinatio obstinata aut importunitas in dimissione petenda. (Cst., II, II, 4. — C. G., VII, 22. — XII, 12. — Or., XII, 6.) [3]

Secundi generis : Impedimenta in examine reticita, præsertim si sint essentialia (Cst., II, II, 3, 5. — Ex., II, 7); insignis inaptitudo (C. G., V, 50), sive contingat ex infirmitate corporea vota antecedente (nam si plane subsecuta est, invitus non dimittetur [4]; nec ita facilius dimittetur, si cum antecedenti admissus fuit nulla conditione experiundi, — Ex., VII, 2. — Cst., II, II, 4, B. — C. G., V, 50), sive contingat ex debilitate ingenii; quamvis, post vota, ubi hæc inutilitas non est conjuncta cum aliqua culpa, debeat ex æquitate consuli Generalis. (Ex., VII, 2. — Cst., II, II, 3, 4. — IV, 6, N. — C. G., V, 50.) Jus tertiæ personæ, ut parentum, conjugis, etc... (Cst., II, I, 5.) [5]

3° Quoad *religiosos formatos*. — Eo graviores, ex dictis, quo arctius conjunguntur : ipsi Professi dimittendi, si retineri sine Societatis detrimento aut divini obsequii nequeunt, uti sunt contumaces et incorrigibiles. (Cst., II, 1, A, B.)

In dubio an quidam defectus tolerari debeant necne, cum res pendeat ex multis circumstantiis, consulatur Deus in oratione et ii qui ad consilia magis idonei erunt. (Cst., II, 2, A.)

367 [1] Ob tactus impudicos cum alio merito quis dimitti potest; prima vice tamen, si absit scadalum, Generalis sententia exquirenda est (*a.* 1590). Qui provocatus consentit in pari ratione est, si res per tertium innotescat. « Cum vero res est occulta, et alter complicum se Superiori aperuit, nullo modo hic dimittendus est : sed similiter Generalis consulendus est; alioquin nec ille teneretur

se manifestare, nec Societas haberet similium casuum notitiam. » (*a.* P. Nickel ad Prov. Mexic., 1560.) Ad hunc etiam recurrendum est cum hujusmodi homines urgent regressum in Societatem (*a.* 1596.) Scholasticus qui nequit, tuta conscientia, promoveri ad SS. Ordines, nec speratur emendandus, non debet permanere in Societate. (P. Beckx, in litt. privat. ad P. X.).

[2] Nemo dimitti debet ob culpam de qua convictus non est (*a.* 1640), aut quam sponte, aut in confessione vel in ratione conscientiæ aperuit Superiori (*a.* 1586, 1630); nisi ipse confitens petat dimissionem (*a.* 1631). Et iterum 1635 (*a*) : « Ob delictum ex sola confessione aut quod se jussu confessarii stiterit cognitum, nullus potest dimitti, nisi etiam alia via innotescat. » — « Insuetum est dimissionem a Societate concedere per arcanum confessionis sacramentalis eam petentibus » (*a.* 1642). Et revera hæc secreti via parum cohæreret cum C. G., VIII, D. 22, quo petentes dimissionem ob causas occultas jubentur eas aperire Provinciali et immediato Superiori, si ita P. N. visum fuerit. Si quis autem crimen falsum fingat ut facilius dimittatur, ex hoc quidem capite dimissio nulla est (*a.* 1631, 1840). Declaravit tamen P. Claudius (*a.* 1613) et confirmavit P. Mutius (2 oct. 1640), suam mentem esse hujusmodi simulatores, ob hanc ipsam fictionem omnino dimittere.

Si unius testimonio nitatur accusatio, nec ipse confiteatur, nisi alia sint indicia, aut ipse adeo religiosus non sit, a dimissione abstinendum est (*a.* 1590).

[3] Propter solam malitiam non manendi in Societate nemo dimitti debet, nisi concurrant aliæ causæ vel eadem malitia judicetur sufficiens causa dimittendi (*a.* 1591). Dimittendi tandem sunt Scholastici præclarioribus ingenii dotibus prædíti, qui religioso spiritu carent; sed prius tentandæ erunt omnes viæ ad eos corrigendos : si nihil possit mansuetudo, ad duriores probationes veniendum erit : aut, aut... (*f.* mart. 1846).

[4] Neque debet hujusmodi infirmus ad dimissionem petendam induci 368
(*a.* 1617, 1622). Imo nec ipsi concedi debet, si nec patrimonium nec beneficium unde sustentari queat, habeat; « quia non est caritatis nostræ exponere quemquam extremæ inopiæ » (*a.* 1646). Neque debet quis dimitti ob morbum caducum, etsi quædam ejus signa tempore novitiatus dederit, si ad vota admissus est (*a.* 1617), nisi sponte petat (*a.* 1637, 1639). Sed hujusmodi ad petendam dimissionem minime obligandus est, licet ordinari non possit (22 feb. 1876).

Ob defectum vero cerebri non debet dimitti invitus (*a.* 1620, 1637, 1655), nec inducendus ullo modo ad petendam dimissionem. « Hoc enim esset mala fide agere. » Sed cum caritate fovendus (*a.* 1626, 1634, 1637). Imo nec dimittendus ille qui eo morbo in Societate contracto et capitis perturbatione crimen aliquod commisit (*a.* 23 mart. 1622). Si in lucidis intervallis petat, et parentes contenti sint, dimitti potest (*a.* 1640). « In dimittendis illis qui ex defectu involuntario cerebri et ob periculum maniæ etiam petentes dimissionem videntur dimittendi, non tam attendendum est ut Societas onere libe-

retur quam quod illis utilius futurum sit : hoc enim charitas postulat. » (*a.* 1660, 1613). Præstabit quandoque hujusmodi infirmos parentibus petentibus tradere, monendo eos de Societate esse et remitti posse (*a.* 1631). Nec dimitti debet Novitius qui Superioris imprudentia morbum in Novitiatu contraxit (*a.* 1586).

[5] Extrema parentum necessitas est juxta omnes causa sufficiens discedendi a Religione, si adsint tres conditiones a P. Claudio requisitæ (1610) : 1° Ut revera existat hæc necessitas ; 2° ut a filio exeunte parentes adjuvari possint ; 3° ut possibile aut utile non sit eos aliis mediis adjuvare, filio remanente in Societate. *Gravis* necessitas, quamvis de se exitum ab Ordine non exigat, potest dimissionis causa esse, aut aliis mediis sublevari, prout Superiori videbitur, cujus judicio omnes stare promiserunt. (Ex., III, 3.) Professus ad succurrendum extremæ necessitati parentum absque Sanctæ Sedis licentia exire nequit, nec stipendia pro missis accipere (*a.* 1652).

369 II. — **Quinam dimitti possunt.** — Dimitti omnes possunt etiam Professi cujuscumque gradus et dignitatis in Societate sint; eo tamen difficilius quo arctius Societati obstringuntur et quo majora in eam contulerunt beneficia, aut majoribus Dei donis pollent. (Cst., II, I, 1, A. — II, III, A. — IX, IV, 7.)

III. — **Quinam dimittere possunt.** — Dimittere possunt : 1° Congregata Societas; 2° Generalis in omnibus quæ ad ipsum non spectant; 3° Hi Superiores, sive provinciales sive locales, quibus Generalis facultatem tribuerit per patentes litteras, nec secretis litteris eam limitaverit. (Cst., II, I, 2, B. — IX, III, 1. — Or., XII, 1.) Provinciales communiter eos omnes qui in prima et secunda Probatione sunt, dimittere possunt, etiamsi vota devotionis emisissent, exceptis iis qui a P. Generali admissi fuissent, aut essent de Societate bene meriti. Hos, sicut et Scholasticos et Coadjutores non formatos, Provinciales nonnisi in casu urgenti, statim monendo Generalem, possunt dimittere[1]. (R. Pr., c. v.)

Coadjutores formati nonnisi a Generali dimitti possunt, exceptis remotissimis locis ubi hanc facultatem alicui commisisset, ob causas gravissimas [2]. Professos solus Generalis potest dimittere. (Cst., II, I, 2, B, C. — Or., XII. — Reg. Prov., 40, 43.) [3]

370 [1] Nullo casu etiam urgente licet Superiori locali aliquem post vota biennii dimittere (*a.* 1622).

Facultas aliquem dimittendi data Provinciali post annum exspirat, si ea usus non fuerit (*a.* 1601 et pluries). Imo nova peti debet si quis prioribus defectibus emendatis, in novos incidat (*a.* 1617). Secus si ob spem emendationis servatus hanc spem fallat et dimissionis causa perseveret (*a.* 1629). Casus urgentes in quibus non graduatum dimittere licet, ii sunt in quibus Generalis responsum sine gravi et præsenti periculo aut infamia notabili Societatis exspectari nequit (*a.* 1672).

In similibus casibus Magister Novitiorum Novitium dimittere potest (*a.* 1649); facilius si ipse dimittendus petat.

[2] Hæc facultas Coadjutores formatos dimittendi etiam pro remotissimis partibus ex. gr. pro insulis Philippinis Provincialibus negata est (*a.* 1578, 1633, 1841).

Quænam causæ requirantur ad dimittendum Coadjutorem formatum expendit Suarez, l. VII, c. II, n. 12. Et cf. p. 3, c. x, ubi de Coadjutoribus formatis, supra n. 191.

[3] Quoad Professos certum est eos dimitti posse. Certum est insuper in horum 371
dimissione non obligari Societatem ad servandam formam per decretum
Urbani VIII et Innocentii XII præscriptam, non obstante sententia contraria Lugonis et Benedicti XIV (*De Syn.*, l. XIII, c. XI, n. 26.) Id enim expresse declaravit S. C. Concilii, cujus resolutionem esse authenticam compertum est in Comp. Priv., n. 160 (Edit. noviss.). Imo, nec tenetur forma per Congr. EE. et RR. die 4 nov. 1892 præscripta. Cf. infra, n. 373.

Causam autem dimittendi Professum indicant Constitutiones detrimentum divini obsequii aut bonum commune Societatis, et exemplum afferunt contumaciæ et incorrigibilitatis (II, 1, B). Anno 1598, P. Aquaviva, consultis Assistentibus, rescripsit : « Professi dimitti possunt inviti, duobus dumtaxat in casibus, vel quando sunt incorrigibiles vel quando delictum est valde scandalosum et sufficienter probatum (*a*). »

Nec vix aliter Suarez qui incorrigibilitati addit culpas graves (L. XI, c. I). Hic autem rem ita pressius determinat. Ubi culpa commissa fuerit ante professionem, nec sit periculum relapsus, non licet ejectio, nisi re evadente publica, non aliud sit remedium scandali. Si culpa commissa fuerit post professionem facilius locus erit dimissioni ob majorem Societatis injuriam et minorem spem emendationis.

Insuper poterit accidere casus dimissionis (materialis) ex titulo nullitatis, ob impedimentum essentiale detectum aut etiam accidentale hujusmodi quod si notum fuisset, voluntas admittendi defuisset. At ex hoc capite nequit Professus sua auctoritate exire, neque Superior regularis solus aut extrajudicialiter invaliditatem professionis declarare; sed omnino pertractanda erit causa nullitatis ad tramitem Const. Benedicti XIV *Si datam* (mart. 1748) Cf. Comp. Priv., 50, 55. Si tamen non posset probari nullitas aut causa ad forum externum deduci, vel si alia ratione judicaret P. Generalis consentiendum ut remaneret Professus in Societate, posset revalidari actum oppor-

tunis dispensationibus, aut per ratihabitionem ex nunc, aut per sanationem in radice (Cf. DD. in l. III, Decret., t. XXXIV).

372 IV. — **Quid observandum ante dimissionem.** — Forma judiciaria non est in Societate obligatoria, etiam quoad Professos[1]. (Gregorius XIV, *Ecclesiæ catholicæ*. — S. C. Concilii in Comp. Priv., n. 160.) Quod denuo, non obstante decreto S. Cong. EE. et RR. die 4 nov. 1892 dato, confirmavit Leo XIII, per oraculum vivæ vocis, in actis ejusdem S. Congregationis relatum die 19 aprilis 1893[2]. Neque formulam ad hoc compositam firmare suo decreto aut inseri corpori Instituti voluere Congregationes. (VI, 45. — VII, 94.) Retinendus ergo modus in Instituto præscriptus. Provincialis oret et orari curet, exploret an objecta vera sint, an satis gravia, an Superiores curationem adhibuerint sufficientem per Exercitia spiritualia, audiat sententiam Superioris illius domus, in qua commissum delictum, aut unde prodiit accusatio, etc. Peracta informatione, exquirat judicium Consultorum Provinciæ, aut, si res urgeat, domus ubi tunc degit, et mittat informationem ad Generalem de conditione, ætate, muniis, peccato, remediis adhibitis, et judicio suo et Consultorum. (Cst., II, II, A. — III, III, A. C. — Or., XII, 4.) Ipse Generalis oret, Assistentes ut plurimum consulat, et statuat quod expedit ad majorem Dei gloriam, et commune ac particulare bonum. (Cst., II, III, 4. — Or., XII, 8.)

Ubi vero causæ occultæ esse debent, qui potestatem habet, re Domino commendata, et iis consultis quos oportebit, statuat. (Cst., II, III, A.) Admonentur vero Superiores, nisi diligenter hac in re Ordinationem XII observent, neque conscientiæ suæ neque Constitutionibus se satisfacturos. (Or., XII, 1.)

Castigandi sunt ante dimissionem, qui id merentur, imo et ubi usus id fert, includendi, non passim, sed ubi ratio scandali id exigeret, nam, quantum fieri potest, dimissio sine dedecore fiat[3]. (Cst., II, III, 6, 7. — C. G., VII, 22. — Or., XII, 15.)

373 [1] Dubitat P. Mélot (n. 95) utrum exempta sit Societas a forma Urbana solum in ejectione Professi, an etiam in dimissione ipsius. At ex Comp. Priv. (ad v. *Dimissio*) non videtur admittenda hæc distinctio. Et certe jam non est

admittenda post rescriptum 19 aprilis 1893, de quo in nota sequenti : ibi enim fit mentio expressa tum de ejiciendis tum de dimittendis.

[2] Ecce hujus oraculi authenticum testimonium « R^mus P. Præpositus generalis Societatis Jesu in audientia particulari Sanctum Patrem supplex rogavit, ut non obstante decreto S. Congregat. Episcoporum et Regularium dato die 4 nov. 1892, Societas in expellendis seu dimittendis propriis alumnis, etiam Professis, procedere possit, ut hucusque factum est, juxta methodum statutam in propriis Constitutionibus, confirmatam Litteris Apostolicis, et præsertim Constitutione *Ecclesiæ catholicæ* edita anno 1591 a S. P. Gregorio XIV. Sanctitas Sua ratione habita prædictarum Litterarum Apostolicarum, et Brevis *Dolemus inter alia* diei 13 julii 1886, quo eadem Sanctitas Sua agnoscit et confirmat privilegia Societatis, benigne dignatus est annuere votis præfati P. Generalis, ex eo magis quod, attentis prudentioribus normis et cautelis quæ adhiberi solent in expellendis et dimittendis membris Societatis, juxta vigentem methodum, affirmari potest supradictum Decretum S. C., si minus materialiter, at quoad spiritum formaliter servari. S. C. EE. et RR. certior reddita hujus benignæ concessionis a S. P. factæ illam in acta retulit. A. S. Congr. Ep. et Reg. die 19 aprilis 1893. I. Card. Verga, Præf., etc. »

[3] Juvabit aliquoties eos alio ablegare sed monendi erunt Superiores ad quos mittuntur. Certe publicis ministeriis minime exponantur. (Or., XII, 9, 10. — R. Prov., 117.)

Flagitantes dimissionem nec semper retinendi sunt, nec nimis 374
facile dimittendi (Or., XII, 6) [1]; sed eam petentes nulla justa apparente causa (cum alioquin idonei ad Societatem judicantur), si Superiorum monitis non acquiescant, Provinciali causas omnes aperire teneantur, cum propriæ manus subscriptione et affirmatione nullam aliam causam superesse. Has Provincialis cum suo et Consultorum judicio Præposito generali transmittet [2]. Si Generalis eas insufficientes judicet, imponatur sub præcepto Obedientiæ silentium; et si non obtemperent, puniantur et eis significetur se mortali culpæ subjacere. Si necesse sit eos dimittere ob solam importunitatem, imponatur conditio transeundi ad aliam Religionem, in litteris patentibus inserenda; ac rarissime tales dimittantur simpliciter liberi. (C. G., VII, 22. — XII, 12.)

Qui externos de sua dimissione, inconsulto Provinciali, consulunt aut eorum ad eam obtinendam utuntur patrocinio, violant præceptum Obedientiæ et excommunicantur, censura Provinciali

reservata [3]. Qui dimissionem causis fictis aut peccatis eo animo patratis obtinent, subjacent omnibus apostatarum pœnis, et nullo modo sunt in conscientia tuti, cum dimissio sit irrita. Qui causas secretas obtendunt, teneantur eas alicui Patri aperire, qui super illis sententiam suam ad Generalem rescribet; si renuant, careant omni spe dimissionem obtinendi [4]. (C. G., VII, 22. — XII, 12.)

375 [1] Adjuvandi sunt ad egrediendum quando Societati expediens videtur eos dimittere; at si ex tentatione petant, in vocatione sunt stabiliendi (*a.* 1611). Advertendum valde faciles fuisse in dimittendo tum S. P. N. Ignatium, tum S. Franc. Xaverium (*a.* 1636).

[2] Causæ dimissionis etiam occultæ ordinarie exponendæ sunt Consultoribus Provinciæ ad eorum consilium exquirendum nisi ratio specialis obstet (*a.* 1647). Dimisso rationes cur dimittatur omnino explicari debent (*a.* 1639).

[3] « Potest R^a V^a facere alicui subdito potestatem agendi per externos de sua dimissione, et eamdem per eosdem procurandi, quando in casu particulari judicat id expedire in bonum subditi et Societatis » (*a.* P. Nickel, Prov. Flandr. Belg., 13 maii 1656).

[4] Igitur ii soli tuti in conscientia sunt qui ita petunt dimissionem ut parati sint judicio Superiorum se submittere (*a.* 1590, 1612). Qui omnino deserere statuit, absolvi nequit, peccat enim contra votum (*a.* 1600, 1612). Nec hujusmodi vota renovare debet, modo scandalum absit (*a.* 1622). Minime tuti sunt in conscientia ii qui dolo usi sunt ad dimissionem impetrandam. Debent proinde se denuo Societati offerre, quæ si eos accipere nolit, prorsus liberi erunt (*a.* 1575). Ubi autem nulla fuit deceptio aut dissimulatio, etiamsi nimia importunitate peccatum sit, dimissio pro valida haberi potest (*a.* 1575). Si tamen suæ conscientiæ consulere volunt ii qui per minas et improbitatem suam dimissionem extorserunt, redibunt et Superioribus humiliter se sistent. Si vero Societas ipsos recipere nolit omni scrupulo vacabunt (*a.* 1606). Omnem itidem scrupulum deponere possunt ii qui bona fide dimissionem postulantes, causam falsam obtendunt credentes veram esse (*a.* 1653).

376 V. — **Quid observandum in dimissione.** — Dum de alicujus dimissione agitur, is domi contineatur. Dimissio fiat sine dedecore et cum maxima, quoad fieri poterit, dimissi consolatione; imo dirigatur, juvetur, declaretur ei se esse liberum, reddatur quod attulit, et præterea pro iis quæ Societati dederit, id quod Superior judicaverit [1]. (Cst., II, III, 5, 6, 7, B. — II, IV, 3.) Quoad scripta quæ asportare permittantur, consideratione opus est. (Reg. Prov., 44.)

[1] Certe nihil ex jure debetur ex iis quæ donata fuerunt, nisi forte ex æquitate alimenta in casu egestatis, juxta ea quæ habent DD. ubi de revocanda donatione ob ingratitudinem. Hac tamen in re vitandum est scandalum, et simul cavendum ne aliis causa detur facilius resiliendi (*a.* 1623, 1639). Cf. Suarez, t. IV, tr. 8, l. III, c. XIV, § 21. — Sanchez, t. II, l. III, c. I, n. 34; Castropalao, apud P. Oswald, n. 631. Sæpe amica pactione res erit componenda (*a.* 1625, 1647). Non videntur reddendi fructus ex bonis donatis percepti (*a.* 1623), nec ea quæ post donationem bonis donatis accreverunt (*a.* 1622). Qui animo deserendi Societatem post studia ingressus esset, deberet restituere expensas; non tamen ideo intentare litem Societas solet, sed eos sui officii admonet (*a.* 1648).

VI. — **Quid post dimissionem.** — Post dimissionem si quid 377
perturbationis in alicujus domestici animo maneret, ratio reddatur, non declarando tamen defectus non publicos; nemo e Nostris male affectus erga dimissum sit, sed omnes eum Domino commendent. Si tamen Nostris aut etiam externis causæ dimissionis innotuerint, detur opera ut ejus dimissio scandalum reparet, et alii ex ipso documentum accipiant. (Cst., II, III, 8, 9, 10, C.) [1]

Si causæ occultæ sint, Consultores Superiorem non accusent quod ipsis nihil communicaverit, sed ab eo petant quid causæ reddi oporteat. (Cst., II, III, A. — Or., XII, 7.)

Declaratum est nihil obstare ex parte Societatis quominus legitime dimissi post simplicia vota ad beneficia quælibet [2] admittantur (C. G., IX, 30. — Comp. Priv., n. 162); nec a nostris universitatibus, ubi scandalum non timeretur, excludendi sunt [3]. (C. G., I, 119.) Dimissos nec Societas [4] nec Episcopi alere tenentur. (C. G., II, 77. — VII, 3. — Benedictus XIII, *Injuncti*.)

Dimissi vero et ejecti, in Ordinibus sacris constituti, sive vota 378
emiserint solemnia sive simplicia, perpetuo manent suspensi donec a S. Sede alio modo eis consulatur; ac præterea Episcopum benevolum receptorem invenerint et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint. Qui vero in sacris Ordinibus constituti et votis *simplicibus* obstricti, *sponte* dimissionem a S. Sede petierint et obtinuerint, vel aliter ex apostolico privilegio a votis simplicibus *dispensati* fuerint, ex claustro non exeant donec Episcopum benevolum receptorem invenerint *et* de ecclesiastico patrimonio sibi

providerint; secus suspensi maneant ab exercitio susceptorum ordinum. Ita ex decreto S. C. Episc. et Reg. 4 nov. 1892. In hac vero parte decreti comprehendi alumnos Societatis Jesu declaravit Leo XIII, 10 sept. 1894, ut constat ex litt. R. P. Martin, 12 dec. 1894. Utrum vero quis censendus sit ejectus, an potius dispensatus ad sensum hujusce decreti, « ejus rei judicium ex causis pendebit, propter quas e Societate quis dimittitur. » Et in priori casu litteræ dimissionis hunc in modum concipiantur : « Liber quidem a votorum obligatione per nos dimissus est; subjacet tamen dispositionibus decreti *Auctis admodum* S. Congregationis Episcoporum et Regularium die 4 nov. 1892 editi. » (R. P. Martin, ibidem.)

379 [1] De dimissis a Societate scribebantur olim communes, non secus ac pro defunctis (*a.* 1648) et catalogo inscribebantur (*a.* 1620).

[2] Dimissione legitime peracta, liberi sunt Religiosi non formati, necnon et Coadjutores formati. Solutio obligationum fit in actu ipso dimissionis. In quo præcise consistat ille actus « quæsitum et disceptatum fuit in C. G., X, act. 3, n. 2; sed nihil conclusum, nisi ut in particularibus casibus consultetur Generalis » (*a.* P. Nickel, 1661).

Hæc de non Professis. At aliter res se habet de Professis. Ipsorum enim ejectio, seclusa dispensatione S. Sedis omnino speciali, non exstinguit votorum obligationes sed eas ex parte suspendit et ex parte quoad observantiæ rationem modificat. In specie, quoad paupertatem, Professus remanet inhabilis ad sibi acquirendum et solummodo ipsi conceditur usus et administratio rerum temporalium prout id exigit ipsius status. Nec solvitur votum simplex de non acceptandis dignitatibus : imo facultas dispensandi in eo non intelligitur comprehensa in concessione generali. (Urbanus VIII, *Honores,* 1643.) De aliis votis simplicibus cf. Suar., l. XI, c. III, n. 5).

Insuper Professo suis culpis ejecto prohibetur ne doceat, prædicet, confessiones audiat. Quæ si temere attentaverit, potest Provincialis in ipsum promulgare excommunicationem (Comp., n. 161). De dispensatione quæ *sæcularizatio* dicitur, cf. P. Oswald, n. 126.

[3] Licet non fuerit prohibitum quin unus e NN. edendis operibus alicujus Professi qui Societatem deseruerat operam daret, commendatum est tamen ut hanc suam cooperationem occultam teneret; cum maxime contrario intersit ut tota nostra agendi ratione talis desertionis horrorem inculcemus (19 nov. 1876).

Potest alicui ea conditione dimissio concedi ut in certis locis non remaneat; et si eam conditionem non servet potest conveniri ex pacto, minime vero ex

obedientia quam nobis amplius non debet (*a.* 1637). Hæc quidem de non Professis.

[4] Sacerdoti dimisso nihil debetur; decisiones vero contrariæ S. C. Conc. Trid. prohibitæ sunt et nullius roboris (*a.* P. Mutius ad Prov. Camp., 1628); et an. 1662, eadem Congreg. Episcopis Indiarum Occidentalium petentibus utrum Professi ejecti suspensi essent ab Ordinibus juxta decr. Urbani VIII de ejectis (21 sept. 1624) et utrum Societas teneretur ad eos sustentandos, respondit : *Nil innovandum*, ut notatur in lib. (*a*) cc. AA. Videat tamen Provincialis utrum a Collegio vel Provincia ubi servivit aliquid dimisso dari non conveniat (*a.* 1594).

Expensæ dimissionis regulariter a Collegio in quo causa posita est fieri debent (*a.* 1646, etc.). Si tamen hunc locum deseruerit, domus a qua discedit has expensas repetere poterit (*a.* 1640). Deinceps statutum est ipsam Provinciam hos sumptus sustinere debere (*a.* 1661, 1665).

VII. — **De fugitivis et apostatis.** — Profugos reducere non est 380
curandum, sed potius ad aliud Institutum dirigendi sunt, voto relaxato. (Cst., II, IV, 4.) Maxime si alium Ordinem ingressi fuerint; nisi ex tentatione recessissent et alias essent idonei; tunc enim fiet quod charitas suadebit; sed advertendum raro hujusmodi homines idoneos esse. (Cst., II, IV, 6, 7, 8, D. — Or., I, 2.)

Qui ad Generalem proficiscuntur sine patentibus, ad Provincias remittendi et puniendi sunt; sive vero egressi, sive dimissi, in variis Collegiis non sunt recipiendi, nisi de consensu Generalis, aut dimittentis, aut Superioris loci dimissionis, vel forte momentanee tanquam hospites. (C. G., VII, 4. — Cst., II, IV, 1, A. — Reg. Rect., 79.)

Apostatæ incurrunt ipso facto excommunicationem latæ sententiæ S. Sedi aut Generali reservatam (Comp., n. 37); fugitivi vero nemini reservatam (C. G., IX, 27) : quæ tamen et ipsa reservatur Generali, si post mandatum cujusvis Superioris ipsis factum, intra octo proximos dies ad obedientiam non redierint. (Comp., 39.) Eamdem censuram incurrunt, eodem modo reservatam, qui auxilium, consilium aut favorem præstiterint apostatis, aut, cum pari limitatione, fugitivis, saltem si hi cooperatores sunt de Societate : sæculares vero regularesque extranei, cum dubium sit utrum hæc pœna adhuc pro ipsis vigeat, recurrant pro decla-

ratione ad S. Officium aut Pœnitentiariam. (Comp., 39, 40.) Apostatas insuper et fugitivos potest Provincialis sententia excommunicationis notare, et Ordinarios requirere pro publica hujus censuræ denunciatione. (Comp. 42.) Imo si non degant in aliqua Religione, sed in sæculo vagentur, valet eos excommunicare ipse Superior (i. e. Rector aut Præpositus Domus professæ). Ita ex comp. 45, coll. cum præfat. At Provincialis et Superior discrete utantur hac potestate. (Comp., 43, 45.)

Postquam vero desertores redierint, communicatur Provinciali facultas eos ab his censuris sive per se sive per alium absolvere. (Comp., 40.)[1]

[1] De jure communi, apostata : *a*) recipiens Ordinem in apostasia, est ab ipso suspensus ; *b*) durante apostasia, caret omnibus privilegiis sui Ordinis. Utrum tamen hæ pœnæ, utpote nominatim non innovatæ in bulla Piana, adhuc subsistant, controvertitur (*Cf.* Santi, l. V, t. IX). Ratione vero sententiæ judicialis aut pœnæ infamantis, potest contingere ut reus contrahat infamiam et exinde irregularitatem aliosque effectus infamiæ adnexos. (C. G., XVI, 12. — XVII, 6. — Form. C. Prov., n. 10). Si quis vero ad Rectoratum eveheretur, hæc ejus promotio infamiam tolleret et vocem activam et passivam, si ea fuisset privatus, restitueret (*d.* P. A., 13 maii 1853).

381 VIII. — **De transitu ad aliam Religionem.** — 1° Transitus ad aliam Religionem, etiam laxiorem, concedi potest a Generali cuilibet, licet Professo ; his quoque quos dimittendos a Societate judicaverit, præscribendo eis Ordinem ad quem fiat transitus. (Gregorius XIII, *Cum alias.* — Suarez., l. XI, c. II.)

2° At sine expressa Præpositi generalis licentia aut S. Sedis, prohibitus est transitus, *etiam* ad Carthusiam (Comp. Pr., n. 530) ; imo transitus ad Hospitalarios Militaresve requireret consensum ipsius S. Sedis. (Ibid., 53.) Ut autem legitime fiat transitus, oportet ut Generali antea constet Religionem esse paratam ad recipiendum transeuntem ; et ut ille ad eam recta se conferat. (De his aliisque observandis, cf. DD., l. III, Decret., t. XXXI.) De pœnis illegitime transeuntium aut ingressum in alteram Religionem nimis protrahentium, cf. supra, ubi *de censuris*, et Comp. Priv. ad v. *Apostata* et *Transitus*.

3° Si facta nova professione, ex secundo Ordine religiosus recesserit, nec ad Societatem sed ad seculum redierit, aut ad aliam tertiam laxiorem transierit, potest Provincialis Societatis animadvertere in ipsum tanquam apostatam. (Comp., 533, 535.) Transitus vero ad tertiam Religionem nequit legitime fieri, nisi de licentia S. Sedis et observatis clausulis a Clemente X præscriptis (*Cum dudum*), ad quam observantiam prudenter agat Provincialis. (Comp., 534, 535.)

PARS SEPTIMA

De ministeriis sacris.

CAPUT PRIMUM

DE VERBO DEI

I. — **Hujus ministerii momentum.** — Verbi divini prædicatio 382
unum est ex præcipuis Societatis ministeriis. (Litt. Apost. Pauli III, Julii III, etc.) Ab ipso Summo Pontifice ipsi commissum ubivis, atque adeo in plateis, exercendum; per idoneos, quamvis forte non constitutos in sacris ordinibus, a Provinciali aliove ejus commissione deputandos; at dummodo non renuant Episcopi locorum (Paulus III, *Cum inter.* — Gregorius XIII. *Vigore privilegii.* — Comp. Priv., n. 447, sqq. — Clemens X. *Superna,* 1670) Cf. scholion, infra, n. 388.

II. — **Ad concionatores formandos,** eligat Provincialis [1] eos qui 383
majorem aptitudinem præ se ferunt atque in humilitate bene fundatos, ut a philosophia ad theologiam opportune transeant. (St. R. Prov., 26, 27.)

Hi post studia per biennium Sacræ Scripturæ et Patrum studio ac sanctæ meditationi vacent. (Ins., II, 7.) In locos communes

redigant ea quæ ad vitia et virtutes pertinent, præceptiones videant et optimos concionatores audiant. (Cst., IV, VIII, 3, C. — Ins., II, 6, 7.) Correctionem libenter patiantur et optent; ipsi se examinent quoad voces, gestus, etc. (Cst., IV, VIII, C.)

Ipso studiorum tempore scholastici singulis dominicis et festis inter cœnam per vices concionentur, biduo ad parandam concionem impenso. Exerceantur in tonis [2], ubi vel ad Nostros vel ad sæculares sermonem dirigant; a Præfecto sive post concionem, sive in ipsis tonis, corrigantur, et unusquisque juxta suum proprium modum apte instituatur. Tempus tamen in concionibus aliorum describendis nullo modo consumant. (Cst., III, I, 5, 21. — IV, VIII, 3, C. — C. G., VII, 80, 6, 7. — Ins., II, 1, 2, 3, 4, 5, 6.) [3]

Horum observantiam et præsertim ea quæ habentur de idoneis in labore Collegiorum diutius non retinendis, de biennio et de bono correctore, enixe inculcavit C. G., XXIII, 29.

384 [1] Ii qui ad concionandum aptiores videntur non sunt diutius in Collegiis detinendi; expedit vero juniores præsertim sacerdotes non statim prædicationi applicari, ne a docendo nimis abhorreant (*f.* 14 sept. 1833). Ut juniores Patres dicendi facultate præstantes melius formentur, emerito alicui concionatori adjungi poterunt, qui eos in parandis et habendis concionibus dirigat (*c.* Lugd. 1868). « Je vous recommande tout particulièrement le soin de ceux parmi les jeunes PP. et FF. qui ont du talent pour la prédication. Beaucoup se sont gâtés, pour toujours, pour avoir été trop tôt exposés à parler sans préparation. » (P. Roothaan ad Rect. Vals., 28 apr. 1834.) Munus Præfecti alumnorum (surveillant), si diutius exerceatur, profectum quidem in studiis difficiliorem reddit, sed ad gubernandi artem ediscendam confert (*d.* 4 jul. 1875). Cf. tamen P. Beckx Collegiorum dispersionem, ob hujusmodi incommoda, ad Dei providentiam referentem (Encycl. 16 jun. 1861).

[2] Ad tonos tum faciendos tum audiendos obligantur omnes qui actu student (*a.* 1631); minime vero eximendi sunt theologi quarti anni Ordinibus initiati; imo tunc maxime ad concionandum parandi sunt (*a.* 1617). Non est opus ut extra Novitiatum formula communis semper recitetur (*a.* 1621). In Collegiis toni communes omitti possunt (*a.* 1590). Item in Germania, cum experientia doceat ingenia Nostrorum illic iis non juvari (*a.* 1590). Ubi pauciores sunt quam decem Scholastici, toni non sunt ordinarie habendi (*a.* 1592). In corrigendis publice iis qui se tonis aut concionibus exercent, ita eorum instructioni consulatur ut vitetur mortificatio (*a.* 1564). Ad id porro vitandum,

vetuerat S. Franciscus Borgia ne aliquid in ipsis præter doctrinam reprehenderetur. Et in Ins. II, commendatur ut suaviter et amanter fiat correctio, et propterea alia est publica, alia privata.

[3] Concionatoribus junioribus tempus studendi tribuendum est, non ita tamen ut a quolibet ministerio extra Adventum et Quadragesimam exemptos se credant (*f.* 7 sept. 1839). De obligatione Societatis ad spargendum per prædicationem verbum divinum legendus est Suarez (l. X, c. 1), ubi notat quod sicut Superiorum est providere frequenti huic muneri, ita inferiorum procurare ne sibi desint voluntas et peritia.

III. — **Eorum officia.** — 1° Ea præcipue media adhibeant con- 385
cionatores quæ instrumentum cum Deo conjungunt. (Cst., X, II.) 2° Sint omnibus exemplo [1] (Cst., VII, IV, 2), ii vero qui regulas non servarent ab hoc munere essent amovendi [2]. Eas omnes lautitias et singularitates quibus alii offenduntur vitent. (Or., I, 15.) 3° Optent corrigi. Locum aliis concionari volentibus cedant; æque parati sint ad pueros et rudes docendos ubicumque etiam in plateis. (Reg. Conc., 8. — Cst., V, III. B.) 4° A distrahentibus caveant, ut sunt nimiae familiaritates cum externis, visitationes, donaria præsertim a feminis, etc. (Ins., II, 8.)

[1] Si quis proinde cibis quadragesimalibus uti non posset, extra domos nostras concionari non deberet. (Ins., II, 2, 9.) Nemo autem concionatorum, intuitu concionis, carnibus vescatur in Quadragesima ; ob infirmitatem solam, judicio medici, iis vesci potest (*a.* 1569). Exhibeatur generatim concionatoribus magna caritas, sed nullæ eis concedantur exemptiones non necessariæ (*b.* ††, 1554). « Concionatores eleemosynam nullam neque publice pro se aut pro aliis petant, neque privatim a se cuipiam applicandam : quod si pro pauperibus egenisque colligatur, illud in manum Superioris aut virorum probatorum committatur distribuendum « (*b.* ††, 1625).

[2] Concionatores non sunt eximendi ab hora meditationis die concionis, nisi id tempus ex aliquo casu, esset necessarium. Nec probatur ut meditationem ad concionem dirigant (*a.* 1600, 1610).

IV. — **Concionum materia** ea esse debet quæ auditorum captum 386
non superet et ad ædificationem faciat; quæ pópulum ad sacramentorum frequentationem et ad virtutes moveat, neminem vero præcipue religiosos, ecclesiasticos et magistratus offendere possit; ipsam Societatem ne vituperent. (Cst., IV, VIII, A. — IV, VIII, 3,

B.) Subtilia, curiosa, nova, dubia, nondum confirmata, populo non proponant. (R. Conc., 9, 14.)[1]

Modus sit gravis, absque ostentatione, facetiis, exaggeratione, aut spectaculis insolitis: sit ad movendum magis quam ad docendum aptus et ideo non scholasticus. Ne verborum lenocinia sectentur, nec libros profanos ad stylum formandum legant. (Cst., IV, VIII, 3.) Superpelliceum cum vel sine stola, etiam in lectionibus Scripturæ Sacræ, juxta morem regionis, adhibeant. (C. G., I, 110. — IV, 10.)[2] Dicenda diligenter præmeditentur et cum Deo præparent[3]. In concionibus et lectionibus templi horam non excedant. (R. Conc., 17, 23.)

387 [1] Non suscipiantur publice disputationes cum hæreticis, inde enim parum boni nascitur, nisi ob necessitatem fiant aut instructionem privatam primarii alicujus viri (*a.* 1596).

[2] Deputatos ab uno Provinciali ad confessiones vel conciones, si mittantur in aliam Provinciam, ab alio Provinciali confirmari opus est; non autem si intra eamdem Provinciam Provincialis mutetur (*a.* 1590). De juridictionis tamen perseverantia cf. infra c. 2, ubi de missionibus, in notis et c. 3, in scholio. Nemo se offerat externis ad hoc concionandi munus vel promptum se ostendat; sed petentes dirigat ad Superiores (*a.* 1588). Et iterum commendatur a P. Anderledy. Encycl. ad Prov., 24 maii 1885. Neque mittatur concionator in alienam Provinciam absque consensu Præpositi hujus Provinciæ. (Reg. Prov., 112. — C. G., XXIII, 35.)

[3] Duplicem excessum nostri concionatores vitare sedulo debent; negligentiam scilicet, quæ impediret quominus accurate loquendi habitum scribendo acquirant, et affectationem styli mundani cujus typum in ephemeridibus quærerent. Studeant diligenter Sacræ Scripturæ, Sanctis Patribus et veris exemplaribus Christianæ eloquentiæ (*f.* 26 aug. 1834). Et cf. Leo XIII per Congregationem Episcoporum et Regularium, 31 julii 1894.

SCHOLION

DE JURE CONCIONANDI

388 Ut Nostri participent privilegium prædicandi Verbi Divini, debent ex ipso Gregorio XIII (*Vigore privilegii*) esse insigniti prima tonsura. Attamen si ageretur de aliquo casu transeunti, forte

licitum esset non tonsurato. (Suarez, l. IX, c. I, n. 13.) Et hæ leges respiciunt præsertim prædicationem proprie dictam, in qua scilicet quis se gerit ut publice docentem populum, quod indicat modus, intentio, populi convocatio et sermonis materia. (Ibid., n. 31.)

Iis etiam concionandi munus committi potest qui in Ordinibus sacris nondum sunt constituti, ex concessione Pauli III *Cum inter;* tamen P. Claudius nolebat ut hoc communiter fieret, ne si discederent et nuberent, scandalum fieret (1587). In bulla *Superna* Clemens X sequentia edixit : 1° Regulares extra suas Ecclesias concionari non possunt absque Episcopi licentia; 2° ut in suis Ecclesiis concionari possint, necesse est ut Episcopi benedictionem petant, non vero ut eam impetrent; 3° eis tamen, nequidem in suis Ecclesiis, licet prædicare Episcopo positive contradicente, et si id commiserint ab eo puniri possunt; 4° Episcopus tamen absque justa et rationabili causa contradicere non debet, quamvis valide possit, imo sub censurarum interminatione; 5° Potest Episcopus quoad doctrinam examinare Regulares extra suas Ecclesias prædicare volentes, imo ad examen revocare, non obstante immemoriali consuetudine, licet id insolitum sit; necnon et 6° licentiam prædicandi semel datam suspendere, ob causas prædicationem concernentes, quamvis occultas; 7° non tamen potest Regularibus generatim prohibere ne in suis Ecclesiis prædicent.

Si autem Episcopus jus approbandi eos qui in Ecclesia nostra concionantur sibi arrogaret, esset potius a concionibus abstinendum quam ei tale jus agnoscere (*a.* 1644). Episcopus prohibere potest ne fiat prædicatio hora qua ipse prædicaturus sit in civitate, aut quando per totam diem vult congregari populum in cathedralem, aut habetur coram ipso aliqua prædicatio solemnis extraordinaria, qualis non esset prædicatio consueta Adventus. (Benedictus XIV. *De Synodo*, l. IX, c. XVII.) Requiritur *consensus* Episcopi ad prædicandum in templo aut ad crates monialium, nisi sint Religioni concionatoris subjectæ : in quo tamen attendenda consuetudo. (Cf. Ferraris ad v. *Prædicare.*) Si prædicator errores aut scandala disseminaverit, etiamsi in sua regulari ecclesia præ-

dicet, Episcopus debet illum interdicere a suo munere; et si hæreses prædicaverit, Episcopus, tanquam delegatus S. Sedis, debet contra eum ad formam juris procedere, quamvis forte generali aut speciali exemptione gaudentem.

Potestas quam habet Episcopus prædicandi in qualibet ecclesia suæ diæceseos, etiamsi ad Regulares pertineat, ex jurisprudentia S. Cong. Concilii, restringitur ad ecclesias ubi Regulares haberent curam animarum. (Ita in Bob., 16 mart. 1630, apud Zamboni, ad v. *Episcopus,* IX, 2.)

Absque consensu Episcopi possumus transeunter prædicare in locis ubi non adest Episcopus, si parochus non repugnat. (Comp. Priv., n. 448.)

Utrum vero, consentiente Episcopo, possimus prædicare in ecclesia parocho subjecta, ipso parocho repugnante, non putat Suarez, nisi statuerit Episcopus hujus licentiam non requiri. (L. IX, c. I, n. 6.)

389 *N. B.* — Doctrinam christianam omnes maximi faciant, utpote omnis christianæ institutionis fundamentum, et humilitatem puritatemque zeli maxime foventem. (Paulus III, *Regimini militantis.* Julius III, *Exposcit.* — Cst., V, III, B. — C. G., II, 58.) Omnes neo-Professi et neo-Rectores eam per quadraginta dies tradant. In ea tradenda exerceantur Novitii et Scholastici. (Cst., IV, x, 10.) [1] Tradetur vero sive canendo sive aliter pro more regionis. (C. G., I, 137.) [2]

Piis colloquiis proximum ad meliora promovere omnium est. Id facilius et melius facient si inter se hujusmodi sermones miscere assuescant. (Ex. VI, 4. — Cst., VII, IV, 8.) [3]

[1] Nullum jus catechistas examinandi Episcopo tribuitur a Tridentino (*a.* 1644), neque a Clemente X. Possunt doctrinam christianam tradere habentes primam tonsuram (*a.* 1628); permissum prius fuerat ut idem ministerium exercerent Coadjutores temporales maturiores, sed sine explicatione et exhortatione (*a.* 1579); sed id deinceps fuit prohibitum (*a.* 1597). Consuetudo alicubi permittit ut christiana doctrina publice doceatur in plateis. Si Episcopi exigerent ut peteretur licentia, petenda esset (*a.* 1651). Cf. Comp. Priv., n. 345, 346, de indulgentiis huic tam salutifero ministerio collatis; et n. 376, ad v. *Pueros et rudes,* loca Bullarii nostri idem respicientia.

[2] Omnino insistendum est ut mos Societatis antiquus servetur verbum Dei, saltem per catechesim, singulis diebus dominicis et festis paulo celebrioribus in templis nostris nuntiandi (*b.* †, 1619).

[3] Juniores præ ceteris sacerdotes carcerum et nosocomiorum visitationi (virorum scilicet) applicandi sunt, ad eorum et totius Provinciæ utilitatem (*f.* 17 mart. 1835).

CAPUT SECUNDUM

DE MISSIONIBUS

Prænotandum. — De missionibus agit B. P. Ignatius, præcipue 390
in P. VII, Constitut., in qua tractat de mediis adjuvandi proximum. Contradistinguit porro illud medium a mediis quibus illum adjuvant incolæ Domorum et Collegiorum. Hinc per missionem intelligi videtur, sensu Instituti, deputatio extra nostras domos ut unus aut plures e Societate laborent in vinea Domini per opera Societati consueta; et de missionibus ita consideratis nunc sermo est. De missionibus vero ad exteros, cf. scholion infra positum. [1]

I. — **Earum utilitas.** — Hoc unum est ex præcipuis nostræ 391
Societatis muniis; et propterea Professi speciale votum emittunt et nullibi fixam sedem habent. (Paulus III, *Regimini* et *Licet debitum.* — Julius III, *Exposcit.* — Ex., IV, 27, 35. — Cst., III, II, G. — IV, Proœ. A. — VII, I, 1, A. — VII, II, H.) Generali missiones quibus duo aut terni regiones excolunt enixe commendavit. C. G., V, 46. Cf. etiam C. G., XXII, 23.

II. — **Quinam mittere possunt.** — Mitti possunt Nostri sive a 392
Summo Pontifice, sive a Generali, aut ab iis quibus Generalis facultatem hanc communicaverit (Cst. VII, II, 1. — IX, III, 9, F); sive a Vicario generali, qui tamen absque decisivo suffragio Assistentium Professos quatuor votorum non mittet ad eas partes unde ad Congregationes ad quas jus habent venire non possent. (Off. Vic. gen. 11.) Præpositi solum circa urbes in quibus eorum

domus sita est, mittere possunt, et aliquando ad excutiendum otium debent. (Ins., IV, 3. — X, 10. — XV, II, 8. — III, 10. — In. de sp., 1, 2, 4.) Provincialis vero non mittat in alienam Provinciam absque consensu Præpositi hujus Provinciæ. (Reg. Prov., 112. — C. G., XXIII, 35.)[2]

[1] De indulgentiis occasione missionum Societatis, cf. Summar., p. 3, et de facultat. missionnar. Comp. Priv., ad v. *Missiones*.

[2] Etsi valde optandum sit ut inter varias ejusdem regni Provincias frequens personarum communicatio fiat, respectivorum Provincialium ad id consensus requiritur (*b.* ††, 1625). Concionatores igitur in aliam Provinciam mittendi non sunt, nisi ex consensu Provincialis et præmonito Superiore locali (*b.* ††, 1625).

Non tamen necesse est ut ab hoc Superiore aut Provinciali suam jurisdictionem nostri operarii accipiant, si eam a proprio Superiore jam acceperunt. Nam quilibet Societatis Superior eam suis subditis jurisdictionem tradit (nisi eam limitet) quam Societas a summo Pontifice accepit, scilicet Christianæ plebis confessiones audiendi, approbantibus et assentientibus episcopis. (Ita responsum P^i. Nampon, Romæ, 1855).

393 III. — **Quo mittere debent.** — Nulla missio absque consideratione et, si rei difficultas poscit, absque consultatione et precibus instituatur. (Cst., VII, II, 1, C, D. — IX, III, 9, F.) Ea loca anteferantur cæteris paribus quæ magis indigent et minus curantur; quæ majorem fructum spondent et stabiliorem; quæ melius de nobis sunt merita; quæ a nobis sunt alienata unde impeditur fructus Societatis; ubi demum eæ personæ vivunt quarum pietas latius permanabit. (Cst., VII, II, 1, D.)

394 IV. — **Quinam mittendi.** — Hi mittendi sunt ad res graviores et in quibus plus refert non errare, qui aptissimi sunt et quibus magis fiditur; ad laboriosas, qui robustissimi; ad periculosas qui virtute probatissimi; ad conversandum cum viris primariis aut litteratis, qui gratia, etiam exteriori, et litteris præstant; ad populum commovendum, qui eloquentia et talento confessarii maxime pollent. (Cst., VII, II, F.)[1]

Mittantur duo aut plures mutuo se complentes, uti inexpertes cum exercitato, circumspectus cum animoso, concionator cum

confessario, etc., ita tamen ut diversitas vinculo caritatis unita juvet, non discordes faciat. (Cst., VII, II, F.) Superior missionis erit qui primus in patentibus nominatur, alter admonitor. Omnes tamen si Provinciali videbitur, Superiori vicinioris domus subjiciuntur, ac proinde Provinciali in cujus Provincia laborant. (Ins., XII, 15. — C. G., XI, 32. — Cst., VII, III, A. — R. Pr., 109.)[2]

[1] « Melius est missiones omittere quam mittere ineptos vel non securos » (*a.* 1597).

[2] Quando alicui missionario socius Coadjutor apte adjungi nequit, potest cum eo mitti Novitius secundi anni qui Christianæ doctrinæ tradendæ occupetur. Hujusmodi tamen extra Novitiatum diutius retinendi non sunt (*b.* †, 1619).

V. — **Missionariorum officia.** — Missionarii in manu Superioris 395
esse debent, ei se manifestando et rationes cum perfecta indifferentia proponendo. (Cst., VII, II, 1, K.) Pedites proficiscantur qui id judicantur præstare posse; patentibus litteris et instructione circa suam missionem muniti. (Cst., VII, II, 1, G; 2, L, N.) In omnibus ædificationi sint, exercitia spiritualia peragant, regulas servent. (R. Miss.) Nihil pro se nisi victum accipiant, eumque potius quam pecuniam pro victu; residuum Superiori tradant et de expensis rationem reddant. (Or., I, 18. — Ins., XII, 3, 8. — C. G., VI, 39.) Ad xenodochia aut apud honestos clericos divertant quo non patiantur ulla de causa ad se venire feminas; facultatem ab Ordinario modeste petant, omnium benevolentiam sibi consiliare studeant, præcipue parochorum et religiosorum, necnon adversariorum Societatis. (R. Miss.) Quavis hebdomada scribant ad Provincialem aut ad alium ab eo designatum (R. Miss., 24); et notent apta pro annalibus. (Ins., XII, 13.)

VI. — **Quæ opera eligenda.** — In operum delectu universalius 396
bonum quærendum est. Eligenda sunt igitur : spiritualia præ corporalibus; res majoris perfectionis, quæ magis urgent[1], quæ melius Instituto congruunt, quorum alii curam non habent, quæ securiora, quæ facilius et expeditius tractari possunt, quæ diutur-

niora et stabiliora, præ iis quæ his notis carent. Ab humilioribus inchoandum est. (Cst., VII, II, 1, E. — VII, III, 2.) Generatim nostri occupabuntur in rudibus et pueris christiana doctrina imbuendis, in tradendis exercitiis, et hominibus ad ea inducendis, in visitandis hospitiis et carceribus, et quærendis eleemosynis pro harum domorum incolis, in reducendis peccatoribus, confraternitatibus juvandis vel fundandis. Poterunt etiam scholas infirmosque visitare, invitare obvios quosque ad confessionem, ecclesiasticos conferentiis instruere, etc. Ad ea demum omnia, quæ Societatis menti sunt consona, præsto sint semper Nostri. (Ins., IV, 3.)[2]

[1] Non debet Provincialis, absque sanctione Generalis, obligationem suscipere missiones habendi in eodem loco per plures annos (*b.* †, 1633).

[2] Cf. Litt. Encycl. P. Beckx, dec. 1875.

397 VII. — **Quæ vitanda.** — Vitanda sunt omnia unde nasci posset suspicio nos ad visitandum clerum venire aut ejus auctoritatem velle minuere. Consilium igitur parochorum et virorum idoneorum erit sedulo adhibendum ut necessitates et adjumenta loci cognoscantur. Nostri eleemosynas aperte non largiantur; ne inconsulto Superiore condant statuta Congregationis ullius; modestiam cum sancta libertate et animi magnitudine conjungant; occasionem divini servitii elabi non patiantur; non tamen alio excurrant, nisi id absque præcipuæ suæ missionis detrimento possint[1]; nec ullibi diutius commorentur quam utile est. (Reg. Miss. In., XII, 3, 4, 11.)

[1] Nemo tamen missionarius excurrens tuto constitui potest nisi qui vir interior sit, isque ipse ad domos se recipere identidem debebit (*f.* 4 jun. 1833).

SCHOLION I

DE MISSIONIBUS TRANSMARINIS

398 De his qui ad has missiones destinantur, diligenter inquirendum est a viris prudentibus quibus sint probe noti; ac P. N. tum

horum tum Provincialis judicium transmittendum. (C. G., XVI, 13.) Formulam vero informationis ad tramitem paradigmatis jamdiu a P. Retz confecti, communicavit P. Beckx suis litteris 13 jan. 1859 (Cf. *Practica ad form. scrib.*, p. 44).

Exoptat porro Societas ad opus missionum viros recto desiderio et fine ductos, non vero liberioris vitæ studio, et si missiones forte non petierint, paratos tamen ad eas libenter acceptandas; in vocatione constantes, et virtutibus apprime solidos, mortificatione imprimis, obedientia, humilitate, paupertatis amore, mansuetudine, caritatisque ac pacis studio; ita orationis et regularis disciplinæ peramantes ut etiam sibi permissi hac in re diligentes et fideles se exhibeant; indolis tractabilis, et quæ moribus alienarum gentium facile se accommodet; firmo capite ac phantasiæ pace quietos; prudentia præditos et speciatim temporalium administrandarum capaces, necnon prælatorum virorumque primariorum observantes, non tamen ad sæculare consortium propensos; sanitate et viribus sufficienter præditos, iisque dotatos talentis quibus utiliter in his regionibus laborent, qualis est ad linguas ediscendas facilitas; qui denique « habeant zelum animarum sintque parati ad perferendos labores et incommoda pro Dei gloria et animarum salute. »

Insuper in Coadjutoribus temporalibus postulatur ad res agendas artemque mechanicam dexteritas, et specialis habenda ratio ut indoles ad sæculares non sit proclivis [1].

[1] De regimine missionis et respectiva Prælati et Superioris jurisdictione, cf. Benedictum XIV, *In firmandis* (1744); S. C. de Prop. Fid., 23 febr. 1880 et 18 januar. 1886, necnon Leonem XIII, *Romanos Pontifices*.

Missionarii, quatenus sunt Religiosi, subduntur Superioribus Regularibus vi voti juxta Constitutiones Societatis : in casibus vero a jure nominatim expressis et generatim in iis quæ spectant curam animarum et sacramentorum administrationem subsunt Vicario apostolico obedientia canonica. — De paupertate Missionum, cf. supra, n. 131.

SCHOLION II

INSTRUCTIO A. R. P. LUDOVICI MARTIN, DE BONIS TEMPORALIBUS SOCIETATIS IN MISSIONIBUS EXTERIS

399 « Quoniam in Missionibus curæ nostræ commissis dubia et controversiæ de titulis bonorum nostrorum temporalium oriri solent, Superiores et Procuratores monui, in *Ordinatione de rerum temporalium administratione,* summopere curandum esse, præsertim in Missionum locis, non modo ut ex codicibus primo aspectu appareat, quænam bona et reditus a Nostris possideantur, quænam vero a Nostris tantum procurentur, sed etiam ut *inventaria* supellectilis quam diligentissime componantur et asserventur. (Ordin. n. 43 ad fin.)

« Idipsum jampridem statuerat Sanctissimus Dominus Noster Leo XIII, mandans in Constitutione *Romanos Pontifices* « ut bona « Missionum diligenter describerentur, ea secernendo quæ *pro-* « *pria Missionum* essent ab iis quæ ad *Sodalitia* sodalesve singu- « los pertinerent. » Ubi animadvertendum est, vocabulum istud *Missio* a Summo Pontifice intelligi de Missione, prout ab Episcopo, Vicario aut Præfecto Apostolico pro Sacra Congregatione de Propaganda fide administratur; non vero de Missione, prout est pars Societatis aut ad Provinciam pertinet Societatis : hoc altero sensu Missio in laudata Constitutione exprimitur per verbum *Sodalitia.*

« De diversis ergo bonis ecclesiasticis quæ in Missione inveniuntur vel inveniri possunt, hæc decernit Summus Pontifex : « 1. Missionarii regulares bonorum temporalium, ad ipsos *qua* « *regulares* spectantium, rationem Episcopo reddere non tenen- « tur. 2. Eorum tamen bonorum quæ Missioni vel regularibus « *intuitu Missionis* tributa fuerunt, Episcopi jus habent ab iisdem « missionariis regularibus, æque ac a parochis cleri sæcularis, « rationem exigendi. » Deinde in definiendo quæ bona *intuitu Missionis* oblata censenda sint, edicit Sanctitas Sua « religiosos

« ad leges Concilii Westmonasteriensis II sese affatim accommo-
« dare oportere. »

« Cum autem Constitutio *Romanos Pontifices* ad omnes Missiones exteras vel jam extensa, vel certo certius paulatim extendenda sit, Superiores nostri, tam ut Summo Pontifici debitam exhibeant obedientiam, quam ut bona nostra in tuto collocent ac Societati conservent, dictas leges probe cognoscere easque sine cunctatione in praxim deducere tenentur, tum etiam decreta specialia anno 1886 a S. Congregatione de Propaganda Fide super missionibus exteris Societatis Jesu edita.

« Porro leges de re proposita a Concilio Westmonasteriensi *(VII De Bonis ecclesiasticis)* latæ, sic breviter ex ordine efferri possunt :

« Et primo quidem principium generale statuit Concilium his verbis : « Allaborandum ut *omni modo determinetur*, si dubium « existat, *intentio et animus donatoris vel testatoris*... Si vero « hujusmodi intentio non constet ex aliquo *certo documento*, ser- « vandæ sunt regulæ sive canones quibus de tali voluntate recte « judicari possit. » (l. c. II, III.)

« Huic autem generali principio sequentes peculiares regulas subjungit.

« I. De bonis stabilibus : fundis, ecclesiis, scholis, etc. 400

« 1ª Regula. *Quotiescumque erigatur aut provideatur ecclesia seu schola sive aliud quodvis ædificium usibus religionis destinatum, sive ex integro sive ex parte, pecuniis collatis a fidelibus, vel etiam a quavis Societate piorum catholicorum eleemosynarum administratrice, ejusmodi ædificium habendum est veluti in perpetuum illi loco addictum. Et quamvis missio de qua agitur sit ab aliqua corporatione religiosa occupata et administrata, eleemosynæ illæ* præsumuntur *non corporationi ipsi, sed Dei cultui promovendo et pauperum levamini fuisse collatæ. (l. c. IV.)*

« 2ª Regula. *Similiter judicandum, si ab aliquo benefactore talia ædificia alicubi provideantur*, nisi certissime constet decla-

RASSE SE *in tali erectione non loci ejusque fidelium commodum respexisse, sed* ORDINI ILLI DONUM VOLUISSE CONFERRE. *(l. c. V.)*

« *N. B.* — Regulæ sub numero præcedenti et sub hoc traditæ (1ª et 2ª) quoad jus in fundationes, sunt applicandæ ad novas tantum fundationes (ibid.).

« 3ª Regula. E converso, SI CERTISSIME CONSTET BENEFACTOREM *declarasse se Ordini donum voluisse conferre,* VEL SI FUNDUS EMPTUS SIT AUT ÆDIFICIUM CONSTRUCTUM *sumptibus alicujus familiæ religiosæ,* horum dominium ad ipsum Ordinem pertinet. *(Cf. l. c. V, VII.)*

401 « II. DE BONIS MOBILIBUS, SUPELLECTILI, etc.

« 1ª Regula. *Si generatim proventibus Ecclesiæ, vel donis sive collectis Congregationis... fuerint hæc conquisita, omnino missioni addicta dicenda sunt, neque ullo pacto licet sacerdoti* (aut familiæ religiosæ) *ea sibi vindicare. (l. c. XII, 2º.)*

« 2ª Regula. *Communiter etiam censendum, nisi* CONTRARIUM PATET, *juxta regulam in jure traditam, ea, quæ ecclesiasticis usibus apta donantur viro missionario, esse missioni donata. (l. c. XIII.)*

« 3ª Regula. *Ea vero quæ personalem habent usum, ipsi data reputantur, sicuti etiam res sacræ, si expresse veluti grati animi et affectus pignus a Congregatione sacerdoti cuivis donantur. (Ibid.)*

« 4ª Regula. Ea quæ sive *ex proprio peculio, sive familiarum sibi bene affectarum donis, sive tandem ex ea parte proventuum Ecclesiæ quæ sibi competit pro sua honesta sustentatione, sacerdos sibi comparaverit, habenda erunt ut propria, ratione semper habita obligationis conservandi in bono statu ea quæ accepit. (l. c. XII, 1º.)*

402 « III. DE PROVENTIBUS, REDITIBUS, HONORARIIS, JURIBUS STOLÆ.

« 1ª Regula. *Pecuniæ quæ a fidelibus contribuuntur modis infra recensendis, habendæ sunt pro* bonis Ecclesiæ, *non pro muneribus datis sacerdoti* (aut familiæ religiosæ). *(l. c. IX.)*

« Modi a Concilio recensiti sunt sequentes :

« a) *Sedium seu locorum assignatio certis personis seu familiis a quibus compensatio determinata datur ecclesiæ;* b) *Solutio nummi determinati* (ubi hæc consuetudo viget) *ab iis qui locum assignatum non habent, nolunt vero locum liberum, ut aiunt, occupare;* c) *Collectæ, ad offertorium factæ;* d) *Conciones ab aliquo insigniori verbi Dei præcone, post quas generatim pro Ecclesia, vel pro aliqua ejus parte seu attributione, colliguntur assistentium eleemosynæ, qui sæpe ex aliis congregationibus accurrunt, stipemque conferunt;* e) *Collectae quæ vel de domo in domum fiunt, per viros ad hoc deputatos aut per Societates et Confraternitates legitime institutas, vel exiguntur per decurias aut centurias, prout fieri solet a laudabili Societate Propagationis Fidei nuncupata, vel quæ a ditioribus statutis temporibus aut singulis annis solvuntur.* (*l. c. IX, X.*)

« *N. B.* — Ex ea pecunia *(quæ his modis colligitur)* honestæ Sacerdotis Missionarii sustentationi... providendum est. (l. c. IX.)

« 2ª Regula. *Ad sacerdotis* (seu familiæ religiosæ) *peculium pertinent :* a) HONORARIA MISSARUM ; b) *Ubi viget usus temporibus solemnibus Paschæ et Nativitatis Domini singulis sacerdotibus munuscula dandi, hæc ad ipsos* (familiam religiosam) *de jure pertinent; c) Proventus ex* JURIBUS STOLÆ *derivantes ordinario sacerdotibus* (familiæ religiosæ) *adjudicentur, quamvis diversis modis, pro diversitate locorum, distribuantur. [l. c. XIV, XV.]*

« Denique his omnibus decretum S. Congreg. de Prop. Fide addendum est, die 18 januarii 1886 editum, quod ita sonat : *Ex pensionibus Cappellaniarum militarium* (si quæ in Missione habeantur) *quod honestæ eorum* (Cappellanorum) *sustentationi superest, a Superioribus regularibus totum tradatur Vicario Apostolico.*

« Atque hæ sunt regulæ particulares secundi Concilii Westmonasteriensis ad quas Romanus Pontifex nos omnes remittit, ut suorum verborum sensum penitus assequi possimus.

403 « In praxi ergo hæc a Provincialibus et Missionum Superioribus præstanda sunt :

« I. Diligenter inquirendum, quænam bona in Missione, sive immobilia sive mobilia, ad hoc usque tempus Societas habuerit tanquam propria. Quem in finem : *a)* Examinanda sunt instrumenta publica, testamenta, legata; documentorum verba ponderanda, et attendendæ circumstantiæ in quibus confecta sunt; *b)* Quodsi ex documentis scriptis quæstio dirimi nequeat, applicandi sunt canones in jure sanciti; exploranda donatorum mens, adhibitis testibus quibus de ea constare potest; investigandum quænam bona pecunia Societatis empta fuerint; ad quid impensa sint *honoraria* Missarum, proventus ex *juribus stolæ,* etc.

« II. Ad casus dubios quod attinet, Sacra Congregatio statuit, Episcopos et Superiores regulares communi consensu eos solvere debere : quum vero diversæ opiniones conciliari nequeunt, controversiam ad Sanctam Sedem referendam esse » pro Societate per Præpositum Generalem. (Resp. Congr. de Prop., 16 jul. 1869.)

« III. Imposterum vero singula instrumenta contractuum, emptionis, donationis, testamentorum et legatorum, aliaque documenta quæ de titulis bonorum publicam faciant fidem, tam accurate cauteque concipiantur ut jura a Societate nostra quovis modo acquisita nullatenus in dubium vocari possint. Quorum documentorum (si ullo modo bona respiciunt Societatis) exempla authentica Romam mittantur, in archivio Societatis servanda. (C. G., I, d, 103; Reg. 6 Secr. Soc.; Reg. 78 Prov.; Reg. 14 Proc. Dom. Prof.; Reg. 21 Proc. Coll.; Instruc. IX, n. 15.)

« Sicubi Societas quominus quidquam possideat lege civili excipitur, ac proinde bona sua sub nomine alieno possidere ac vindicare cogitur, instrumento publico addantur, et una cum eo Romam mittantur, litteræ seu scripta privata authentica, quibus in foro conscientiæ atque in tribunalibus ecclesiasticis jura nostra et benefactorum voluntas dilucide probari valeant. Quod tunc maxime attendendum est, quando non Missioni vel Episcopo sed nominatim

Societati vel uni ex Patribus nostris bona quæcumque ea conditione donantur vel legantur, ut fidem in Missione promoveant, ut pauperes sublevandos curent, et similia. Quo in casu Societas, quamdiu in Missione permanserit, ea bona ad designatum finem fideliter impendere tenebitur, nec ea alio adsportare vel aliis usibus applicare poterit.

« Si vero aliqua Missio fundatur exclusive sive longe majore ex parte sumptibus nostris, et deinde Missio relinquenda sit et ad alia loca justis de causis migrandum fuerit, curetur « ut pactio clara « fiat inter Episcopum et Superiorem quid hoc in casu sit agen- « dum, ne jura ex una parte lædantur, neve scandalum ex altera « oriatur et grave animarum damnum emergat. » (Conc. West., II, l. c. VII.)

« IV. In omnibus domiciliis, et maxime in iis quæ non sunt propria Societatis, inventaria rerum mobilium, supellectilis, etc., fidelissime componantur et asserventur, « unde clare videatur « quænam res ad Societatem... pertineant. » (Vid. Ordin. de rer. temp. adm. n. 43 ad fin.; cf. etiam Conc. Westm. II, l. c. VII.)

« V. Debito tempore reclamentur et Societati vindicentur quæcumque ex proventibus ecclesiæ, ex *honorariis* Missarum, ex *juribus stolæ*, etc. Missionariis nostris legitime obvenire poterunt. « Etenim quum hæc omnia sint bona Societatis, nefas est « de iis disponere... absque licentia Superioris qui ea applicare « potest[1]. » (Vid. Ord. de rer. temp. admin. n. 37 ad fin.) Proventus vero qui ex ipsa Missione Societati obveniunt, non extra Missionem sed in bonum ejusdem impendenda sunt : singulisque trienniis Superior regularis S. Congregationi rationem de iisdem reddere tenetur.

« VI. Nulla pecunia, Societati quovis titulo acquisita, ita ut liberam dispositionem sibi vindicare possit, *mutuo detur* sive

[1] Quæ ibi præscribuntur minime dissonant ab his quæ rescribebat supra, n. 87, R. P. Roothaan, 14 martii 1850; hic enim præ oculis habebat casum quo Nostri non potiuntur dispensatione ad accipiendum stipendium.

Ecclesiæ aut scholæ sive alii cuicumque operi, quantumvis pio, cujus dominium perfectum ad Societatem non pertineat, nisi prius debita, secundum Ordinationem de Administratione rerum temporalium nº 25, obtineatur licentia. Quodsi, præhabita facultate debita, aliquid mutuo detur, ita fiat, ut ex documentis authenticis clare constet quantum Societas ex suo fœneraverit.

« VII. Singulis annis a Procuratore Missionis relatio bonorum omnium Societatis cum rationibus expensorum et acceptorum (per Provincialem si Missio sit dependens a Provincia) ad Præpositum generalem mittatur. (Vid. Ordin. de rer. temp. adm. nº 45.)

« Hæc sunt quæ pro officii mei munere præscribenda esse duxi. Id unum rogo atque obtestor omnes Provinciarum ac Missionum Præpositos, ut fideles sese administratores et adjutores exhibeant in re tanti momenti, super qua et mea et eorum conscientia gravissime oneratur. — Romæ die 25 decembris 1895. »

CAPUT TERTIUM

DE SACRAMENTO PŒNITENTIÆ

I. — **Hujus ministerii excellentia** magni facienda est, utpote 404
quod nostri Instituti valde proprium est. (Cst., VII, IV, 5. — Reg. sac., 8.)

II. — **Confessariorum dotes.** — Viri ad hoc munus ætate [1] et moribus maturi a Provinciali designandi sunt, præmisso examine [2], et approbatione Ordinarii loci ubi audiuntur confessiones. (Cst., VII, IV, 5. — C. G., VI, 38. — VII, 80, 11. — XIII, 16. — Ins., III, I. — Reg. sacer.) Cf. scholion infra.

Ad hoc munus multum afficiantur; et ad id fructuosius implendum, in casibus conscientiæ, præsertim circa censuras, casus reservatos, restitutiones, diligenter se exerceant [3]; suas facultates norint; interrogandi methodum, remedia contra peccata, dicta et exempla sanctorum habeant. In modo hoc sacramentum administrandi sint uniformes et mutuæ existimationi consulant; formulas absolvendi habeant. (Cst., IV, VIII, 4, D. — VII, IV, 5. — Reg. sac.) Vitentque Ordinarii et parochi offensionem.

[1] Ordinatio de sacerdotibus junioribus non adhibendis ad excipiendas 405
confessiones (Ord. gen., I, 8) intelligenda est de munere ordinario non de extraordinario, ut in missionibus (*a.* 1648). In Castellana et Bætica Provincia fuerat approbatum ne ante 40^{um} annum audirentur confessiones mulierum, nisi dispensaret Provincialis (*a.* 1590).

[2] « Priusquam ad confessiones audiendas Nostri applicentur diligenter sunt examinandi juxta regulam Provincialis, nec ab hoc examine liberandi sunt, qui singulis annis theologiæ juxta decretum C. G., VIII (VII?), atque etiam

in fine quadriennii examinati satisfecerunt ; aliud enim est periculum facere num quis sufficiens sit ad progrediendum in studiis aut ad theologiam docendam, aliud an idoneus sit ad audiendas confessiones » (*a.* 1620). Cf. C. G., XX, 25.

[3] In Romano Collegio collatio casuum conscientiæ vacat a Vigilia Sancti P. Ignatii ad mensem novembrem ; a Sexagesima ad Dominicam in Albis ; in vacationibus Nativitatis Domini, Pentecostes et aliis (*f.* 7 mart. 1844). « Casuum collatio non intermittitur tempore autumnali in Domo professa ; hæc enim vacatio est propria Collegiorum, non autem Domorum professarum » (*a.* 1599). In Seminariis NN. adhibenda est methodus indicata in Reg. Prof. theol. mor. 8, 9, 10, 11. In aliis domibus procedi potest ut fit in Domo professa romana (*f.* 26 feb. 1835.)

« In regula 15 Provincialis et Ratione studiorum per theologiæ ac philosophiæ professores ii dumtaxat intelliguntur qui actu docent, non qui olim docuerunt, præsertim in parvo Collegio aut brevi tempore : multo minus qui doctores quidem creati sunt, sed nondum docuerunt. Igitur a collatione casuum neque hi, neque professores ethicæ, aut mathematicæ, aut S. Scripturæ, aut alii, neque concionatores, vi regulæ, eximuntur ; sed si qua ratio peculiaris sit cur quis sic eximatur, nimirum professor rhetoricæ, ob multas scholæ occupationes, et alii qui pueros quinas quidem per horas docent, excipi posse videntur » (*a.* 1642). At recentius : Professores physices et matheseos ab hoc exercitio regula eximuntur ; sed induci debent ad illud frequentandum si moralem theologiam non callent (sept. 1877). Ubi sermo erat, ut opinor, de professoribus qui has disciplinas philosophis nostris tradebant.

Ad uniformitatem juvandam compositum fuit *Directorium* P. Polanci, de quo P. Villada : « Pulchrum sed in multis jejunum et aliquando a communibus hodie vigentibus opinionibus alienum. » (n. 137, in not.)

406 III. — **Eorum officia.** — Ad ecclesiam statim ac vocantur se conferant ; quo major pœnitentium multitudo futura est, eo citius se expediant. De fructu magis quam de pœnitentium numero gaudeant. Eos diligenter instituant, nullius tamen curam particularem suscipiant ; nedum gravate ferant si quis ad alium migret, eis potius, occasione missionis, libertatem dent, quam occasionem, omni difficultate pervicta, Superior curet procurare. Caveant ne tempus cum devotulis perdant [1]. Mutuum aspectum fugiant. Crates cum feminis etiam puellis [2], aut manus cum viris confessarium a pœnitente dividat.

Erga feminas severi potius quam familiares sint, sed paterna quædam gravitas in eis eluceat ; nullius obedientiam admittant ;

nullum vestimenti genus præscribant; ad emittenda vota aut hanc potiusquam illam Religionem amplectendam non urgeant, sed in hac re considerate procedant. (R. Sac., 15. — Ins., III, 2.) Nihil a pœnitentibus accipiant, præcipue in proprium usum, nec quidquam restituendum aut titulo restitutionis erogandum accipiant, nisi Superior faciendum ducat. (R. Sac., 22. — C. G., VI, 21. — XII, 39. — Or., IV, 9.) [3]

Ad moribundos adjuvandos parati sint, sed non diutius cum ipsis maneant quam necessitas postulat. Ad testamenta condenda hortentur, sed eorum confectioni non assistant. (Reg. Sac., 28.) Nec exsecutionem testamenti aut legati confidentialis accipiant. (C. G., XII, 38.)

[1] Non permittitur Nostris audire confessiones feminarum quæ ipsos sequantur de civitate in civitatem (*a.* 1617). « Supervacaneum et fortasse periculosum etiam censetur feminas quotidie vel alternis diebus ad confessionem admittere. » (P. Anderledy, ad Prov. Castell., 12 sept. 1884, apud P. Villada, n. 146.)

[2] Crates tam laxæ esse non debent ut digitus trajici queat (*a.* 1618). Confessionalia in locis patentibus sunt constituenda ; nec facile permittendum est Nostros audire confessiones sæcularium in domibus eorum, nisi sint infirmi (*a.* 1646).

Monet P. Villada ne, sine venia, suscipiant onus ex quo possint sequi incommoda, uti, v. g. denunciandi sollicitantem. (n. 140, not.)

Ne recipiant Nostri confessiones feminarum in odeo templi (*a.* 1646).

[3] Confessarii monasteriorum non prandeant in monasteriis ubi excipiunt confessiones (*a.* 1647).

IV. — **De Confessariis Principum** [1]. — Confessarii principibus 407
non sunt concedendi nisi postquam nostræ circa illos regulæ ab his cognitæ et admissæ fuerint. Qui ad hoc expetuntur rem Provinciali servent integram.

Curare ii debent ne res aulicæ eorum spiritum relaxent. Studio orationis se dedant, disciplinæ se attemperent, paupertatem et obedientiam colant [2]; proximos quosque juvare non dedignentur; negotiis politicis aut compositionibus ineundis ne se implicent. Suam auctoritatem, si quæ est, non efferant. Principibus autem

libere et modeste id significent quod divinum obsequium dictaverit. Eos Societati bene affectos facere curent, et ita disponant ut sua mutatio, quando expediat, facilis sit.

Ne aulam nimis frequentent; ubi Societatis domus est, in ea pernoctent; ubi non est, apud religiosos aut honestos sacerdotes, nec sine socio. (Or., II. — C. G., V, 47, 48, 79, 80. — VI, 21.)

[1] Postulatum ne Nostri essent confessarii Principum vel magnatum, ad declinandam invidiam, non fuit admissum (*a.* Lusit., 1581).

[2] Pannis pretiosioribus uti non debent (*a.* 1631, 1632, 1646) nec certum locum in refectorio habere (*a.* 1617). Subditi sint Rectori ejus loci, in quo commorantur et Provinciali ejus Provinciæ (*a.* 1626, 1630, 1631). Fercula extraordinaria eis non sunt apponenda (*a.* 1643). Si qui vero ad ipsos ex aula mittantur cibi, eos distribuere in refectorio non debent, sed portio majuscula eis danda, cætera communitati distribuenda (*a.* 1640, 1649), et melius esset sportulam ex aula omnino non admitti (*a.* 1647). Non debent habere famulum sæcularem, catellum, etc..., (*a.* 1640, 1649); imo, si mitterentur ex aula candelæ cereæ, non permittebatur eos his uti in cubiculis, sed cebaceis sicut alii; cereæ vero cedebant in usum ecclesiæ (*a.* 1649). His tamen concessum est privilegium clavis, sigilli, scribendi et accipiendi litteras, habendi aliquid pecuniæ ad eleemosynas et exeundi domo (*a.* 1665).

SCHOLION

DE APPROBATIONE ET JURISDICTIONE

408 Approbationem quæ ad validam sacramenti administrationem requiritur, Episcopus limitare potest quoad sacerdotes qui non censentur idonei ad quaslibet confessiones audiendas. Qui sic approbati fuerint, novo examini subjici possunt et eis approbatio adimi. Qui vero generatim idonei sunt, generatim approbari debent et illimitate, et probabiliter possunt semper prætendere ad illam illimitatam potestatem saltem per examen, nisi probetur contraria consuetudo. Qui vero absque limitatione post examen fuerint approbati, nec suspendi nec etiam probabiliter valide examinari denuo ab eodem Episcopo possunt, nisi ex superveniente

causa publici scandali, aut sceleris aut alia confessionem concernente. Nunquam totam communitatem suspendere potest Episcopus inconsulto Summo Pontifice. Vicarius capitularis, sede vacante, nequit ad examen revocare, nisi elapso approbationis tempore; in revocatione vero generali, ab Episcopo facta, non comprehenduntur Regulares nisi in specie nominentur. Potest Episcopus per se examinare eos qui a suo Prædecessore aut Vicario generali fuerint examinati, et probabilius etiam eos qui absque examine ab ipso approbati fuerint. Non potest excipi tempus paschale, nec confessio moribundorum; de qua tamen informari debet parochus, sive viva voce, sive scripto apud ægrotum retento, ut ultima sacramenta tuto ministrare possit. Exprimi debet approbatio pro monialibus etiam exemptis; et ad certum tempus aut certos conventus limitari potest. (Clemens X, Bulla *Superna*, 1670.) Insuper pro monialibus, Ordini regulari subjectis, requiritur facultas Prælati regularis. At in hac materia sermo est de monialibus stricte dictis, i. e. claustratis et Ordinis in quo emittatur solemnis professio, nec degentibus legitime extra claustra : attamen pro Congregationibus simplicis professionis, potest Episcopus præscribere necessitatem specialis approbationis : attendas igitur statuta diæceseos. At videtur corruisse privilegium Gregorii XIII (*Decet*), quo Nostri itinerantes, semel in uno loco approbati, poterant ubivis audire confessiones sine alia approbatione, dummodo ibi non essent Ordinarii, nec repugnarent parochi. Ita implicite Comp. Priv., n. 57, 123.

Negat quidem editor P. Montrouzier supradicta Constitutione Clementis X fuisse revocatam facultatem ab Innocentio X (14 maii 1653) Episcopis Indiarum, aliarumque regionum valde dissitarum, datam totum conventum ex gravissimis causis suspendendi; verum cum Clemens X lites omnes inter regulares et episcopos componere voluerit, credi potest eum hanc restrictionem omissurum non fuisse si eam retinere voluisset. Et consentit expresse Comp. Priv., n. 57 in fin., ad v. *Clemens X*, ubi ait breve Innocentii hac de re a Const. Clementina revocari. Nota

insuper conditionem regionum dissitarum hodie, attenta commeandi facilitate, aliam prorsus esse ac antea.

De hac tota materia cf. P. Villada, p. II, a. 1. Pro navigantibus approbatio datur ab Episcopo loci unde solvitur, et valet usque ad finem itineris, etiam probabiliter in stationibus momentaneis (*escales*), at ibi solum in navi et portu. (Cf. Villada, n. 126, sqq., qui putat locum unde solvitur intelligendum esse locum ubi sacerdos navim subit.)

Facultatem regulares semel approbatos ad examen revocandi Vicario generali non competere docet Bouix. (De jure Regul., t. II, p. 246.)

Si quis vero in aliquo loco fuit indefinite approbatus et inde discessit, postea rediens nova approbatione non indiget (Gury-Ballerini, t. II, n. 561), nisi ibi facultates etiam indefinitæ fuerint revocatæ, ut sæpe fit, per novos Episcopos.

Improbatus fuit a Patre nostro Generali Rector qui paruerat Archiepiscopo Ebredunensi prohibenti ne Nostri, tempore paschali, in sua Ecclesia confessiones audirent, et jubenti ut in Ecclesia cathedrali aliquot ex ipsis hoc ministerium exercerent (*a.* 1652); cumque annis sequentibus hæc prohibitio renovata fuisset, jussi sunt Nostri modeste sese excusare, suaque privilegia ostendere et servare (*a.* 1657).

409 Hæc de approbatione. Jurisdictio vero datur a S. Pontifice per nostros Superiores (ita communis, ob quam prætereunda est dubitatio quorumdam apud P. Mélot, n. 335, circa fin. — Cf. quoque Bizzarri, p. 809, sqq.) Et nisi expresse limitetur, confertur pro *ubique* et *semper*. Hinc confessarius retinet illam, etiamsi mutet domicilium, quamvis licite nequeat ea uti absque licentia sui novi Superioris. At aliud dicendum est de jurisdictione in *reservata* aliisque facultatibus a Superiore locali communicandis : hæ enim cessant, mutato domicilio, i. e. quando religiosus pervenit ad novam domum ubi stabiliter habitaturus est. (P. Villada, n. 118, 158.) Jurisdictionem semel collatam prohibitio audiendi confessiones non tollit illico et per se; videndum igitur ex adjunctis utrum prohibitioni utendi addatur substractio ipsius jurisdictionis.

CAPUT QUARTUM

DE EUCHARISTIA, EXTREMA-UNCTIONE, OFFICIIS, RELIQUIIS

I. — **Eucharistiam** 1° In nostris Ecclesiis *servare* possumus, 410
necnon in oratoriis domesticis nostris ubi celebrare possumus, etiam pluribus in domo : at hæc oratoria a Provinciali deputanda sunt, et quidem ad divinum cultum dumtaxat, certiore per se aut per alium de honestate loci [1]. (Comp., Priv., n. 195, 196, 435.) Sit Eucharistia clavi obserata et decimo quinto quoque die renovetur [2]; 2° *Distribuere* fidelibus in nostris ecclesiis, oratoriisve nostris, et ubivis permittitur usus altaris portatilis; non vero in alienis ecclesiis sine consensu quorum interest, nec in oratoriis privatis sæcularium, nisi saltem non prohibeatur consuetudine aut locali statuto. Imo nec extraneis, die Paschatis, in nostris ecclesiis ministrare, aut in mortis articulo, excepto casu veræ familiaritatis aut urgentis necessitatis, de qua tamen adeundus antea Superior, si tempus id permittat (Comp. Priv., n. 197 ad n. 202) [3]; 3° *Exponere* publice de licentia Ordinarii, et private sine licentia. (Ib., n. 205.) [4]

Excitentur omnes ad frequenter, non tamen ultra quam eorum status fert, communicandum, ratione habita majoris eorum utilitatis et proximi ædificationis, spectato decreto Innocentii XI (1679) [5]. (Cst., VII, IV, 5, D. — Reg. Sac., 26. — Reg. Præf. Eccl. et Ædit. — Ins., III, 8. — Epit., P. V, n. 30.)

[1] Imo possunt deputari in domibus alienis, ubi aliqui e Nostris, aliquo

saltem tempore, residerent; necnon in nostris prædiis rusticis (Comp. ad v. *Oratoria*, et comment. in hoc privilegium a Gattico, in suo opere *De oratoriis privatis*, c. XVIII); at hæc oratoria deputari debent ad divinum cultum dumtaxat.

[2] Non tamen necessario novæ hostiæ intra hoc tempus conficiendæ sunt. (P. Claud.) Verba porro Cærem. juxta S. C. Rit. (in Paris., 7 sept. 1850 et pluries) includunt « strictam et rigorosam obligationem. » Cf. tamen Gury, t. II, n. 314. Nec debet confectio excedere unum mensem. Clavis asservanda est a sacrista aut in alio tutissimo loco. (S. C., 9 feb. 1751.) Et cf. gravissimas litteras S. C. EE. et RR. (apud Bizzarri, p. 34 et sqq.)

411 [3] Annua communio in nostra ecclesia fieri potest ab eo qui eam paschali tempore omisit, exceptis iis regionibus ubi schedula a Parochis exigitur. (*f.* P. Subst., 4 apr. 1845). Imo ipso die Paschatis S. Communionem fidelibus in regularium ecclesiis distribui posse, ubi id ab Ordinario non prohibetur aut si non fit cum intentione implendi præceptum paschale, tenent varii auctores. (Cf. S. Ligorius, *Homo Apostolicus*, tr. 12, n. 41, et P. Villada, n. 160.) De momentis tamen intrinsecis hujus sententiæ extrinsece probabilis, cf. P. Mélot, n. 209 et sqq., ubi contrariam tuetur. Suarezius vero tenet (l. IX, c. III, n. 12), communionem infirmis, extra casum viatici, a Regularibus deferri posse, ubi id sine populi admiratione fieri potest. De quo cf. infra, append. de Privilegiis, art. 2, ad v. *Eucharistia*. Saltem id Ordinarius prohibere valet. In locis vero ubi S. C. de Propaganda Fide id concedere solet, exstat speciale privilegium, cf. Comp., 204. Nihil autem in jure prohibet quominus prima communio in regularium ecclesiis fiat. Sola igitur consuetudo contraria de qua constare debet, id impedire potest. (Cf. Bouix, *De jure Regularium*, t. II, p. 199. — Et S. C. Concilii in Anic., 21 julii 1888.) Utrum vero convictores nostrorum Collegiorum habendi sint ut veri familiares controvertitur, cf. infra, app. de Privilegiis, p. II, a. 1, n. 2.

[4] Cavallieri privatam intelligit expositionem quando aut sæcularibus non patet aditus, aut Sanctissimum non detegitur (Cf. Oswald, n. 920); insuper admittitur hac in re vis consuetudinis.

412 [5] « Cum usus jam obtinuerit pluribus in locis ut devotis frequens intra hebdomadam communio in aliis templis concedatur, adeoque non sit amplius ille status rerum qui fuit quando facta est Instr. III pro confessariis, juxta reg. 26 Sacerd., non est amplius integrum illam frequentiam in nostris ecclesiis prohibere » (*a.* 1614). Et Romana Curia non probat pietatem hac in re nimium constringi (*a.* 1618, 1657). Prudentiæ igitur confessarii res permittitur (*a.* 1619); nec nimium censeri debet si ter in hebdomada viduis spiritualibus communio permittatur (*a.* cc. AA. 1581). Imo regulæ illi fuit expresse et in individuo derogatum ab Innocentio XI, anno 1679. Hinc P. Roothaan ad Prov. Belg. 1836 : « Propter citata Romanæ Sedis decreta, usumque frequentioris communionis fere ubique vigentem, non est amplius integrum illam frequentiam in nostris ecclesiis prohibere; caute tamen et admodum conside-

rate hac in re procedere debent confessarii. Ita sæpe responsum fuit jam a sæculo XVII. » (*g*) Nec forte prætereundum est reg. 26 sacerdotum olim inculcatam fuisse in Ins. III, n. 8, quæ fere tota est de cautelis et moderamine in audiendis feminarum confessionibus adhibendo. Ceterum de zelo Societatis ad propagandum usum communionis, cf. Leo XIII, *Nihil adeo ;* ubi conceditur indulgentia plenaria pro mensili communionis generalis exercitio.

II. — **Extremam unctionem** nostris infirmis necnon et iis qui 413
de familia sunt [1] (et aliis in casu necessitatis) administrare possumus. Inter casus vero necessitatis recensetur ille quo parochus administrare sacramentum recusat sine causa legitima et hujusmodi denegatio probari potest testimonio vicinorum. (Comp. Priv., 233.) Igitur in ecclesiis nostris servandum est oleum sanctum et singulis annis renovandum [2]. (R. Præf. Eccl. — Comp. Priv., 431.)

[1] De familiaribus, cf. app. de Priv., p. II, a. 1, n. 2.

[2] Oleum sanctum servandum est in loco distincto a tabernaculo venerabilis Sacramenti (*a.* 1610).

Tempore pestis, quidam designandi sunt qui ad juvandos infectos se obtulerint et ab aliis segregandi (*b.* ††, 1576).

Dum autem peste infectis nostram operam non negamus, omnes intelligere debent, nos sponte nec ulla obligatione adstrictos id facere (*b.* †, 1587).

III. — **Chorum** ob nostras occupationes et stationis nostræ 414
instabilitatem non habemus [1]. (Paulus III, *Regimini.* — Julius III, *Exposcit.* — Gregorius XIII, *Ex Sedis Apostolicæ.* — Cst., VI, III, 4.) Potest tamen, ubi utile erit ad attrahendum populum ad confessiones et concionem, dici vespertinum officium, sine cantu figurato vel firmo, sed tono simplici [2]. Item officia Hebdomadæ sanctæ [3]. (Cst., VI, III, 4, B. — C. G., I, 40.) Missæ non sunt cantandæ nisi, gravissima de causa, id concedat Generalis [4] (Cst., VI, IV, B. — C. G., I, 39. — III, 36), qui hanc concessionem revocabit ubi ad ædificationem non conferet. (C. G., II, 17.) Potest permitti ut in exsequiis principum fiat officium cum feretro, sine pompa. (C. G., I, 120. — IV, 61.)

Ritus romanus ubique servetur [5]. (C. G., IX, 19.)

[1] Ut, singulis diebus dominicis et festis, cantentur in nostro templo a Nostris Sacrum et Vesperæ, cum diacono et subdiacono, non est satis conforme

nostro Instituto et id nunquam Societas approbavit : speciem enim quamdam habet chori (*a.* 1655).

[2] Nulla regula præcipit ut Nostri adsint Vesperis quæ in nostris templis cantantur (*a.* 1618).

[3] « Officium Hebdomadæ Sanctæ in Regula intelligitur concessum sine præjudicio et impedimento confessionum quæ tunc solent frequentes esse » (*a.* 1589). Permissus est pro domo Professa Vilnensi cantus Vesperarum modestus, decens atque ad pietatem provocans (*a.* 1616), « Cum primi PP. NN. olim attraxerint populum concionibus, studiosaque consuetorum nostrorum ministeriorum exercitatione potius quam cantus suavitate facere potuissent, non videtur cantus Vesperarum ac Litaniarum in templo Domus professæ Antverpiensis concedendus » (*a.* 1622). De mente S. Sedis circa cantum et musicam in Ecclesiis adhibendum, cf. Bened. XIV, *Annus qui*, 19 febr. 1749 ; — et Ordin. S. C. Rit., 25 sept. 1884. (*Acta S. Sedis*, t. XVII, p. 340).

Organa nonnisi moderate admissa sunt, ea scilicet ratione ut foveretur devotio, at arcerentur abusus, ut patet ex seqq. « Organa reponere Viennæ non expedit, cum sit res præter Institutum nostrum. Mallemus Nostros diligentius incumbere in ministeria propria Societatis » (*a.* Austr., 1587). Tum paulo mitius : « Organa ante triennium Viennæ sublata sunt propter incommoda isthic comperta ; restituantur ita ut servetur modus in eis pulsandis, ut modice et parce id fiat » (*a.* Austr., 1590). « Organi usus permitti potest in Congregatione Collegii Aquilani ad excitandum fervorem et devotionem Sodalium in ea civitate » (*a.* Neap., 21 jul. 1607). « Organa permittenda sunt ubi introducta sine offensione tolli non possunt. Bransbergæ permissa sunt vetera reparari ex eleemosynis » (*a.* 1591). « Organum in templo Domus professæ admitti potest, si ad devotionem populi conducere judicatur, dummodo sit mobile » (*a.* Lith., 24 jan. 1616). « Cum ageretur de altero organo in templo Domus professæ Romanæ erigendo, dixit R. P. N. (Mutius) : Utinam nullum esset factum. P. Claudius non consultavit quando primum concessit » (*a.* CC., 2 mart. 1623).

« Tolerari non debet quod permiserat Halensis Rector, ut Nostri conterant tempus in discenda arte pulsandi organa » (*a.* Prov. Germ., 19 sept. 1643). Cf. quoque supra n. 145.

[4] Rationes quæ S. P. Ignatium moverunt ad officia solemnia non admittenda, gravius hodie urgent, nec ullius sunt ponderis rationes quæ in contrariam partem afferuntur (*f.* 17 sept. 1836). In ipsis igitur Collegiis hæc officia nec multiplicanda nec nimium protrahenda sunt. Satis est ut, in præcipuis solemnitatibus, per horam cum dimidia mane, et per idem tempus vespere alumni in templo detineantur (*f.* 1 mart. 1836). At quoad eas ecclesiasticas functiones quæ nostri Instituti sunt propriæ, debite in ritibus exerceantur Nostri in Domibus probationis et maxime in Seminario theologico (*c.* Prov. Tolos., 1856).

[5] De privilegiis Missionariorum circa ritus orientales, cf. Comp. Priv. ad v. *Ritus*.

IV. — **Processionibus** interesse non debemus, nisi Generalis 415
dispenset, nec ad id ab Ordinariis cogi possumus. Ubi interesse necesse est, vestiri superpelliceo debemus, juxta morem honestorum clericorum, et eo loco et ordine procedere qui nobis assignatur. (C. G., III, 35. — Gregorius XIII, *Quæcumque*.)[1] Jus habemus processiones instituere, sine licentia Ordinarii aut parochi, in nostra ecclesia et claustro; si vero ecclesia claustro caret, intra ambitum, i. e. eam ambiendo extra, prope muros. (Comp. Priv., n. 221.)

[1] Processionibus interesse debemus si absque scandalo abesse non possumus, judicio Provincialis (aut, in casu urgenti, Rectoris cum consultoribus), ut in necessitatibus publicis, exequiis regum (*a.* 1586, 1598), aut propter catholicorum paucitatem (*a.* 1600). Sed non præferatur crux; et Nostri eant promiscue inter alios (*a.* 1558, 1624). Et ne oriatur consuetudo (*a.* 1600). Multo minus Nostri processiones spectatum eant; id enim parit scandalum (*a.* 1587).

Universim autem funera non externorum modo sed ne parentum quidem comitari Nostris non convenit (*a.* 1595). Domi potius pro iis celebrent quam in ecclesiis in quibus fiunt exequiæ; nisi forte ex nostra absentia timeatur scandalum; sed tunc etiam non offerant eleemosynas (*a.* 1668). Aliquando probatum est ut Nostri exequiis sæcularium benefactorum adessent, dummodo processionaliter eo non se conferrent, nec funebribus conviviis interessent (*a.* 1648).

V. — **Reliquiæ** Sanctorum duplici clavi obseratæ serventur, 416
quarum altera a Præfecto Ecclesiæ, altera diversa a Superiore teneatur. (R. Præf. Eccl.) Nulli, nequidem Provinciali ac Visitatori, licet aliquid ex his auferre aut auferri sinere. Qui id commisissent puniendi essent a P. N. (C. G., VII, 28. — R. Pr., 121.)[1]

[1] Non magis licet permutare reliquias sacras quam donare simpliciter; et debet Provincialis respondere etiam Episcopo flagitanti omnem reliquiarum alienationem sibi esse interdictam (*a.* 1655). Imo si agitur de reliquiis insignibus id prohibetur nisi adsit licentia S. Sedis, etiam a jure ecclesiastico; cf. Comp. Priv., n. 481.

CAPUT QUINTUM

DE SODALITATIBUS

417 I. — **Congregatio B. M. V.** — Anno 1563 in Romano Collegio erecta, anno 1582 a S. P. Gregorio XIII canonicam approbationem accepit (*Omnipotentis Dei*); et Societatis jurisdictioni submissa fuit. Idem Pontifex ejusque successores copiosis indulgentiis hanc institutionem ditarunt et Præposito generali Societatis potestatem fecerunt, et quidem exclusivam, Primæ Primariæ Congregationi, sub titulo Annuntiationis B. M. V. in Romano Collegio erectæ, Congregationes alias sive ex viris sive ex mulieribus constantes, aggregandi easque admittendi ad participationem omnium indulgentiarum illi concessarum [1]. (Gregorius XIII, l., c. — Sixtus V, *Superna dispositione* et *Romanum decet*. — Gregorius XV, *Alias pro parte*. — Benedictus XIV, *Præclaris Romanorum, Gloriosæ Dominæ, Quo tibi*. — Leo XII, *Cum multa*. — Leo XIII per organum S. C. Indulg., 23 jun. 1885 et 17 sept. 1887.) Hæc aggregatio postulanda erat tum a P. N. tum a Præfecto et Assistentibus Congregationis Primariæ, sed non priusquam Rector et Provincialis judicavissent Congregationem erigi et persistere posse. (Or, XXI.) [2]

Hæ Congregationes *si internæ sunt* (nec olim aliter constitui poterant), bona immobilia habere non debent, ne episcopali visitationi subjaceant [3], et nobis recedentibus perdurent. (Or., XXI, 3.) [4]

Omnes Nostri frui possunt privilegiis Congregationis, licet ejus conventus non frequentent, dummodo cæteras conditiones adimpleant et templa Societatis visitent. Gaudent proinde privilegio

altaris privilegiati, quando pro Nostris celebrant. (Benedictus XIV. — Gregorius XVI.)[5] Cf. app. de Priv. infra, p. II, § VII, in scholio.

[1] Commendatur ut statuta Sodalitatis conformentur statutis Primæ Primariæ quantum temporum locorumque conditiones suadebunt; et (si quæstio est de externa sodalitate) ab Episcopo aut ex speciali delegatione a Vicario generali approbentur. (Instructio de Congreg. B. M. V. rite instituendis, Romæ impressa.) 418

Quod Congregationes feminarum participare possint indulgentias, cf. S. C. Indulg., 12 maii 1844. At Congregationes Bonæ Mortis debent habere eumdem titulum ac Primaria; Congregationes vero B. M. V. habeant necesse est pro titulo principali aliquod mysterium aut festivitatem B. Mariæ. (Cf. Beringer, *Des Indulgences*, t. II, p. 294, et Benedictum XIV, *Gloriosæ Dominæ*.)

[2] Hodie de modo peragendæ aggregationis, cf. litter. P. Anderledy, 30 aug. 1885. Singulæ sodalitates nostrorum Collegiorum proprium diploma habere debent. Sodalitas SS. Angelorum aggregari potest Primariæ sub titulo B. M. V. Reginæ Angelorum.

Nec omnes passim alumnos in eas admitti convenit, ut fieri solet in Italia, neque tamen earum ingressum adeo difficilem reddere ut olim Friburgi fiebat (*d.* apr. 1855).

Non est postulanda sodalitatum institutio ubi rectæ gubernationis diuturnæque conservationis spes certa non adest (*i.* Prov. Tolos., 1865.)

Conandum est eos virorum cœtus qui NN. directioni committuntur ad Congregationum formam redigere (17 apr. 1873). Cf. quoque P. Anderledy, 8 jun. 1884, de promovendis his nostris Congregationibus, ut Societati propriis. Et C. G., XXIV, 20, n. 4. Eæ vero sodalitates quæ post Societatis suppressionem ab antiqua norma deflexerunt ad eam suaviter reducendæ sunt. In iis quæ modo instituuntur præ oculis semper habeatur eorum finis qui est cultura spiritus. Abstineatur ab expensis quæ collectas necessarias redderent; et pecunia a directoribus non retineatur. (Prov. Sic., 1835.)

[3] In antiqua Societate nonnisi in nostris domibus erigebantur sodalitates, et ita quidem ut hæ essent pars et quasi membrum istius domus a qua esse independens non haberent. (Gregorius XV, *Alias pro parte*, et præsertim Benedictus XIV, *Laudabile*.) Restituta vero Societate permisit Leo XII (7 mart. 1825) erectionem externarum etiam sodalitatum quas dirigeret quilibet sacerdos : utriusque classis ratio diversa sedulo præ oculis habenda est ne modernis externis sodalitatibus temere applicentur ea quæ antiquis internis erant propria, uti est, in specie, omnimoda subjectio sodalitatis Societati et independentia ab Ordinario. Huic enim pertinent, in externis sodalitatibus, confectio, adaptatio, approbatioque statutorum, sacerdotis moderatoris institutio, jus visitationis, etc. In antiquis e contra de tali subjectione immunis erat sodalitas, ut quæ esse et bona non haberet a Societatis bonis et esse distincta. Si quis Congregationi aliquid dare aut relinquere cupiebat, id vel 419

alteri loco pio dabatur, cum obligatione census annui (*a.* 1638); vel formabatur aliquis cœtus ex sodalibus constans, penes quem hujus fundi administratio esset (*a.* 1610). Quando tamen dominium bonorum Congregationis Societati attribuitur, obligatio ipsi incumbit hæc ad usus a donatoribus intentos expendendi (*a.* 1643). Si dissolvi Congregationem contigerit, juxta hanc intentionem expressam vel præsumptam de ejus bonis disponendum est; et ideo interrogandi sunt donatores : eorumque mens in libro memoriali consignanda est (*a.* 1600).

Fuit aliquando permissa arcula pro eleemosynis in sacellis sodalitatum; ea conditione ut ejus usus sodalibus relinqueretur (*a.* 1622 et alias).

Anno 1862 hæc responsa data sunt Prov. Belgicæ. Sodalitatum oratoria ut publica haberi possunt quando erecta sunt in locis religiosis, vel in locis piis publicis, vel in locis ad pios usus, cum approbatione Ordinarii, destinatis. (Cf. Resp. S. C. Concil. in Viglevanensi 27 mart. 1847.) Quare in hujusmodi oratoriis plures missæ quotidie celebrari possunt, non exceptis solemnioribus diebus; potest satisfieri præcepto de audiendo sacro a quibuslibet fidelibus; possunt peragi reliquæ functiones quæ in publicis oratoriis peraguntur. (Cf. S. Alph. Lig. Th. mor., l. VI, n. 357.) — Nuspiam exigitur tanquam conditio essentialis ad fruendum privilegiis sodalitatum ut certa spiritualia exercitia tradantur, nec ut singulis hebdomadis habeatur conventus; nec ut director sit sacerdos. Sodalitas igitur in nostris Collegiis a Scholastico, in conservatoriis vero a moniali dirigi potest. Hactenus responsa Prov. Belgicæ; at directorem esse sacerdotem clare supponere videntur tum Comp. Priv., n. 511, tum P. Anderledy in suis libellis supplicibus ad S. C. Indulg., in Instit., t. 3, app. p. 40, 41.

[4] Id tamen impediri non potuerat; et ideo, dissoluta Societate permanserunt Congregationes. (Epit. Inst., p. V, c. v, 1, 8.)

[5] Ipsi sodales indulgentias Congregationis lucrari possunt templa nostra visitando, etiamsi Congregatio proprium sacellum habeat (*a.* 1646, 1647). Nota tamen illud responsum datum fuisse pro internis sodalitatibus.

Per nos licet ut nostris sodalitatibus adsciscantur monachi nostras scholas frequentantes; cum experientia constet id ipsis non parum prodesse (*a* 1589). Nos vero non debemus nos immiscere in confraternitates et devotiones quæ ab aliis religiosis familiis pendent. (Cf. Litt. Encycl. P. Beckx, 22 feb. 1860.)

N. B. — De erectione, aggregatione, regimine Congregatium, necnon de adscriptione sodalium cf. Beringer, S. J., *Les Indulgences*, 1890, t. II.

420 II. — **Congregatio Bonæ Mortis**, a P. Vincentio Caraffa erecta (1648), alias eodem modo sibi aggregare potest. (Leo XII.) In ecclesia Domus professæ Romanæ, anno 1648 instituta, canonicam erectionem a Benedicto XIII accepit. (*Redemptoris nostri,* 1729.)

Eodem modo ac pro Congregationibus Marianis sodalitates similes P. Generalis erigit et exclusive aggregat. (Leo XIII, l., c.)

N. B. — *Erigere* sodalitates potest tum Ordinarius, tum P. Generalis : *aggregare*, solus Generalis ; cujus tamen facultas, si agitur de Congregatione externa, non est exserenda nisi de consensu Ordinarii. (Leo XIII supra citatus.) Neque in aggregatione Congregationum B. M. V. peragenda subjacemus regulis in Constit. Clementis VIII *Quæcumque*, et in decreto S. C. Indulg. 1861 præscriptis. Quoad Congregationes Bonæ Mortis, Cf. Comp. Priv., n. 510. Aggregatio autem necessaria est ad participandas indulgentias.

Anno vero 1862 responsum fuit Provinciæ Belgicæ, consensum Ordinarii, in locis sibi subditis, pertinere *ad validitatem* actus ; hoc autem consensu obtento, nullam aliam veniam requiri ut Congregatio gaudeat omnibus privilegiis a S. Sede concessis (*c*).

SCHOLION

DE EXERCITIIS SPIRITUALIBUS ALIISQUE SACRIS MINISTERIIS

I. — **Exercitia spiritualia** sunt unum e præcipuis Societatis 421
instrumentis ; quod iis solis committendum est qui prudentia et rerum spiritualium usu probati sunt ; (Cst., VII, IV, 8. — IV, VIII, 5.) quamvis omnes in hac spirituali arte peritiam habere curent. (Reg. Sac., 7.) Nemo vero librum Exercitiorum communicet aut spirituales instructiones mittat nisi Superiore approbante. (R. Com., 39.)

Hic non est prætereundum opus *domorum Exercitiorum,* necnon Exercitia cætibus virorum tradita, ad quæ restauranda magno fructu Nostri non uno in loco navant operam. Qua de re C. G., XXIV, d. 20, n. 4 : « Magna consensione censuit ac decrevit P. N. summopere commendandum ut... urgeat quam maxime curam spiritualem virorum, præsertim operariorum et pauperum... ope Exercitiorum Spiritualium ac Sodalitatum nostrarum. »

II. — **Alia ministeria** etiam corporalia omnia Societas complectitur quæ ad divinam gloriam et animarum salutem magis conferunt. (Cst., VII, IV, 9. — Ins., IV, 3. — Paulus III, *Regimini.* — Julius III, *Exposcit.*)

PARS OCTAVA

De ministerio docendi. — Studia Nostrorum.

CAPUT PRIMUM

DE STUDIORUM ORDINE

I. — **Rhetorica.** — In rhetorica biennium nostris juvenibus communiter consumendum est antequam ad philosophiam accedant (Cst., IV, v. — IV, xv, 1. — St. R. Prov., 18), [1] imo forte triennium his a quibus sperantur magni progressus. (St. R. Prov. cit.) 422

Hoc studium quam commendatissimum Provinciales habeant, eos huic potissimum addicendo qui præter vim ingenii aliarum scientiarum præsidia habent. (C. G., VII, 16, 92. — XIV, 10. — Ins., XX.)

Curandum est ut nostri Juniores solidum fundamentum in latina lingua faciant (Cst., IV, vi, 4); et ideo latine loquantur extra recreationem [2] (Cst., IV, vi, 13. — IV, xiii, 3), imo ipso etiam recreationis tempore, si Rector id fieri facile posse censeat. (St. Rect., 8.) Cæterum hæc exceptio ad totum feriarum tempus non extenditur, sed ad hebdomadarias tantum vacationes et id temporis

quod in villa transigitur. (Ins., XX, 4.) Latine ad NN. scribant. (R. Rect. St., 8.)

Salvis consuetis Societatis studiis et in gymnasiis præeminentia litterarum, enixe commendatur Provincialibus profectus scientiarum naturalium, matheseon, studiorumque nostris temporibus accommodatorum, ideoque ad has facultates aptos quosdam deligant et applicent. (C. G., XXIII, 23.)

[1] Biennium rhetoricæ absolute non præscribitur, nec nisi iis qui ingenio præstant, ut plurimum, utile est. Cæteri docendo in Collegiis plerumque magis proficient (*d.* 14 aug. 1875). At per se separationi Juniorum magis consentaneum videtur si philosophiæ ante studeant quam mittantur ad Collegia externorum.

[2] Regula latine loquendi Magistros non obligat (*a.* 1616 *contra* 1584), etsi excitandi sint et ipsi ad latine loquendum (*a.* 1625.) Id in usu fuit tempore S. P. N. (*a.* 1556 Polanc.) Scholares ad id non obligantur quando exeunt recreationis causa; secus quando ob aliam causam (*a.* 1619). Ipsi vero Magistri studiis nondum absolutis, ad latine scribendum tenentur ex regula 8 Rectoris, sic a P. Mutio exposita; ubi vero mos esset ut ii etiam latine loquerentur, retinendus esset (*a.* 1650, 1654). Nullo autem modo ab hac obligatione eximuntur Scholastici qui convictui præsunt sed actu non docent. (Item). Usum linguæ latinæ in scholis superioribus inculcant C. G., XXI, 19 et XXII, 30, 31.

423 II. — **Philosophia.** — Philosophiæ per triennium studebunt Scholastici [1]; simulque naturali et morali philosophiæ operam dabunt, necnon et mathesi. (Cst., IV, v, 1. — IV, XII, C. — C. G., XX, 25. — XXI, 18. — XXII, 34.)[3] In determinanda vero parte, quæ mathesi et scientiis naturalibus tribuatur, standum esse Ordinationi P. Beckx de triennali philosophia decrevit C. G., XXIII, 22.

[1] Enixe commendatur Provinciali ut juxta præscriptiones Rat. stud. (Reg. Prov., 28), juniores nostros absolutis litterarum studiis, nisi necessitas urgeat, philosophiæ applicet, antequam in docendo occupentur (*c.* Prov. Maryl., 1868).

Biennium philosophiæ quod inducebat revisio Rationis Studiorum reduxit C. G., XXII (d. 34) ad triennium juxta normam antiquam. Ordinatur philosophiæ cursus ex præscriptionibus P. Beckx. (Ord. pro trienn. philos, 1858.)

[2] Permittitur ut, in triennio philosophiæ, doceatur historia naturalis,

dummodo Professores judicent id fieri posse absque cæterorum studiorum detrimento et nimio studentium gravamine (*c.* Prov. Venet. et Galliciæ, 1862).

Qui in sæculo physicæ et mathesi studuerunt, possunt per biennium cæteris rationalis et moralis philosophiæ partibus studere, dummodo de eorum in physicis profectu serio examine constet et saltem de universa philosophia examen subeant (*c.* Prov. Tol., 1865). Cæterum triennium contrahere non licet, contra Decretum C. G., 22. Nihil hodiedum utilius est quam sana philosophia (*d.* 14 aug. 1875).

III. — **Theologia dogmatica.** — In theologiæ dogmaticæ cursu 424
quadriennium impleatur[1] (Cst., IV, xv, 3. — V, ii, 2. — C. G., XXIV, 24, 1), in cujus decursu per duos annos Theologiæ morali, et per duos alios Scripturæ sacræ studebunt. (C. G., VII, 33, 7.) Ad theologiam moralem quod attinet, decrevit C. G., XXIV, 24, n. 5, ut tum pro examine annuo theologiæ dogmaticæ, tum pro examine ad gradum, seligantur aliquæ quæstiones quæ principia contineant scientiæ moralis. Secundo vel tertio anno, linguæ hebraicæ ii applicandi sunt, qui ad eam inepti penitus non censerentur. (St. R. Prov., 8.) Ad hoc studium magna humilitate fulti accedant, eo potissimum fine ut versionem vulgatam defendant. (Cst., IV, iv, 5, D. — IV, xiii, 4.)

Provideatur ut semper sint e Nostris qui intra quadriennium juri canonico et ecclesiasticæ historiæ applicentur, ne desit Professorum copia. (St. R. Prov., 9, 2. — C. G. XXIV, 24, 4.) Imo, juxta eamdem Congregationem XXIV (n. 4), omnes auditores cursus theologici, saltem aliquo modo, earumdem disciplinarum studio vacare debent. Si vero quibusdam utile esset harum disciplinarum pleniorem cognitionem acquirere, tempus post quadriennium eis tribui posset. (Cst., IV, v, B.)[2]

[1] Excogitanda ratio qua theologiæ studiosi familiarem sibi faciant lectionem 425
SS. Patrum et se in casibus magis exerceant (*a.* 1618).

[2] Non diffitendum est difficile hodie conjungi seriam in propriis Societatis studiis institutionem cum multiplici modernæ disciplinæ eruditione, ita ut commode possint nostri Scholastici utraque potiri : quod tamen Dei, Ecclesiæ et animarum ratio postulat. Hinc in revisione P. Roothaan, pars aliqua major cursibus, ut aiunt, accessoriis tribuebatur; et 7 oct. 1837, responsum fuit minime expedire juris canonici eliminationem.

At in suis litteris de ordinando studio theologiæ (15 jun. 1882) animadvertit B. Beckx ex multiplicatis cursibus secundariis obrui scholasticos scholarum numero : « Singulis diebus, aiebat, quatuor vel quinque lectiones audire debent : quo fit ut, contracto tempore studii privati et rerum addiscendarum copia amplificata, neque præcipua neque necessaria solide discant. » Imo variis academiis aliquando « adiguntur interesse diebus festis vel vacationum, quos in recolendis diligentius præhabitis lectionibus insumere deberent. » Itaque, re ad antiquæ Rationis normam hac in parte reducta, præscribebat P. Generalis ut « solido quadriennio, præter theologiam moralem et Scripturam Sacram per duos et linguam hebraicam per unum annum, unice theologia scholastica traderetur. » Juri canonico, historiæ ecclesiasticæ et similibus accessoriis facultatibus studendum erat, sed absoluto quadriennio, sive a biennistis, sive pro opportunitate a cæteris. (At cf. C. G., XXIV, 24.)

Quæstionem iterum agitavit C. G., XXIII, dirimendamque atque ordinandam rem remisit P. N. cum deputandis. Attamen mens Congregationis colligi posse videtur circa duo puncta : retenta scilicet norma aliqua communi, attendendæ sunt speciales uniuscujusque provinciæ conditiones (d. 16, in fin.) ; eruditioni vero, saltem exquisitiori, modernæ disciplinæ, quæ maxime commendatur, non omnes communiter, sed selecti pro suis dotibus applicandi sunt. (D. 23. — Et cf. C. G., XXIV, 24.)

426 Hi qui theologiæ scholasticæ non student sufficientem dogmaticæ theologiæ cognitionem acquirant. (C. G., XXI, 16.)[1] Sint igitur pro iis duo Professores quorum unus moralem, alter dogmaticam theologiam tradat. (St. R. Prov., 12.)[2]

Omnino (vero) præstandum est ut, tum in ipsa theologia, tum in aliis disciplinis, textus aliquis prælegatur typis editus, designandus a Provincialibus cum approbatione Præpositi generalis. (C. G., XXIV, 24, n. 3.)

De cursu breviori theologiæ, statuit eadem Congregatio (d. 24, n. 6) : 1° Triennium illi esse impendendum ; 2° Provincialis arbitrio, approbante Generali, relinqui an et quibus concedendæ sint scholæ Juris Canonici, Historiæ ecclesiasticæ et Scripturæ Sacræ.

[1] « Qui in examine judicatus quidem est aptus ad scholasticam sed ingenio valde mediocri, si deliberate et sponte desideret audire casus, potest à Provinciali applicari morali » (*a.* 1638). Potest tali etiam suaderi ut eligat studium casuum » (ibid). « Instanter petenti transire sine examine ad casus, potest concedi ; consultum tamen est ut etiam chirographo suo cogatur fateri se id postulasse » (*a.* 1641). His vero cursum specialem theologiæ compen-

diariæ tradi multo utilius erit quam si per tres annos cursum theologiæ scholasticæ sequi permitterentur (*d.* P. A., 9 jun. 1855).

« Le P. X... voudrait renoncer à la théologie scolastique, se limiter au petit dogme, lors même que ses examens de philosophie lui donneraient droit au grand cours. Si la faiblesse de sa santé lui en fait une obligation, nous n'avons rien à opposer. Dans le cas contraire, le bien de la Compagnie demande que les sujets reçoivent toute la formation dont ils sont susceptibles; et le désir de donner aux parents la consolation d'entendre la messe du P. X... n'est pas un motif suffisant pour sacrifier ses études et pour lui enlever les moyens de rendre plus de gloire à Dieu. » (P. Beckx, ad Prov. Tolos., 19 jun. 1874.) — « Amoti a scholastica debent publice audire casus, nisi Provincialis, auditis consultoribus suis, justis de causis, putet dispensandum ut privatim studeant casibus » (*a.* 1613).

[2] Utile sane est ut junior theologiæ Professor cum antiquiore conjungatur a quo formari possit; verum utilius esset ut ad hoc munus philosophiam docendo se præpararet (*f.* 3 sept. 1833). Non convenit ut quis a discipulorum scamnis ad Professoris cathedram immediate transeat (*f.* 7 oct. 1837).

427 IV. — **Theologiæ repetitio.** — Biennium ad repetendam philosophiam et theologiam iis concedendum est qui majori ingenio pollent, quique, initio quarti anni, a Provinciali, Consultis Rectore, Præfecto, Magistris et Consultoribus, designabuntur. Hi omni ecclesiasticæ eruditioni acquirendæ, Sacræ Scripturæ, Conciliis, controversiis, canonico juri, hebraicæ linguæ operam dent. (Cst., IV, iv, 14, 16. — R. Prov., 52. — St. R. Prov., 10.) Ad disputationes publicas mittendi sunt; compendiariam dogmaticam aut etiam philosophiam et scholasticam theologiam ad tempus prælegere possunt; possunt etiam ad gradus academicos promoveri, consulto Generali [1]; etsi sumptus fieri aut honores ipsis conferri (excepto forsan insigni aliquo serico) non debeant. (Cst., IV, iv, 17. — IV, xv, 4. — R. Prov., 52, 62, 64. — St. R. Prov., 8 et sq.) Eos Rector in concionibus non occupet, nisi raro, consulto Provinciali. (St. R. Rect., 5.)

[1] De potestate Generalis creandi Doctores, cf. Comp. Priv., n. 294, sqq. — Non tamen nisi ob graves causas et caute Nostri ita provehendi sunt (*b.* ††, 1625).

Decrevit C. G., XXIII, expedire ut selecti juvenes nostri mittantur ad gradus suscipiendos quibus a potestate civili legitima fiat facultas ad publice

docendum; ita tamen ut omnino curetur de Ratione Studiorum integre servanda, et de solida in litteris et scientiis Nostrorum institutione. Cum vero aliquando præparatio ad hos gradus in mathesi et scientiis ægre componatur cum ratione triennalis philosophiæ, aptiores progredi possunt ulterius in his disciplinis, sed post cursum communem absolutum. (Decr. 21, 22.)

428 Scholion. — *Quandonam ad ordines evehendi Nostri.* — Sacros ordines, nonnisi in fine studiorum accipiant Scholastici ut liberiores sint tempore et in sua vocatione firmiores [1] (Cst., IV, iv, 3, C. — Or., iii, 7); nec alii promovendi sunt nisi qui in spiritu et religiosis virtutibus profecerint; qui ætatem legitimam habeant, linguam latinam bene legere et pronuntiare sciant, in casibus saltem conscientiæ versati sint ad tradendam doctrinam christianam rudioribus idonei, et in missa dicenda initiati; qui vota Societatis emiserint et quinquennium in Societate transegerint [2]. (Ins., I, 1. — III, 1.) Demum in Nostrorum ad ordines promotione Ordinatio VII accurate servetur [3].

De promotis Provincialis certiorem faciat Generalem; eorum nomina in libro scribat et moneat Consultores, ut ad Generalem de observatione Ordinationis VII scribant. (R. Prov., 61.) Ordines minores post biennium Novitiatus conferri solent; licet de his nihil in jure nostro præscribatur. (Epit., p. 2, n. 79.)

429 [1] Statutum est ut anno quarto theologiæ omnes ordinarentur (1646, 1648, 1650). Deinceps generaliter concessum est ut tertio anno promoverentur (*a.* 1665). Idque recenter confirmatum est (*f.* 7 mai 1846).

Minime consentire debemus ut Episcopi Nostros examinent circa mores, in quo nullum jus habent (*a.* 1611); nec ad examinandum circa doctrinam jus habere videntur, ex privilegio a Gregorio XIII concesso (*a.* 1582) et a S. C. Concilii confirmato in Mechlinen, 5 julii 1681. (Cf. Schmalzgrueber in lib. I Decret., tit. XII, et Lacroix, l. VI, P. 2, n. 2194.) Et revera qui tria vota in Societate emiserint, etiamsi solemniter non professi, dummodo alias ætate, moribus et doctrina idonei sint, promoveri possunt a quolibet Antistite cum Cathedra Romana sociato (de consensu tamen Ordinarii loci ubi fit Ordinatio) ad Ordines tum minores tum majores, etiam extra tempora, atque interstitiis minime servatis; nec tenentur se subjicere examini Episcopi. Facultas porro dimittendi Nostros ad Ordines et utendi his privilegiis communicatur Provinciali (Comp., n. 441 et sqq.)

At die 4 novembris 1892, prodiit decretum S. C. EE., et R. P., quo præs-

cribitur ne dimittantur ad Ordines sacros Religiosi, nisi quibusdem stantibus conditionibus. Porro cum decretum præ oculis habere videretur sive ordines in quibus Professio solemnis fit post triennium, sive Congregationes votorum simplicium, A. R. P. N. Ludovicus Martin, quoad Societatem, mentem petiit Em. Cardinalis Præfecti; et juxta hanc mentem declaravit litteris suis 11 maii 1892, 1° posse Nostros promoveri ad Ordines sacros triennio post biennii vota peracto; 2° neminem promoveri posse, ad subdiaconatum nisi per annum theologiæ operam dederit; ad diaconatum, per biennium; ad presbyteratum, per triennium; præmisso regulari studiorum curriculo.

Utrum vero vi nostrorum privilegiorum possint Nostri ordinari diebus etiam qui non sint *de præcepto,* cf. P. Villada, n. 161, cui affirmativa videtur tenenda, *attento privilegio Leonis XII.*

[2] Hoc quinquennium ab ingressu in tirocinium computandum est (*a.* 1620).

[3] Quam Ordinationem severissime exsequendam iterum commendabat A. R. P. Martin, 12 dec. 1894.

CAPUT SECUNDUM

DE EXERCITATIONIBUS SCHOLASTICORUM NOSTRORUM

430 I. — **Quoad rhetores.** — Præter ea quæ ad scholas publicas pertinent, Nostri, in specie, aliquando latine aut græce aut vernaculo sermone, in mensa aut in aula, declament de re ad ædificationem faciente. (Cst., IV, VI, 13.) Bis aut ter in anno carmina condant et affigant. (St. R. Rect., 8.) Eos libros legant quos Præfectus assignabit[1].

Statutis temporibus conferant vel disputent aliquo dirigente; ex tempore loquantur, aut prius composita recitent. (Cst., IV, VI, 12; — IV, XIII, 3.) Sub finem studiorum, antequam ad docendas scholas inferiores mittantur, eligatur aliquis, docendi peritissimus, qui eos ad novum ministerium instituat. (St. R. Prov. 30, Rect. 9.)

[1] Non promiscue permittenda nostris junioribus lectio auctorum, ne eorum stylus adulteretur (*a.* 1614).

431 II. — **Quoad philosophos et theologos.** — Privatim singuli repetant quæ in scholis audierint, et digesta in libros papyraceos referant. Unum fere sed selectum commentarium videant. Futuram lectionem prævideant. (Cst., IV, VI, 8, I, M.) Curet Præfectus ut libros necessarios et utiles habeant, non vero inutiles. (Cst., IV, VI, 7, G.) Sit præterea communis bibliotheca, cujus clavem ii habeant quibus Rector concesserit. Huic amplificandæ certi reditus a Provinciali assignabuntur, quos ad fines alios convertere nulla ratione liceat, sicut et ephemeribus, instrumentisque

physicis comparandis. De lectione tamen ephemeridum junioribus præsertim moderanda, cf. C. G., XXII, 15. Nihil in libris scribatur; qui asportantur notentur; prohibiti absque Generalis facultate non legantur. De licentia legendi libros prohibitos, cf. Comp. Priv., n. 380; communicatur facultas a Provinciali qui nequit eam subdelegare. Putat P. Villada (n. 180) sese extendere privilegium etiam ad libros quos forte aliquis episcopus prohiberet; lascivi non habeantur. (Cst., IV, VI, 7, 6; — III, I, M. — St. Prov. 33.)[1] Cf. supra, n. 145.

[1] Studiosi theologiæ non sinantur transcribere conciones : possunt tamen scribere breves discursus vel conceptus (*a.* 1578).

III. — **Repetitiones in scholis superioribus.** — Quotidie præter 432
sabbatum et dies festos, fiat repetitio per horam; præmoneatur unus ad repetendum per quadrantem; deinceps argumentetur unus aut alter; dein dubia proponantur. Magistri severe scholasticam formam servari curent; et inutilia præcidant (Cst., IV, VI, 8, H, L; — IV, XIII, 3, D); sicubi scholastica forma in desuetudinem abiit, omni ope revocetur. (C. G., XXII, 31.)

Singulis hebdomadis sit repetitio in schola per duas horas, nisi duobus diebus scholæ vacaverint[1]; si vero id per tres continuas hebdomadas accidisset, fiet repetitio; huic intersint Scholastici, et singuli sui specimen præbere curent. (Cst., IV, XIII, 3. — St. R. Com. Sup., 14.) Insuper intersint Scholastici ordinariis disputationibus scholarum publicarum ad quas forte accedent. (Cst., IV, VI, 10; — XIII, 3.)

Pro ethica, pro jure canonico, et historia ecclesiastica, alternis hebdomadis repetitio habenda est; pro Scriptura sacra, singulis hebdomadis; pro lingua hebraica, diebus vacationis. (St. Reg. Comm. Sup., 12.)

[1] Impedimentum disputationis sabbatinæ in theologia legitimum censetur si Professor unam lectionem omiserit præter diem vacationis (*a.* 1649).

IV. — **Collatio casuum.** — Collatio casuum conscientiæ fiat 433

pro auditoribus theologiæ semel in hebdomada, in Domibus professis bis; in reliquis Collegiis semel aut bis; a qua nemo qui theologiam aut philosophiam actu non doceat, ne Superior quidem nisi gravi de causa, est eximendus. (Cst., III, 1, 10. — C. G., IX, 8; — XIII, 17.)[1]

[1] De collatione casuum, cf. supra, n. ubi de sacramento Pœnitentiæ.

434 V. — **Menstruæ disputationes.** — Singulis aut saltem alternis mensibus fiant disputationes coram NN. et etiam externis Doctoribus. Theses seligantur ex variis tractatibus, ita ut in philosophia aliquid de ethica misceatur, in theologia vero aliquid ex Scriptura sacra, jure canonico et ecclesiastica historia. Has disputationes singuli Professores moderentur et alant, Præfectus vero dirigat. (R. Præf. Stud. et Prof. Sup.)

435 VI. — **Actus particulares.** — *Actus philosophici* ab iis habeantur qui a tribus ex quinque examinatoribus (inter quos erit Præfectus et Professor proprius) multo plus quam mediocriter progressi idonei judicati fuerint[1]. Tempus erit idem quod scholis impenditur, mane vel a prandio[2]. (Cst., IV, VI, 17; — IV, XV, B. — St. R. Præf., 19, 20, 24, 25.)

Actus theologici particulares habentur quarto vel tertio anno, externis Doctoribus invitatis, saltem per horas 2 ½; tres argumentantur quorum unus Doctor. Nemo ad hos habendos admittitur nisi in examine prævio tria suffragia clara habeat et minime dubia, de capacitate ad habendum actum cum satisfactione. (C. G., XI, 24, 5.) Magistris et Præfecto adjungi potest alius qui de hoc judicet. (Ins., XX, 2.)

[1] Debent hi multo plus quam mediocriter profecisse et omnino selecti et excellentiores esse, nec plures quam quinque (*a.* 1639, 1640, 1646, 1661). Non debent ad hos actus invitari externi religiosi, ministri, etc. (*a.* 1597).

[2] Actibus tum philosophicis tum theologicis intersunt toto tempore tam Professores quam Superior (*a.* 1648).

436 VII. — **Actus generales** totam theologiam comprehendunt et

per totam diem durant, aut saltem per quinque vel quatuor horas[1]. Habentur maxime in principio et in fine anni[2], ab iis qui in prævio examine, a tribus examinatoribus digni judicati fuerint[3]. Theses possunt esse eædem ac illæ quas ceteri hoc anno defendendas habent, et publice excudi. (St. R. Præf.)

Si quis ab argumentante inquisiverit propositiones impugnandas, ad examen revocetur. Qui in parvo actu id fecerit a magno excludatur. Cavendum ne nimis augeatur actuum numerus et ne nimius Magistrorum locutionibus detur locus. (C. G., XI, 24.)[4]

[1] Non potest contrahi tempus actus magni qui est pro gradu (*a.* 1639). 437

[2] « Tempore Congregationum provincialium non introducatur ut habeantur conclusiones publicæ » (1569, 1575).

[3] « Non sinantur multi defendere sive philosophiam sive theologiam sed pauci et selecti » (*a.* 1646). Non permittendum ut Nostri ejusmodi actum sustineant sine præside soli (*a.* 1638). « Suffragia Professorum in deligendis aptis ad defendendos actus publicos juxta Reg. 7, Præfecti Stud. sunt consultativa tantum, non decisiva; nec teneri arbitrandum est Superiorem ea sequi si justas causas habeat in contrarium » (*a.* CC, 1648).

Consuli vero debet cum aliis Præfectus Studiorum, non vero necessario Professor Scripturæ sacræ. Suffragia secreto dari debent (1654). Theses parvi actus melius non imprimantur (*a.* 1627); ut vero imprimantur observanda est lex Revisionis. (Ord. de vulg. lib. n. 11, in Ed. nov. Instit., t. II.) « Non permittendi integri tractatus de certis materiis nomine thesium imprimi, sed per modum brevium propositionum. » (*a.* 1627).

Non debent communiter dedicari Prælatis, etc., nisi aliter judicet Provincialis (*a.* 1587).

[4] In hoc actu non licet Nostris sententias defendere contrarias eis quas didicerunt a suis Professoribus (*a.* 1657).

VIII. — **Exercitatio ad ministeria**, præsertim circa finem studiorum, habenda est aliqualis, ita ut via quodam modo aperiatur, Nostros edocendo quem modum teneat Societas in suis ministeriis. (Cst., IV, VI, 3, C; — VIII, 1; — IX, 10.) Huc se referunt toni et conciones, concionatorumque institutio de quo supra; necnon aliqua apostolici ministerii prælusio. (Cf. Epit., P. II, n. 126.) 438

CAPUT TERTIUM

DE EXAMINIBUS SCHOLASTICORUM NOSTRORUM

ARTICULUS PRIMUS

De examinibus studiorum decursu [1].

439 I. — **Examen philosophorum.** — Philosophi primi anni ad secundum transire nequeunt[2], nisi examinatores duo asserant eos *mediocritatem attigisse*. Ut a secundo anno ad tertium transeant tria similia suffragia requiruntur. (C. G., XXII, 35.)[3] Hæc examina fiunt per semi-horam; sed examen de universa philosophia fit per horam[4], coram quinque examinatoribus, ex quibus tres suffragiis testari debent candidatum *mediocritatem superasse*. Mediocritatem vero attigisse dicitur qui ea quæ audivit bene intelligit et rationem illorum potest reddere; superasse vero qui ea cum satisfactione tueri potest. (C. G., VII, 33, 1.)

[1] Non expedit universim statuere ut studiosi humaniorum litterarum in fine examinentur, quum nec Ratio Studiorum nec Cong. VII id statuerit (*a.* 1628, 1636). Et negatum fuit (*a.* 1558). Attamen concessum est iis Provinciis qui id postulabant, et inter alias Siciliæ, ut Rhetores non admittantur ad Philosophiam, nisi prævio examine in humanioribus (*a.* 1646). Examinabantur porro qui novitiatum absolverant antequam ad rhetoricam admitterentur, eo solum fine ut sciretur quid ab ipsis sperari posset (*a.* 1620). Item priusquam ad docendum mitterentur (*a.* 1661).

[2] Quos morbus excusavit ab examine annuo, receptis viribus, sunt examinandi, concesso justo tempore ad præparationem (*a.* 1641).

[3] Qui in examine annuo ad progrediendum tantum habet unum suffragium pro se, reliquis ambiguis, est admittendus, quia nullum habet contra se, cum dubiorum nulla habeatur ratio (*a.* 1637). At forte notandum est illud responsum, quamvis consultis AA. datum, prodiisse ante C. G., VIII (1645), cujus decretum 37 requirit, ad hoc ut ascendat candidatus, *tria* (aut duo) suffragia *clara et minime dubia.*

[4] « Philosophi primi anni per mediam horam examinandi sunt de logica et metaphysica generali; de eodem progressu in mathesi hic Romæ solum judicatur ex publicis exercitationibus; sed clausula Reg. Prov. 19 de quâ loquitur R[a] V[a], revera hic non videtur servari. Ego tamen laudarem usum contrarium, quia Ratio studiorum nova, donec legitima auctoritate mutetur, servanda est.

« In Collegio Romano Philosophi secundi anni, ex singulis materiis per decem minuta examinantur : ceterum cum omnes tres scholæ ad philosophiam, de qua examen faciendum est, pertineant, non putem nimis urgendam esse exactam temporis partitionem. » (P. Kleutgen, Secret. Soc. ad P. Ramière, Præf. stud. Vals., 17 nov. 1860.)

Examina annua non debent esse publica. Solent interesse condiscipuli omnes, nec prohibendi essent si qui ad portam adesse vellent (*a.* 1649).

II. — **Examen annuum theologorum.** — Idem testari debent duo 440
examinatores ut a primo anno theologiæ ad secundum, tres ut a secundo ad tertium aut a tertio ad quartum transitus fiat. Examen primi et secundi anni per semi-horam fit, tertii autem per horam. (C. G., XI, 24, 1.) Eæ tamen Provinciæ quæ plus temporis ei tribuunt suum usum servent. (C. G., XI, 24.)

Potest Provincialis cum iis qui præclarum ad concionandum aut gubernandum talentum habent et mediocritatem attingunt, dispensare ut ulterius progrediantur; sed de hac talenti excellentia constare debet judicio Consultorum, idque considerate admodum decernendum est. (C. G. VII, 33. — St. R. Prov. 19, 7, 8, 9.) Idem examen subire debent qui partem studiorum ante ingressum confecerunt, nisi mallent iter remetiri, quod tamen negari potest. (C. G., VII, 33)[1] Ut quis ad theologiam audiendam admittatur quin mediocritatem in philosophia superaverit[2], solus Provincialis dispensare potest, nec nisi illum qui, præclarum habens concionandi aut gubernandi talentum, mediocritatem attingat. (C. G., VII, 33, 1.)[3]

Examinis materia ea omnis est quæ intra annum tradita fuit, exceptis iis quæ sub ipsum tempus examinis percurruntur. (C. G., XI, 24.)[4]

441 [1] Non dispensari debent ab examine qui theses publice propugnarunt extra Societatem (*a.* 1624, 1632 et pluries). Imo qui in sæculo creati fuissent philosophiæ doctores sunt examinandi antequam ad theologiam admittantur (*a.* 1646). Dandi sunt ipsis duo menses circiter ad examen parandum (*a.* 1628).

[2] Qui ratione tantum alterius talenti admittuntur ad scholasticam theologiam audiendam examinandi sunt cum aliis, singulis annis, et in fine quarti anni pro gradu (*a.* 1617). Postea tamen concessum est ut non examinaretur is cui permissum erat ad secundum vel tertium annum theologiæ progredi ob talentum concionandi (*a.* 1621). Si vero examinetur, non habita ratione examinis, usque ad finem theologiæ progredi potest (*a.* 1628). Et responsum fuit Provincialem, juxta decret., C. G., VII, et regulam Prov. 19, 1 in Rat. St. non posse ad transitum de philosophia ad theologiam dispensare nisi cum mediocribus in hoc dicto casu (1629, 1642).

Si his qui admissus est propter illud talentum ad secundum annum theologiæ, videtur deinceps supra mediocritatem profecisse, examinandus est deinceps cum aliis et promovendus (1624).

[3] « De rejectis in secundo anno theologiæ sæpe actum est apud P. Mutium ut tertium annum theologiæ continuarint : quod ille constanter negavit ; et ego iisdem vestigiis libenter insisto, cum sit Constitutionibus conformius » (*a.* P. Piccolomini ad Prov. Flandro Belg., 17 sept. 1650).

Non sunt removendi a scholastica ob valetudinem aut aliam causam inculpabilem qui, ratione ingenii, judicii ac profectus, apti censentur ; nisi ipsi valde petant (*a.* 1619) ; nec qui satisfecerunt in examine, licet non videantur assecuturi doctrinam requisitam ad Professionem, nec alia habituri quæ suppleant (*a.* 1617, 1627). Removendus est a studiis qui non satisfecit primo anno, licet spes sit eum esse satisfacturum anno secundo (*a.* 1621). Removendus est a studiis qui, forsan turbatus ab examinatoribus, visus fuit non habere sufficientem doctrinam, maxime quum examinatores in ferenda sententia uti possint notitia aliunde habita (*a.* 1621). Nec dispensandum est ob beneficium præstitum Societati (*a.* 1638). Qui in Provinciis Indicis, cum mediocri profectu in philosophia aut theologia, didicerit Indorum linguam ei Provincialis potest permittere ut progrediatur ; non autem iis qui non attigerunt mediocritatem (*a.* 1633).

Rejecti in primo anno in theologia audiant casus per duos annos (*a.* 1646). Ad postulatum Provinciæ Siculæ de secundo examine non facile concedendo reprobatis in præcedenti, respondebat P. Roothaan, an. 1836 : « Valde acceptum nobis fuit hoc postulatum. Itaque commendatum est Scholasticis nostris theologis æque ac philosophis ut serio sese studiis applicent suis, spem

omnem deponant fore ut in illis progredi permittantur nisi in legitimo examine requisitum obtinuerint successum: multo minus alterum concederetur examen ad gradum illis quibus primum non successit. Si quo casu graves ob causas exceptioni videretur esse locus, nullus directe ad nos recurrat, nec Provincialis ipse definiat neque ad nos referat, nisi re prius cum CC. discussa, nullaque habita ratione intercessionum. » (*g.* Comm. cum Prov. Tolos.)

[4] Infirmi qui quatuor vel quinque mensibus scholas frequentant, majori tamen temporis parte ob infirmitatem absunt, minime satisfaciunt si in materiis tantum auditis examinentur (*a.* 1650). Attamen postea permissum est ut qui in secundo anno febribus laboraverat examinaretur de iis quæ audiverat, ut ad tertium transiret. Si quis nihil audivit, tertius annus pro secundo habeatur (*a.* 1656).

Qui anno tertio propugnat in actu parvo, theses anni secundi, non ideo potest ad quartum annum absque examine admitti (*a.* 1627).

Examen Nostrorum non debet fieri insistendo nimium argumentis, sed per varias materias discurrendo, ut appareat quomodo in eis versati sint (*a.* 1644).

III. — **Quinam sint examinatores.** — Examinatores a Generali 442
sunt designandi[1]. (C. G., VII, 33.) Eorum defectu[2] Provincialis alios substituet pro tempore. Quantum fieri potest a Professoribus diversi esse debent[3]. (C. G., VII, 33, 5. — St. R. Prov., 19, 14.) Quamvis autem[4] juramento ad hoc non adstringantur, sciant tamen se obligari ad secretum servandum. (C. G., VII, 23; — X, 6.) Nec comparative ad alios sed absolute judicium suum ferre debent. (C. G., XII, 22, 4.) Possunt vero ex scientia præhabita judicare. (C. G., XXII, 37.)[5] Suffragium dubium pro nullo habetur. (C. G., VII, 33.)[6]

[1] Examinatores jurati non possunt mutari nisi a Patre Nostro (*a.* 1633). Non potest Provincialis mutare examinatores confirmatos a Generali, nisi in casu valde urgenti (*a.* 1633).

[2] Alias commendatum fuit Provincialibus et nunc iterum commendamus, utpote rem gravissimi momenti et unde Superiorum conscientia non parum oneratur, ne Nostrorum sive philosophiæ sive theologiæ et præsertim ad gradum examinatores constituantur nisi qui eas facultates in Societate didicerint, aut saltem de illis secundum omnes partes et cum felici exitu in ipsa Societate fuerint examinati (1841, ad postulatum trium Galliæ Provinciarum).

[3] Potest esse aliqua ambiguitas circa hæc, propterea quod in Reg. Præf. Stud. 20, dicatur examinari debere Philosophos a Præfecto et Professore. Sed evidens est hic non agi nisi de examine eorum qui actum habituri sunt, dum in regula Provincialis, ubi ex professo de examinibus agitur, dicitur examinatores a Professoribus diversos esse debere (1623, etc.) Deinceps consuetudo invaluit ut utrumque examen ab iisdem fieret (*a.* 1642).

443 [4] Postulatum ut examinatores in annuis examinibus juramento aut præcepto astringerentur non admissum fuit (*a.* 1628, 1633). At P. Roothaan : « Entre l'examen *ad gradum* et les examens annuels en ce qui concerne les obligations des examinateurs, il n'y a d'autre différence que le serment qui accompagne celui-là et non pas ceux-ci. En conséquence, la réponse du P. Thyrse (de qua in nota sequenti) est applicable » (*k.* ad Rect. Vals., 12 sept. 1835).

[5] Id jam P. Thyrsus probaverat; non tamen in præjudicium examinati hac scientia uti licet (*a.* 1637-1640). Examinatores semper ex propria scientia judicare debent nec conjecturis fidendum (*a.* 1656). Responsum P. Thyrsi ita declarabat P. Roothaan (*k.* ad Rect. Vals., 12 sept. 1835) :

« Bien que dans le premier siècle de la Compagnie on ait été partagé d'opinion, et que plusieurs tinssent que les examinateurs pouvaient modifier leurs suffrages d'après le témoignage des autres, il est certain que cela ne se peut aujourd'hui. » Citat R. P. resp. an. 1656, et addit : « En effet, la formule du serment... suppose une conviction qu'il n'est guère possible d'acquérir par le travail d'autrui. Les professeurs surtout ne sont pas toujours exempts de préventions dans les jugements qu'ils portent de leurs disciples; et ce n'est pas sans raison qu'on préfère que les examinateurs *ad gradum* ne soient pas les professeurs propres du sujet. » Et ad P. Druilhet, 6 dec. 1835 : « La décision du P. Thyrse Gonzalez sur les suffrages de l'examen *ad gradum* peut être suivie, mais avec quelque réserve, de manière à ne point affaiblir les décrets des Congrégations : il n'est pas nécessaire qu'il y ait beaucoup de profès, mais qu'ils soient bons. Du reste, on paraît en France trop sévère pour les examens *ad gradum;* il faudrait réserver la sévérité pour les examens de seconde année, et surtout pour celui de troisième année. »

Tenentur sub peccato gravi ferre suffragium (*a.* 1642). Non licet suffragium revocare (*a.* 1125, 1639). (Antea tamen responsum fuerat P. Coton (*a.* 1622) posse mutari ob novam habitam cognitionem, etiam de favorabili in deterius).

[6] Non licet in dubio favorabile suffragium dare ob eam solam rationem quod in dubiis sit reo favendum (*a.* 1625). Suffragia sic expressa : N. *vix* potest theologiam docere, aut *ægre* censetur posse, aut *videtur* mediocritatem excessisse, *aut parum* excessit, pro favorabilibus habentur (Pluries et iterum 1876).

444 IV. — **Examen de theologia morali** subire debent qui theo-

logiæ scholasticæ student, bis intra biennium, per quadrantem; qui ei non student per semi-horam.

Utrique antequam ad sacerdotium promoveantur, per semi-horam examinandi sunt de scientia necessaria ad audiendas confessiones, coram quatuor bene peritis, quorum conscientia graviter oneratur, quique suffragia scripto ferre debent[1]. Tria suffragia sunt necessaria. Idem examen subire debent omnes admissi in Societate post acceptum sacerdotium, exceptis iis qui ab examine ad gradum eximuntur. Ab eo vero qui ex Generalis dispensatione absque illo examine ad sacerdotium eveheretur, studia et examen deinceps sunt exigenda. (C. G., XIII, 16; — XX, 25).[2]

[1] Satis est ut ex his quatuor examinatoribus duo interrogent; sed omnes suffragium ferre debent (*f.* P. A., 13 feb. et 2 mart. 1830). Iterandum est hoc examen usque dum satisfiat; nullusque ministerio applicandus est nisi de sufficienti scientia constet (*f.* P. A., 8 apr. 1831, 23 feb. 1832).

[2] Nuspiam in Instituto præcipitur ut, per unum mensem ante examen annuum philosophorum et theologorum, recolantur theses in hoc examine defendendæ. Liberum igitur erit Professori eas recolere aut novas quæstiones explicare; sed curandum ei est tum ut præscripti tractatus absolvantur, tum ut materiæ examinis in circulis repetantur (*c.* Prov. Maryl. 1868). Cf. C. G., XI, 24.

ARTICULUS SECUNDUS

De Examine ad Gradum.

I. — **Hujus examinis conditiones.** — Hoc examen per duas horas 445
fit[1], præsente Provinciali aut saltem Rectore Collegii[2], ab examinatoribus a R. P. Generali delectis[3], qui gravitatem hujus muneris bene intelligant et ita serio se gerant ut exploratum habere possint examinato inesse doctrinam diligentissimis probationibus manifestam et plane selectam; eam, scilicet, quæ necessaria est ad docendum cum satisfactione, et quidem in locis ubi est idoneorum auditorum et disputantium concursus, theogiam et philosophiam (logicam nempe, physicam et metaphysi-

cam). (C. G., VII, 33; — VIII, 37; — XXI, 18.)[4] Physica porro intelligitur physica et mathesis elementaris, prout in regulis Professoris philosophiæ : ad quas docendas aptus sit oportet qui examinatur, ut suffragium referat affirmativum. (C. G., XXII, 36.)

Hi juramento adstringi debent ad fidelitatem in suffragio ferendo et secretum servandum[5]. (C. G., XII, 22, 2.)

446 [1] Duæ horæ continuæ esse debent, nisi Generalis dispenset (*b.* †, 1658).

[2] Præsentia tamen Rectoris non requiritur ad validitatem examinis (*a.* 1644). Præses judicium de doctrina ferre non debet (1621, et pluries). Tenetur ad secretum vi decreti (1621, et pluries). « Celui qui préside à l'examen *ad gradum*, s'il n'est pas un des quatre examinateurs (ce qui ne doit être que dans le cas de nécessité), ne doit pas donner son suffrage. Il ne doit dire autre chose sinon que *l'examen a été fait en règle,* c'est-à-dire que ce qui est prescrit a été observé, ou bien, si cela arrivait, qu'il y a eu quelque faute considérable. » (1 febr. 1834). Et iterum eodem sensu P. Subst. 1856 (*d.*). Præsidis igitur judicium supplere nequit defectui trium suffragiorum ab examinatoribus latorum, quæ clara et minime dubia esse debent. Ejus tamen animadversiones ad Generalem dirigendum prodesse possunt (*f.* P. A., 7 jan. 1832).

[3] Non est absolute requisitum ut hi examinatores sint Professi (*d.* 20 jun. 1865).

[4] Ita examinatorum judicio standum est ut quidam Pater, cui suffragia favebant, admissus fuerit ad Professionem, etsi Provincialis et Consultores testarentur ita eum esse indoctum ut scandalo foret in Provincia ejus admissio (*a.* 1643).

Qui extra Societatem aut etiam in Societate, Doctor creatus fuit non est liberandus ab illo examine nisi scholasticam cum satisfactione docuerit (*a.* 1623, 1630, 1636, 1642). Et cf. C. G., XXIII, 19, et superius ubi de requisitis ad professionem. Potest subinde ex concessione Generalis, fieri ut qui totam theologiam cum satisfactione defendit, non sit amplius examinandus (*a.* 1621); sed hoc transire non debet in exemplum (*a.* 1624).

Antea tamen responsum : qui finita theologia conclusiones ex tota theologia defendunt non alia ratione sunt examinandi, nec necesse est ut sint conclusiones ex philosophia (*a.* 1617, 1619).

« Non est tolerabilis opinio seu error eorum qui in examine ad professionem, si dubitant de aptitudine, ferunt suffragium in favorem eo quod in dubio favendum est reo » (*a.* 1625).

Anno 1657 in Lugdun. Prov. quæsitum an cum duobus suffragiis affirmativis sufficeret tertium examinatoris dicentis sibi non liquere omnino sed propendere in partem magis favorabilem. Decretum est ut Provincialis secreto interrogaret illum examinatorem et si se explicaret in favorem tunc promoveret ad Professionem quatuor votorum de qua agebatur. — Anno 1652

permissum non est ut examinator ad gradum suum suffragium favorabiliter interpretaretur.

Non sunt admittendi sine dispensatione Generalis ad examen pro gradu qui non audiverunt per quadriennium theologiam, licet privato studio suppleverint (*a.* 1613, 1637). Aliquando tamen dispensatum est (*a.* 1644). Denuo autem declaratum est ad hoc examen neminem admittendum esse nisi studiis rite peractis (*f.* 15 octob. 1834). Ad solum Generalem pertinet tempus præparationis ultra quatuor menses producere (*d.* 30 dec. 1835). Iterari nequit hoc examen nisi gravissimis de causis, a Consultoribus discussis et ad Generalem relatis. (Prov. Sic. 1836.)

In hoc examine, non secus ac in aliis, judicari potest ex scientia aliunde habita, sed propria (12 sept. 1835).

Si quis suffragium non obtineat ob defectum scientiæ physicæ, id examinatores semper indicent, et P. Provincialis a P. Generali petat judicium de hoc suffragio. Meminerint quoque examinatores in ordinatione de triennali philosophia *elementa* chimiæ, astronomiæ, metereologiæ eatenus tradenda esse, *quatenus per tempus licebit;* et trigonometriam *quantum fieri potest :* cavendum vero Professori physicæ ne rerum multitudine obruat ingenia. Potissima ratio habenda est theologiæ et practicæ philosophiæ. (P. Beckx, 2 sept. 1879, apud P. Oswald, n. 291. — Et cf. C. G., XXIII, 22.)

[5] Juramentum hoc semel præstatur ab examinatoribus, antequam suo munere fungi incipiant (*a.* 1617, 1629, 1644). Secretum porro quod promittunt prorsus inviolabile est, nec ipsi Socio Provincialis manifestari debet (*f.* 9 oct. 1834). Attamen potest Provincialis communicare suo Socio, et debet Consultoribus Provinciæ, ubi agitur de informationibus ad gradum. At nequit indicare suffragium datum aut negatum a tali vel tali examinatore. (P. Roothaan ad P. Druilhet, 6 dec. 1835. Et rursus pari modo P. Beckx, 27 aug. 1865.)

Potest infelix exitus examinis ipsi subdito revelari; sed carpenda est opportuna occasio, v. gr. in tertia probatione (*f.* 26 feb. 1835).

II. — **Ejus materia** sunt quatuor assertiones, ex quatuor par- 447
tibus S[i] Thomæ, et tres ex philosophia, logica scilicet, physica et metaphysica [1]. Non est tamen necesse ut singuli examinatores examinent de utraque facultate [2]. Eæ autem assertiones præcipuas difficultates et materias philosophiæ et theologiæ includunt [3]. (Cst., V, II, 2. — C. G., VII, 33, 3. — Or., XVIII, 3, 3. — Ins., XIX, 3. — St. Prov., 19, 11.)

Ultra quatuor menses a traditis thesibus examen differri nequit; secus mutandæ essent theses. (C. G., VIII, 37. — Ins., XIX, 3.)

[1] Examen ad gradum non debet esse publicum, nec admittendi sunt condiscipuli (*a.* 1649).

[2] « L'examen *ad gradum* doit absolument contenir la philosophie, physique et théologie. Les examinateurs sont libres de se choisir les points sur lesquels ils veulent argumenter : mais il s'entend qu'il n'est pas du tout permis de se concerter sur telle ou telle partie à omettre. Si donc par hasard quelqu'un n'a pas été examiné sur quelque point, c'est sans conséquence pour celui qui a été examiné. Mais pour obvier à tout inconvénient et à tout scrupule de la part des examinateurs, il est nécessaire que le président ait soin qu'aucune des trois parties de l'examen ne soit exclue ; car comment pourrait-on juger sous serment de la capacité ? » (*f.* 15 jul. 1833.)

[3] Examen hoc raro repetendum est, nec nisi ubi absque injustitia non posset negari (*a.* 1625). A solo Generali id concedi potest, etiam in examinibus annuis (*a.* 1621, 1654) ; nec ab ipso subdito postulari, sed a Provinciali, re cum Consultoribus discussa (*g.* 1836). Concedendum jure videtur illi qui per officia a Superioribus imposita, tempore studiorum, impeditus fuit a debito profectu (*a.* 1637) ; item ei qui, tempore studiorum, debuit esse Præfecti Socius vel Minister (*a.* 1640).

Præparationi ad secundum examen concedi solent duo menses (*a.* 1634).

Semper sint in hoc secundo examine iidem examinatores qui prius, nec mutentur inscio Generali (*a.* 1633).

Commendatur Provinciali ut theses pro examine ad gradum non dentur ante Pascha : qui autem eas acceperunt cogendi non sunt ut scholis intersint (1844).

Si quis, ob morbum, ab examine post quatuor menses subeundo impediretur, debent ipsi novæ theses tradi (*a.* 1659). Si tamen casus aliud requirat, consulatur Generalis. Anno 1658, (*a*) responsum fuerat Rhen. Inf. si ad tres aut duas hebdomadas, ultra menses quatuor, impediretur, non dandas novas theses sed epicheia utendum.

448 III. — **Suffragia** ad Provincialem, litteris *soli* inscriptis, et ad Generalem mittenda sunt. Provincialis in libro scribet suffragiorum numerum, tacito examinatorum nomine, quod etiam a Socio ignorari debet ; et examinatorum litteras comburet[1]. (C. G., VII, 97. — Or., XVIII, 3, 12. — Ins., XIX, 2.) Suffragium dandum, re Domino commendata, non in consultatione. — Si candidatus mensuram non assecutus est, sed tamen mediocritatem attigit, id distincte exprimatur. (Or., XVIII, 3, n. 4, 5.)

[1] Libro Provincialis debet haberi fides quando amplius non inveniuntur suffragia scripta (*a.* 1641). Cum Examinatorum nomina ab omnibus cognosci possint, *tolerari* potest consuetudo hæc nomina Provincialis libro inscribendi, dummodo taceantur suffragia a singulis data. (P. A. ad P. Ramière, 10 maii 1881.)

PARS NONA

De ministerio docendi. — Studia Externorum et Scriptio librorum.

CAPUT PRIMUM

DE COLLEGIORUM FUNDATIONE ET DISSOLUTIONE

I. — **Finis Collegiorum** primus est ut Societas viros litteris instructos et ad sua ministeria aptos sibi paret. (Cst., IV, Proœm.) Secundus ut externi alumni christianis moribus imbuantur. (Cst., IV, VII, 1, L. — XI, 1.) Nec repugnare Instituto Collegia in externorum solum utilitatem instituta declaravit C. G., VI, 18. (Cf. quoque C. G., VIII, 27.) 449

II. — **A quo admittantur.** — Admitti possunt Collegia a Præposito generali, Societatis nomine [1]; item Universitates, re cum Assistentibus deliberata. Sed extraordinaria onera raro et absque obligatione suscipienda sunt. (Cst., IV, II, 1, C. — IV, XI, 2, A. — IX, III, 17.) Instanter et iteratis vicibus commendatum est ne nimis multa Collegia admittantur absque Rectorum et Magistrorum sufficienti copia. (C. G., I, 73. — II, 8, 9. — III, 17, 20. — V, 6, 9. — XI, 16. — XXII, 17, 19.) 450

Quæ admittuntur aut ædificantur, et quidquid ipsis acquiritur, auctoritate apostolica munitur et ab Ordinariorum jurisdictione eximitur. (Paulus III, *Licet.* — Julius III, *Exposcit.*)

Mandatur omnibus potestatibus ecclesiasticis et sæcularibus ne constructionem Collegiorum impediant. (Paulus III, *Licet.* — Pius IV, *Etsi.*) [2]

[1] Non est necesse ut peculiari aliqua formula acceptentur Collegia (*a.* 1651). Provincialis nequidem sub ratihabitione ea acceptare potest (*a.* 1601). Domicilium proinde aliquod haberi nequit ut Collegium, etiam inchoatum, ex eo quod permissum sit ibi scholam aperire, sed ex solo rescripto Generalis (*a.* 1622, 1625), sive id directe exprimentis, sive fundationem acceptantis (*a.* 1625); hac Collegii acceptatione Rector acquirit jus ad provincialem Congregationem (*a.* 1640). Cf. supra n. 301.

[2] Utrum possit Generalis Novitiatum in Collegium transformare, hodie quærendum est a Constitutione Leonis XIII, *Romanos Pontifices,* saltem, de rigore juris, ubi hæc Constitutio extensa fuit. Et cf. Oswald, n° 212.

451 III. — **A quo relinquantur.** — Relinqui possunt auctoritate solius Congregationis generalis. Si ejus sententia exspectari nequit, suffragia dabunt Provinciales et duo antiquissimi Professi cujusque Provinciæ, intra Europam; et extra Europam, Provincialis Provinciæ in qua Collegium situm est; item Assistentes, Procurator generalis et Secretarius; major suffragiorum pars statuet [1]. Eorum quæ relinquuntur dispositio ad Fundatores pertinebit, si hanc facultatem sibi reservarunt; si non, procedet Societas juxta suum Institutum, ad majorem Dei gloriam. (Julius III, *Exposcit.* — Cst., IV, II, 3, A. — IV, X, 2. — IV, XI, 2. — VIII, II, 2. — C. G., IV, 23, 27. — XVII, 18 [4]. — Cf. dispensationes Generali commissas, C. G., XX, 20. — XXI, 9. — XXII, 18. — XXIII, 41.) [2]

[1] Si tamen aliquod Collegium acceptatum fuisset sub conditione, posset, conditione non impleta, a solo Generali relinqui (*a.* 1639). Dissolvi autem Collegium intelligitur, cum tollitur absque ulla spe redintegrationis (*a.* 1591).

[2] Supellectilem Collegii dissoluti retinere potest Societas, nisi aliter fuerit a Fundatoribus stipulatum (*a.* 1598).

452 IV. — **Quænam in fundatione vitanda.** — Vitandæ sunt in

Collegiorum fundatione eæ conditiones quæ studia impediunt, ut esset cura animarum, celebratio missarum (Cst., IV, II, 4), nisi perexiguæ distractionis id esset. (Ibid., B. — VI, 3, C.)[1] Sepultura solis Fundatoribus, Principibus et Prælatis qui eam petunt est concedenda[2]; non vero eorum posteris, nec aliis, absque Generalis licentia, ad quam flagitandam nemo se offerat. (C. G., I, 121.) Non debent admitti Capellaniæ quibus inserviunt clerici sæculares a Nostris nominandi, ne ex earum censibus augeri videatur Collegium. (C. G., I, 134.)[3] In nostris Ecclesiis nec jus ullum cuicumque Congregationi dandum est, nec conventus alieni permittendi. (Cst., VII, 4, G.) In fundatione Collegii non est admittenda obligatio lectionum aut lectorum, absque magna consideratione et Præpositi generalis approbatione. (Cst., IV, 2, B.) Ubi aliqua obligatio hujusmodi admissa est, implenda erit, sed ultra non procedendum facile, ne nova obligatio exsurgat. (Cst., IV, 11, A.) Caveat Generalis ne nimia onera suscipiantur[4]. Si quid nimis onerosum admissum fuisset vel evasisset, de hoc statuat Congregatio generalis. (Cst., IV, II, 2. — IX, 3, 17.)[5] Licet autem non admittatur donatio cum conditione lectorem in theologia aut concionatorem præstandi, ne videatur accipi stipendium pro ministerio sacro, potest hujusmodi obligatio, acceptando Universitatem, *indirecte* suscipi. (Cst., IV, VII, 3, E. — C. G., I, 74, 75.)[6]

[1] Non est admissa dotatio pinguis pro Collegio Alassiensi cum onere dicendi missam quotidie, et tenendi parvam scholam abecedariam (*a.* 1650).

[2] Jus sepulturæ *perpetuum* negatum est ipsi Cardinali Farnesio fundatori utpote quod iis solis personis a Generali concedi possit quæ de Societate sunt bene meritæ (*a.* 1604). Et de jure *perpetuo* similiter resp. 1564, 1605, 1622, ob decr. 121 C. G., I (*a.* Ad v. *Capella*). Concessum tamen est aliquando hoc jus usque ad quartam, imo ad octavam generationem (*a.* 1636, 1643). Fundatores ipsi possunt sepeliri in nostris templis absque Generalis dispensatione, at non alii (*a.* 1560). Non permittendum est, si id impediri potest, ut qui jus sepulturæ in nostris Ecclesiis habent suas effigies apponant (*a.* 1584, 1655). Et generatim statuæ et inscriptiones nec in templis nec in scholis nostris admittantur (*a.* 1594). Nec facile concedendum est ut tabulis pictis et ornamentis sacris quæ nobis donantur donatorum insignia apponantur (*a.* 1584). At id non intelligitur de insignibus fundatoris cum inscriptione in

ecclesia (*a.* 1636 et pluries). Nonnisi in casu urgenti, ex Consultorum sententia, Rector jus sepulturæ cuiquam concedere potest, et statim ad Generalem referre debet (*a.* 1622). In funeralibus quæ fiunt in nostris ecclesiis detur Parochis id quod ipsis ex jure aut ex consuetudine debetur; id autem quod nobis absque eorum præjudicio aut offensione offertur acceptari potest (*a.* 1598); si autem contendant, cedendum erit (*a.* 1598, 1636). Cf. supra n. 330.

[3] Non tamen vetantur capellaniæ ex quibus nullam utilitatem percipimus (*a.* 1603). Imo quando sunt ad nominationem Præpositi Domus professæ, admissæ sunt, ea conditione ut fundatio pertineret ad Domum probationis (*a.* 1629).

[4] Antequam incorporetur aliquod Collegium nostrum Universitati, sedulo dispiciendæ sunt conditiones, an Instituto conformes sint (*a.* 1625).

[5] Non admittantur hæreditates litigiosæ, cum periculo perdendi simul et pecuniam et bonam Societatis famam (1633).

[6] Non admittenda est fundatio pro præmiis, ne successu temporis, incommoda inde oriantur; sed potius liberalitate alicujus Mæcenatis hæ expensæ fiant (*a.* 1585) ; si sunt parvi momenti, sumptibus Collegii fieri possunt (*a.* 1600). Hæc præmia iis non dantur qui ante solemnem distributionem ingressi sunt Societatem (*a.* 1641). De obligationibus in fundatione appositis circa ministeria facultatesque sacras cf. P. II, c. 2, n. 83.

453 V. — **Eorum reditus.** — Reditus sufficientes ad operarios et proportionatum numerum scholasticorum alendos Collegia habeant (C. G., I, 73. — II, 8.) Id est si solæ scholæ inferiores in ipsis sint, triginta; si tres philosophiæ cursus addantur, sexaginta; si theologiæ, centum e Nostris dotatio alere debet. (C. G., V, 69.) (Nihil tamen pro transalpinis et indicis regionibus constituitur.)[1] Ubi vero hujusmodi dotatio adest, nec petantur, nec admittantur eleemosynæ (Cst., IV, II, 6), nisi levis momenti et raro (Ord., I, 14);[2] et si credantur intuitu ministerii a parentibus scholasticorum datæ, non admittantur donec intelligant donatores quid hac de re nostræ regulæ statuant. (Hodie tamen cf. sup. ubi de paupertate ex regula, P. II, n. 88.) Ubi non adest sufficiens dotatio, eleemosynæ admitti possunt, non vero peti, nisi in casu necessitatis. (Cst., IV, II, 6); si vero in talibus Collegiis Nostri non legant, nec scholasticos alant, in manu alicujus publicæ personæ fructus conserventur, donec fundatio compleatur; Nostri interim ex eleemosynis vivant. (C. G., II, 71.)

At in Collegiis inchoatis, in quibus nondum docetur, vel quia non plane adhuc constituta sunt, vel quia ædificantur, videbit Generalis an ex eleemosynis aut ex reditibus Nostri vivere debeant. (C. G., III, 43. — Cf. Epit., P. II, n. 21.)

De retributione vero in modernis nostris externorum Collegiis, cf. supra, ubi de paupertate ex regula, n. 88.

[1] Responsum fuit saltem viginti e NN. ali posse debere ut quis in Fundatorem admittatur (*a.* 1654), et consonat decreto 27 C. G., VIII. Nihilominus hæc regula vario modo applicanda fuit pro varietate temporum, locorum et conditionum. Ita admissa fuit in Hibernia, ut sufficiens, dotatio 6,000 scutatorum (*a.* 1641), dum negata fuit in Lusitania, pro Residentia, summa 9,000 scutatorum (*a.* 1652) : in Hibernia enim summa illa 600 fructificabat, et cum ob rerum copiam pecuniæque raritatem 40 scuta ad unum sustentandum sufficeret, inde 15 e NN. commode alebantur ; dum in Lusitania quod offerebatur *minutum* visum est, et de cætero jura fundatoris ex Instituto non se extendunt proprie ad Residentias. (Ibid. Il. cc.) At Generali pertinet, judicare quo casu non plena fit fundatio, quænam pars ex juribus Fundatorum concedenda sit. (Cst., IV, I, E.)

[2] Id non impedit quominus admittatur major dotatio ad majorem numerum Scholasticorum alendum. (Cst., IV, II, 9.)

VI. — **Ædificiorum ratio.** — Ædificari Collegia debent in 454
loco salubri (Cst., X, C), structura forti, utili, sana, non vero sumptuosa aut curiosa (C. G., I, 113), semota tamen de Ecclesiis quæstione quæ magis consideranda visa fuit. (Ibid.) Nihil majoris momenti, ut esset dormitorium, ædificandum est absque Generalis approbatione, qui formam præscribet. Cætera, sicut et ædificiorum restauratio, ad Provincialem pertinent. Superior localis, inconsulto Provinciali, nil ædificet. (C. G., II, 84. — R. Prov., 75. — Or., II. — Inst. temp. Prov., 10.) Cf. supra, P. IV, c. 7, a. 2, 6.

VII. — **Fundatorum jura.** — Fundatores omni officio prose- 455
qui debemus. (Cst., IV, I, 1, 6. — Reg. Rect., 76. — Prov. 95.) [1] Cum primum Societas in possessionem venerit, Generalis indicet pro ipsis tria sacra a singulis offerenda, eosque qui Sacerdotes non sunt pro ipsis orare jubebit. Simile officium Fundatori præ-

statur quum e vivis excedit. Singulis annis, die anniversaria traditionis, omnes sacerdotes qui in hoc Collegio sunt sacrum facient et missa solemnis celebrabitur. (Cst., IV, I, 2, 4, A.) [2] Candela cerea Fundatori aut ejus locum tenenti cum armis ejus offeratur aut eo mittatur ubi ejus successores exstant, aut in altari ponatur; [3] id tamen nullum jus patronatus exprimit. (Cst., IV, I, 1, B, C.) Initio cujusque mensis singuli sacerdotes, per universam Societatem pro Fundatoribus et Benefactoribus missæ sacrificium offerent; et singulis hebdomadis unum sacrum celebrabitur; præterea unum vel duo vel tres pro numero sacerdotum, pro benefactoribus vivis et defunctis celebrabunt. (Cst., VII, IV, 4.) [4]

456 [1] Non agnoscimus Fundatores templorum Collegiorum vel Domorum. Talibus potest applicari pars sacrificiorum ut insignibus benefactoribus (*a.* 1592). Attamen aliquando fuit resp. « Secundus Fundator respectu ejusdem Collegii omnino non est admittendus. Potest autem unus esse Fundator Collegii, alter Ecclesiæ » (*a.* sine tempor.) Fundatori *theologiæ* primum permissus fuit titulus confundatoris ex privilegio, dummodo id fieret sine offensa priorum Fundatorum (*a.* Camp. 25 januar. 1649); tum negatus est, sed datus titulus munifici benefactoris, absque cerei oblatione. (*a.* Camp. 25 jun. 1649.) Nec concessus ei qui reliquerat 7,000 scutata pro fundatione casuistarum. (*a.* 4 dec. 1640). Filius Fundatoris nequit habere jura Fundatoris, sed ipsi offertur candela (*a.* 1652, 1654, 1655).

[2] Si officium eo die duplex sit, satis erit missæ intentionem defuncto applicare, nisi hæres malit anteponi aut postponi officium, ut missa defunctorum legi possit (*a.* 1590).

[3] « Candela solet ordinarie offerri Fundatoribus in templo, sub sacro (*a.* 1629). Practicari potest ut vel Rector, vel alius ejus judicio det candelam Fundatori aut acceptam ex altari aut e sacristia allatam; sacerdos autem in altari nullam cæremoniam faciat circa hoc » (*a.* 1589). Si Fundator de Societate sit, ei non offertur cereus, nec in suffragiorum publicatione ejus nomen exprimi solet (*a.* 1646). De gratitudine tamen Societatis erga ipsum, revocanda est in memoriam ratio agendi B. P. N. erga P. Codacium. (Cf. Bartoli, Hist. S. Ignat., l. V, c. III.) « *Ubi semel aliquis legitime acceptus est Fundator*, par non est cofundatorem declarare alium qui fundationem notabiliter auxerit; nam præter morem id fieret; et injuria aliqua priori videretur illata; deberentque sæpius ejusdem Collegii Fundatores eligi quando Fundationem notabiliter augerent » (*a.* Germ., 21 feb. 1609.) — « Titulus confundatoris insuetum est sive jam alteri concessus sit titulus Fundatoris, sive non sit. » (*a.* Bæt., 2 jun. 1240. — Lug., 18 nov. 1652.) Attamen responsum prius fuerat,

P. Ignatio Armand Prov. Franc., 8 feb. 1605 (*a*) : « Fundatoris nomen illi absolute non est deferendum qui offert vix dimidiatæ fundationis redditum, ne aliis quos Dominus ad plenam aliquando fundationem excitabit, benefaciendi aditum præcludamus. Promitti tamen potest, et offerri poterunt suffragia quæ pro Fundatoribus indici solent, experiendumque an his contentus futurus sit absque titulo Fundatoris. Si nomen etiam concedendum judicaretur, adjici conditionem oportebit, ne cui in posterum id officiat, quominus ut eo titulo frui possint, si majorem summam largiantur. » Et « Duo fundatores in solidum admissi in Collegio Limensi » (*a.* 1584). At « Non plura dicuntur (suffragia) pro tribus confundatoribus quam pro uno tantum quibus ille æquivalet » (*a.* Germ., 1595). Qui tamen augent fundationem ut major numerus NN. sustententur, in Ecclesiis nostris sepeliri possunt, quia juvant Fundationem; juxta vero C. G., I, can. 8, hoc privilegium conceditur iis qui Fundationem juvant (*a.* Germ., 1590).

[4] Hæc suffragia non debemus *ex justitia* (*a.* CC. 1602), sed ex gratitudine, 457
adeoque non obligant ad mortale (*a.* CC. 1602. Philipp., 1603). « Gravis (est) pro materiæ proportione » (*a.* Sine temp. v. *Fundator*, IV, 3). Primum non habiti sunt ut Fundatores qui unionem beneficiorum Collegio procurarunt, nisi pactum intervenisset (*a.* 1598, 1600). At deinceps « usus Societatis in omnibus fere Provinciis jam obtinuit ut illi habeantur pro Fundatoribus Collegiorum qui pro Fundatione eorum obtinuerunt a Pontifice unionem bonorum ecclesiasticorum : iis enim utitur Divina Bonitas tanquam administris ad Fundationem, ut loquitur Const. P. IV, c. 1, n. 1 » (*a.* CC. 23 mart. 1637). At « suffragia vivis Fundatoribus concedi solita nunquam iis concedimus quorum beneficio non fruimur ante mortem ipsorum » (*a.* Flandr., 2 aug. 1642). Et generalius : « Non debet induci in Societatem ut suffragia pro vivis indicantur pro iis qui bona ad usumfructum ad vitam sibi reservant » (*a.* Gallob., 10 januar. 1637); « cum varia accidere possint quæ hujusmodi donationem difficilem aut nullam reddunt. » (*a.* CC. 3 januar. 1636; CC. 10 apr. 1638; CC. 14 aug. 1640.) « Quando quis testamento reliquit Collegio Fundationem post ejus mortem fruendam, non fiunt suffragia, nisi pro mortuo tria sacra. Sic practicandum in Societate. » (*a.* CC. 1600, 30 apr. 1638.) « Moris in Societate non est ut pro iis qui in morte primum obtulerunt Fundationem, plura quam tria sacra fiant » (*a.* Flandr., 13 dec. 1631. Et similiter Sic. 1620. Mediol. 1643. CC. 15 jan. 1640). « Pro N. sex sacra, si Societati ea (scutata ad fundationem) cum fructu dedit in vivis; sin vero post mortem solum, tria dumtaxat » (*a.* 26 aug. 1640). « Non est consentaneum Constitutionibus nostris ut quis expedito diplomate declaretur Fundator, ac solita suffragia pro eo fiant, nisi reipsa dederit Fundationem » (*a.* Flandr., 1639). Et consequenter : « Titulus Fundatoris non potest dari illi qui ex bonis ecclesiasticis obtulit Fundationem sufficientem, donec obtentus sit consensus Pontificis ad ejusmodi translationem. « (*a.* Rhen. Super., 12 jul. 1636.) Nota tamen quod : « Si quis testamento legaverit summam sufficientem pro Fundatione, eaque sine testa-

toris culpa non fuerit tota data Societati, danda sunt suffragia Fundatoris defuncti » (*a.* 30 jun. 1638).

« Ut pro fundatore iterum indicentur alia suffragia fundatorum, eo quod insigniter auxerit priorem Fundationem, non est receptum » (*a.* Polon., 3 feb. 1629). Et similiter Bohem., 6 maii 1656. Sicil., sept. 1655, ubi : « Et ita responsum ab aliis Generalibus in simili casu. »

Moris non est ut si quis alicujus Collegii fundator est et alterius Benefactor, pro ipso indicantur sacra alia tanquam pro Fundatore et alia tanquam pro Benefactore (*a.* 1619, 1633).

458 Si fundationes fiunt a Communitatibus quæ non moriuntur, dicentur illæ missæ pro illorum defunctis, maxime pro iis qui optime de nobis sunt meriti. (Cst., IV, II, D.) Si fundantur ab episcopis, de mensa episcopali, videbit Generalis utrum successores habendi sint episcopi subsequentes an consanguinei. (C. G., V, 11.) [1]

Præterea Fundatores et Benefactores participes particulariter fiunt omnium bonorum operum in tota Societate. (Cst., IV, I, 5.) [2] Fundatoribus et eorum liberis indulgentia plenaria semel in vita conceditur [3], insuper et in morte. (Comp. Priv. Pragense, v. *Indulgentiæ*, n. 20.)

N. B. — Pro fundatore Domus professæ ea suffragia quæ Cst., p. IV, c. I, pro Collegiorum fundatoribus præscribunt in tota Societate, excepta candelæ traditione, præstabuntur tantum in ipsa Domo et Provincia. (C. G., III, 41.) Si quid tamen aliud congruat addi, videbit Generalis. (C. G., VI, 20.)

459 [1] « Quando Communitates fundarunt aliquod Collegium, debent pro illis juxta præscripta meorum antecessorum, vel simul indici sex sacra, vel statim completa Fundatione, tria tantum, dilatis aliis tribus in aliquod tempus, quando eorum aliqui, et præsertim qui Fundationem magis promoverunt, erunt defuncti. At vero ubi quatuor tantum Fundatores exstiterint, potest exspectari omnium obitus ; expedit tamen audire superstites an consentiant » (*a.* Flandr., 11 sept. 1656).

« Cum Collegii N. tota fere *ex bonis ecclesiasticis* completa sit Fundatio, candela successoribus Episcopi deferenda est, non autem Episcopi defuncti consanguineis; quod fieri tamen solet, cum Collegia dotantur *ex proprio patrimonio*. Si vero Fundatio esset ex bonis ecclesiasticis, *canonicis* tamen candela deferri non debet, quia diminueret honorem Episcopi, et quia solus admissus est in Fundatorem ; poterit tamen memoris animi signum per suffragia particularia, quæ eodem tempore pro illis indicantur, tanquam pro præcipuis Collegii fundatoribus (? benefactoribus) ostendi. » (*a.* P. Hoff. Visit.,

24 jun. 1595.) Si timeatur Episcopum inde in nos usurpaturum jus patronatus, satis erit si ardeat candela in altari (*a.* 1568); sicut debet fieri quando Fundator aut ejus locum tenens non adest aut non curat, vel quando plures sunt nec est ratio cur uni potius quam alteri offeratur (*a.* 1576); et quando tota civitas est Fundatrix, affixis insignibus civitatis, nisi magistratus qui totam civitatem representet significat gratum fore si ipsi offeratur (*a.* 1597).

[2] « Quia majus ea (communicatione) Societas grati animi et observantiæ 460
documentum non habet, raram esse oportet » (*a.* 1621). In ea concedenda sunt attendenda non solum virtus et merita, sed etiam vitæ honestas, etc. (*a.* 1629); a Rectore dari nequit, sed a Provinciali, sive pro Provinciæ meritis, sive pro Collegii (*a.* 1625). Et satius est ut non faciat nisi ex consilis consultorum suorum (*f.* 20 juin 1835). Potest id facere per litteras missivas (*a.* 1598), rarius per patentes; et tunc sint similes iis quas dat Præpositus generalis mutatis mutandis (*a.* 1598). Non danda est nisi egregie merito (*a.* 1594, 1653); particularibus et non toti communitati (*a.* 1625); nec ea forma, ut quis in filium vel filiam recipi putetur, ne videamur Ordinem tertianorum fundare (*a.* 1581). Nemo Nostrorum ea sponte offerat vel petat (*a.* 1629). « Communicatio meritorum in Societate operatur sicut in aliis Ordinibus religiosis; et addit aliquid satisfactionis supra communione sanctorum » (*a.* 1648). Omnes tamen Benefactores pro ratione beneficiorum in meritis participant (*a.* 1598, 1639). Cf. Comp. Priv., n. 289.

[3] Si Fundatores anniversarium in nostra Ecclesia peragendum fundaverint, Fundatio in alia Ecclesia instituatur, cujus clericus officium peragat, ita ut nostrum sit tantum Ecclesiam accommodare (*a.* 1606, 1630). Permissum tamen est ut recipiantur 3,000 florinorum ad hunc finem ut quotannis anniversaria missa legatur, sed sine obligatione rigida (*a.* 1633).

Si insignis Benefactor, in morbum incidens, in nostro Collegio curari vellet, magno studio et gratitudinis argumento curandus esset (*a.* 1601). Pro Benefactore qui Societati ultra 10,000 scutorum (Montalbani in Gallia) dederat, jussit Pater Noster indici suffragia in Assistentia, in Provincia et in Collegio (*a.* 1644). Duci de Medina, Fundatori unius Collegii et proventuum pro Congregatione provinciali et Procuratorum, datus est titulus Patroni Provinciæ (absque jurisdictione) cum omnibus privilegiis Fundatorum (*a.* 1640).

In Collegiis proprio Fundatore destitutis fiunt consueta suffragia et applicantur iis qui Fundationem juvarunt (*b.* 1679, ††).

CAPUT SECUNDUM

DE COLLEGIORUM FORMA

461 I. — **Collegia Nostrorum.** — Collegia maxime in gratiam Scholasticorum nostrorum fuerant primo a Societate suscepta et his fere solis constabant. (Cst., IV, Proæm. A. — IV, II, F. — IV, III, 2. — IV, V, D.) Concessum tamen fuerat ut nostris Scholasticis adderentur quidam Scholastici pauperes externi, qui eamdem ac Nostri vivendi rationem ducerent, vestitu tamen diverso et separatim; necnon quidam divites, suis viventes sumptibus, dum sperari posset eos omnes idoneos operarios evasuros. Imo non prohibetur a S. Patre Nostro quominus pauci, ex gravi causa, ad convivendum cum NN. a Superiore admittantur, licet propositum ingredi Societatem non habeant. (Cst., IV, III, B. — IV, IX, A.)

Hoc tamen ultimum non admisit C. G., I (d. 126) nisi ex dispensatione et jussit domum aliquam extrui, ubi hi convictores a NN. separati viverent.

462 II. — **Collegia externorum.** — Alia sunt Collegia quæ in gratiam externorum constituta sunt; et hæc duplicis generis : primum est eorum ubi solæ scholæ inferiores habentur; alterum constat Universitatibus et studiorum generalium Collegiis, in quibus et philosophia et theologia traduntur. (Cst., IV, VII, 1, A, B. — IV, XI, 1, 2.)

463 III. — **Universitates.** — Universitates admitti possunt eo libentius quo universalius bonum per ipsas procuratur. (Cst., VII, II,

D. — IV, XI, 1.) Soli Generali id reservatur qui cum Assistentibus deliberabit. (Cst., IV, XI, 2.) Non admittet autem nisi ea lege ut jurisdictionem sive criminalem sive civilem non suscipiamus (Cst., IV, XI, 3), utque in nostris Universitatibus leges et medicina vel non doceantur vel ab externis professoribus [1]. (Cst., IV, XII, 4.) Gratis omnino gradus a nobis conferendi sunt [2]. (Cst., IV, XV, 4.) Nostri in iis ad gradus evehi possunt, sed ob solam necessitatem. (Cst., IV, VI, 17.) Utrum et qua ratione Officiales insignibus ornentur, dispiciat Generalis. (Cst., IV, XVII, 8.) Nullus certus ordo et locus nostris graduatis conceditur [3]. (Cst., IV, XV, 4.)

Professores in Universitatibus nullam auctoritatem habent a Rectore independentem. (Cst., IV, XVII, 1.) [4]

[1] Noxium siquidem videtur, tum propter mores tum propter nostram pacem, ut legum et medicinæ studiosi cum nostris quoad locum conjungantur (*a.* 1600). Concessum est tamen ut in nostra Universitate Gandiensi, ubi non docebatur medicina nec jurisprudentia, conferrentur gradus etiam in his facultatibus (*a.* 1644). Sanctus Ignatius non concesserat ut in Universitate Viennensi munus Rectoris aut Cancellarii a Nostris exerceretur (*a.* 1563). Nec concessum est a P. Claudio ut P. F. Suarez, qui in Universitate Conimbricensi primarius theologiæ Professor erat, in Rectoris absentia vice Rector fieret, pro jure suæ cathedræ (*a.* 1597). (Notabis tamen has Universitates non fuisse Societatis). Nuper in Universitate Œnipontana, ubi decani variarum Facultatum, per vices, Rectores erant, et ubi Facultas theologica ex Nostris unice constabat, is qui huic Facultati præerat, suo ordine Rector fiebat. Aliud est quando tota Universitas Nostris concreditur.

[2] Constantissime et enixe responsum fuit a GG. non accipiendas esse sportulas academicas, distributiones quas dicunt *præsentiæ*, aliasve pecunias ex collatione graduum, actibusve aut juribus academicis obvenientes : quas tamen necesse esset accipere (ne v. g. quererentur DD. sæculares), ex his nihil utilitatis ad Nostros Collegiumve derivari posse ac proinde eas, nec ad libros emendos nec ad sarta tecta aliosve usus domesticos, licet necessarios, et multo minus in convivia aut collationes Professorum convertendas ; sed aut eas primum acceptas a promotis tum ad eosdem honeste restituendas, aut in præmia scholarium vel ad adjuvandos pauperes studiosos expendendas. Imo tunc hæ pecuniæ deponebantur apud unum duosve fidos scholares qui eas judicio Professorum pauperibus distribuebant (*a.* 1552, 1562, 1598, 1639, 1646, 1647, 1654, 1657, et pluries). Tantummodo potuit aliquid modicum accipi, pro expensis necessariis et solatio officialium, in gradibus conferendis, ut fiebat Romæ pro campanario (*a.* 1648). Satis sit afferre unum alte- 464

ruumve ex multis responsis : « Tempore S. Ignatii 1552, P. Canisius et P. Gaudanus accipiebant pecuniam in promotionibus academicis obvenientem ipsis, ne quererentur DD. sæculares, sed postea eam restituebant promotis cum ædificatione. (Ita Polancus in *Hist. ms. Societ. Jesu,* t. II.) Permisit ad tempus Laynez ut Nostri Coloniæ acciperent pecunias a scholasticis, quia ita permissum fuerat facultati artium, sed postea abrogatum. Pecunias vero quæ exigebantur pro examinibus, tentaminibus, responsionibus, etc., necesse fuit permittere ut Nostri acciperent, alioquin parata fuisset nobis tragædia : sed ordinatum ut ex illa pecunia primo emerentur præmia pro scholasticis, deinde ut reliquum daretur pauperibus ita ut jurare posset Doctor se nihil ex eis accepisse, » (*a.* P. Natal, in Visit. Germ., 1562.) « Non approbo accipi a Nostris pecuniam aliquam, jurium vel arrhæ nomine, cum promoventur aliqui ad gradus, eamque in usus domesticos converti. Mallem nihil omnino emolumenti admitti a Nostris in ejusmodi promotionibus ; quod et conformius est menti S. P. N. (Cst., IV, xv, n. 4, et litt. F.). Quod si tamen ex usu Academiæ aliquid pendi soleat, non convertatur in usus domesticos sed distribuatur in pauperes studiosos. Quod ut majori integritate fiat, et ædificatione publica, deponantur pecuniæ omnes ejusmodi apud unum vel duos studiosos fideles, qui ex judicio Professorum ad quos distributiones illæ pertinent, dispensent eas in pauperes. Præmium nostrum, ut loquitur (l. c,) S. P. N. sit solus Christus Dominus qui est merces nostra magna nimis. Atque id cum alibi jam statutum, cupio quoque induci in Provinciam istam. » (*a.* 9 nov. 1647, P. Georgio Metzico.) Et cf. supra ubi de paupertate Societatis ex regula, P. 2, c. II.

[3] Deinceps prohibitum est ne inter graduatos ullus ordo antiquitatis haberetur, licet non graduatos præcedere possent (*a.* 1605).

Vice Rector, Rectore absente, Cancellarium in actibus publicis præcedat (*a.* 1593), Rectorem vero Universitatis Provincialis et Visitator nec præcedere debent, in hujusmodi actibus, nec, contra sui officii dignitatem, subsequi ; potius ex altera parte aut extra ordinem sedeant ; aut demum concursum declinent (*a.* 1588, 1596).

[4] Etiamsi in externorum academia doceant, nostri Professores a Rectore pendent, licet h c pro sua prudentia cavere debeat ne quid facile statuat contra illorum sententiam (*a.* 1601). « In Academiis cura nostra subjectis » Professores etiam theologiæ a *Rectore Collegii* tamquam membra a suo capite ita pendent ut eo inconsulto nullos conventus aut deliberationes habere possint aut aliquid valide absque ipsius assensu decernere ; « conformiter statuto a P. Claudio 1608 facto atque fundato P. IV, Cst., c. XVII » (*a.* 4 jan. 1644, Prov. Rhen. Sup.). « Ita etiam rescriptum a PP. Claudio, Mutio » (*a.* P. Nickel, Rect. Pragensi, 1654). Juramenta præstari non debent a NN. in Universitatibus, nisi addendo « Salvo Instituto et obedentia Superiorum » (*a.* 1568).

IV. — **Convictus.** — Ea Collegia quæ convictoribus constant 465
fuerant, ægre tamen, a C. G., IV (d. 13) tolerata [1], ob eorum in septentrionalibus regionibus necessitatem, et ea quidem conditione ut externo œconomo res nummaria committeretur, nec sollicitarentur juvenes ad Societatem, aut invitis parentibus admitterentur. Eorum Regentibus i. e. Superioribus nullus locus in Congregatione Provinciali fuerat primo concessus. (Form. Cong. Prov.) [2] Nostro sæculo hæc quamvis bonis stabilibus carentia (*at dummodo scholas habeant*), Collegiis saltem inchoatis assimilata sunt; eorumque Rectores aliis æquiparati. (C. G., XX, 14.) Ea paupertati nostræ non repugnare, si loco fundationis pensiones convictorum acceperint C. G., XXII (d. 43) declaravit [3]. Cf. infra scholion de indole convictuum antiquorum, et de paupertate eorum supra n. 133.

[1] Postulatum fuit a Summo Pontifice, nomine Congregationis III[æ] et ex sollicitatione Congregationis provincialis Romanæ, anno 1573, (*a*) ut eam liberaret a cura Collegii Germanici et Seminarii Romani. Negatum fuit a Summo Pontifice. — C. G., III (*d.* 24), potestatem fecit Generali convictores qui propriis sumptibus alebantur in Collegio Germanico, dimittendi, si judicaret; saltem nolebat Societas administrationem eorum sumere (*b.* †, 1571; *a.* 1598). Fundationes certorum Collegiorum rejecit quia eis obligatio habendi convictores adjuncta fuerat (*a.* 1597, 1598).

[2] Hi Collegiorum Rectoribus plerumque subjecti erant (*a.* 1600), deinceps exempti sunt (1640). Ubi vero suberant, negabatur eis facultas celebrandi contractus (*a.* 1640). Cum autem horum Regentium munus non esset vera Societatis prælatura, non censebatur comprehendi voto simplici Professorum (*a.* 1615), licet is qui Regenti dixisset *Nolo obedire* reservationem incurreret (ibid).

[3] De externis nihil statuit hoc decretum. At de his et de convictoribus, cf. supra ubi de paupertate ex regula, P. II, c. II.

V. — **Seminaria episcopalia** non censuit admittenda C. G., II 466
(can. 13), nisi fundatio esset perpetua, magnum inde emolumentum vicino Collegio accederet et libera eorum gubernatio Societati relinqueretur. Nec sejunctos professores eis dare permisit. Saltem munus examinandi ad Ordines, ita ut judicium feratur de candidatorum admissione, suscipi noluit C. G., II (d. 72) [1]. Nostris tamen licet de doctrinæ sufficientia judicium ferre. (C. G.,

IV, 63.) Cæterum ab utraque Congregatione facta est R. P. Generali potestas in hoc dispensandi. Postea hujusmodi clericorum Seminaria pro Galliis probata fuere a C. G., XII (d. 26), iis conditionibus quas Generalis ab Instituto non alienas censebit [2].

[1] Potest tamen in hoc Præpositus generalis ex gravi causa dispensare, et revera dispensatum est quoad Seminaria Galliæ Societati commissa, in quibus Superiores non poterant non proponere ordinandos (*d.* 2 jul. 1870).

[2] Quod olim in Gallia utile visum fuerat, hoc tempore utilissimum videtur (*f.* P. Subst. 30 oct. 1843). Quamvis Seminaria non sint in dominium Societatis, attamen Patres efformant veram communitatem religiosam, cui non prorsus dissimili modo res se habet ac pro religioso subjecto duplici jurisdictioni, de quo supra, ubi de missionibus exteris n. 398). In praxi per claras pactiones præcaventur difficultates. (Cf. *De paupertate S. J.*, n. 81, sqq.) Ex Synodo Trident. Sess. 23, c. XVIII, De Reform. Episcopi jus habent statuendi quæ et qua ratione in suis Seminariis docenda sint : verum Superioribus Societatis incumbit, curare ut in pactionibus quibus Episcopi nobis sua Seminaria tradunt, quarumque approbatio Generali reservatur, nihil statuatur nostræ Studiorum Rationi repugnans (*c.* ad Prov. Tolos., 1858).

Nullum vero novum Seminarium suscipi potest absque prævia intelligentia et consensu Propositi generalis juxta C. G., II, 18, et C. G., XII, 26 (*c.* ad Prov. Tolos., 1856). Imo requiritur hodie approbatio S. Sedis ex stylo S. C. EE. et RR. (Cf. Bizzarri, p. 852, n. 5). Et revera debent in pactionibus cum Episcopo accommodari ad conditiones Regularium Institutorum præscriptiones juris communis, ad cujus derogationem requiritur venia S. Sedis.

467 VI. — **Scholæ elementares** seu Abecedarii, in quibus pueri discant legere et scribere, ordinarie non suscipiendæ sunt; et ubi sunt necessariæ, potius per sæculares, sub cura Præfecti scholarum inferiorum, quam per Nostros tractentur. (Cst., IV, XII, C. — C. G., XX, 21. — St. Prov. 2, 1, 4. — St. Præf. inf., 8, 12.)[1]

468 VII. — **Scholæ apostolicæ**, quamvis non expediat eas Societati commendare tanquam Ecclesiæ et Societati ipsi magno emolumento futuras, non repugnant tamen Instituto nostro. (C. G., XXIII, 26.) Videntur enim aliquo modo præformatæ in Cst., IV, III, B. (Ex C. G., XXIII, ibid.) [2]

[1] « Melius est ut pueri prius discant legere et scribere, quoniam hoc non

profitemur in Collegiis » (*a.* S. P. Ignatius, 1 feb. 1556). Et ita pluries. « Semper judicatum fuit in Societate non convenire nostro Instituto scholas abecedarias. Sola necessitas ob defectum ludimagistrorum vel idoneorum vel catholicorum permovit meos antecessores ut eas alicubi permitterent, duranti illa necessitate. » (*a.* Bohem., 4 nov. 1656.) Hinc responsum curam hanc a Nostris in Transylvania « omnino suscipiendam » (*a.* Polon., 1581).

[2] Quamvis hæ scholæ ex dictis (ubi saltem non uniantur alicui Collegio aut non acceptentur ut Collegium), sint pia instituta cujus Societas non dominium, sed administrationem habet, nihilominus Communitas NN. ibi regulariter constituta participat privilegium exemptionis, si adsint conditiones aliunde requisitæ.

De indulgentiis huic apostolico operi concessis cf. Beringer, *Des Indulgences*, t. II, p. 299 et sqq.

Scholion. — *De indole convictuum antiquorum.* — Præ oculis 469
habendum est quid discriminis fuerit convictus inter antiquos, et convictus prout nunc passim constitutos videmus. Priores (et quidam adhuc exstant hujus generis, v. g. Romæ) ut plurimum scholis carebant, resque erant non tam Societatis quam Societati creditæ. Hinc in antiquis responsis Generalium constanter statuitur bona convictuum ad Societatem non pertinere, utpote quæ solam eorum administrationem habet (*a.* 1623, 1624). Ex hac indole dominii bonorum convictus intelliguntur varia quæ habentur in responsis de bonis illis ad usus Societatis non convertendis, etiam in casu dissolutionis convictus; nec proinde ea bona ad Nostrorum usus extra convictum adhiberi posse (*a.* 1612); nequidem per mutuam pecuniam quæ a convictus Superiore Rectori Collegii concederetur (*a.* 1613); imo nec ab eo remitti posse decretum est quod Collegium convictui debet (*a.* 1613). Jussum est igitur Collegium Pragense convictui restituere pecuniæ summam ad exstruendum refectorium et villam emendam acceptam (*a.* 1595). Permissum tamen est ut Seminarium Montense Collegii magistros ad prandium invitaret (*a.* 1648). Solius Regentis viaticum a Seminario solvi debere statutum prius fuerat (*a.* 1590). Deinceps tamen aliorum etiam Præfectorum, sicut fieri solet in Collegiis (*a.* 1595). Cæterum negatum est ex bonis convictuum

aliquid posse a Nostris accipi præter necessariam sustentationem (*a.* 1582, 1612). Statutum est circa legata ipsis facta nullam potestatem habere Generalem Societatis (*a.* 1657); nihilque oppignorari aut vendi posse, quia bona sunt ecclesiastica (*a.* 1624, 1626). Eximebantur convictus ab onere contribuendi sumptibus Provinciæ (*a.* 1599, 1619). Si quid residuum esset, id impendebatur in alumnorum commodum, eos liberalius tractando, aut pauperes scholasticos alendo, aut minuendo pensiones. Licebat porro in gratiam novorum alumnorum consumi quod ex absentium pensionibus superfluum fuerat, quia censebatur moraliter eadem domus (*a.* 1612). Non plus quam 2000 coronatorum ad occurendum necessitati servanda erant (*a.* 1583). Si dissolveretur convictus sine spe restaurationis, ejus bona, tanquam bona derelicta, erant in pauperes distribuenda, non vero in nostros usus vertenda (*a.* 1612, 1618); idem agendum censebatur cum supellectili convictorum pecuniis comparata (*a.* 1596, 1597); etsi egenti Collegio forsan dari posset, curando ne levissimam speciem cupiditatis incurramus (*a.* 1592).

470 At simul patet has varias dispositiones non referri ad convictus quales nunc habentur, quique scholas habent, et apti sunt ut acceptentur, imo sæpius acceptantur ut vera Collegia. Si tamen alicubi haberetur convictus mere talis, i. e. absque scholis (ita ut v. g. convictores adirent scholas Universitatis), hæc Collegia in sensu Instituti non essent. Reditus sane habere possent; at quorum Societas solam administrationem habere censenda esset. (Cf. supra P. II, c. v, n. 133.) Quoad hos vero convictus seu Collegia, ut hodie habentur communiter, commendatum est ut alumnorum numerus, dummodo sit non mediocris (C. G., XXII, 19), nimium non excresceret. Vix enim ad 300 augeri potest quin difficillimum evadat regimen (*f.* 18 maii 1830). Non placuerat admitti puerulos, ne nostrorum magistrorum tempus minus utiliter cum ipsis consumatur, et quia raro hujusmodi usque ad studiorum finem perseverant (*d.* 27 aug. 1848). Convictus procul ab urbibus constituendi non sunt, ne NN. ab apostolicis ministeriis desuescant et

rebus inutilibus subcesivas horas impendant (14 aug. 1849). De conditionibus requisitis ut admittatur convictus, et de sollicitudine Societatis ne inde abrumpantur aut differantur studia et probationes Nostrorum, cf. C. G., XXII, 19.

CAPUT TERTIUM

DE COLLEGIORUM REGIMINE

471 I. — **De Rectore.** — Primum locum tenet Rector, cujus officium alibi describitur. Hic debet ordinarie Coadjutor spiritualis esse, etiam in Universitatibus. (Cst., VI, II, 3.)

II. — **De Præfecto generali.** — Inter adjutores Rectoris præter Ministrum et Consultores, de quibus alibi, primus est in Collegiis Præfectus generalis studiorum et in Universitatibus Cancellarius. Hic autem a Generali designandus. (Cst., IV, XVII, 1, 2, A. — R. Prov., 27.) Aliquando Cancellarius ipse Rector est, aliquando a Præfecto distinctus statuitur. (R. Præf., 2.) Is est generale Rectoris instrumentum quoad studia. Dirigit disputationes, ejusque defectu, antiquissimus Præceptorum (C. G., I, 30). Discernit eos qui ad gradus admitti possunt. Præcipit Professoribus et Scholasticis et Præfectis studiorum Seminariorum (horum scilicet, quæ ad Scholas Collegii accedunt), Scholasticorum tempus moderatur. Recognoscit ea quæ publice recitantur et conclusiones defendendas. Ubi vero nullus Præfectus adest, Præfectus vicinioris collegii id efficit. Libros scholaribus suppeditat. Nihil tamen in regulis immutat, sed earum observationem urget. Ad ipsum pertinet curare de doctrina et delectu opinionum, de absolvendis materiis, de actibus et examinibus. (St. Reg. Præf. gen.)

472 III. — **De Præfecto scholarum inferiorum.** — Præfecto generali, in amplioribus Collegiis, additur Præfectus scholarum inferiorum, qui est instrumentum Rectoris tam in studiis quam in

moribus curandis; et quoad studia tantum et scholæ disciplinam, non vero quoad morum curam, generali Præfecto subest. Hoc deficiente, recognoscat quæ publice declamantur, libros distribuat, eorum catalogum in principio anni edat, et curet ne apud bibliopolas desint. Regularum observationi invigilet; ordinem scholarum tueatur; ferias promulget. Ipse novos discipulos audit et admittit; ad superiores classes, semel in anno, promovet, inspectis Magistrorum notis. Singulis auditoribus scamna assignat, Nostris vero separata. Studii horas distribuit. Immunitatem a versibus et græca lingua raro concedat. Publicas exercitationes dirigat. Præmia et cætera incitamenta provideat, delinquentes corrigi curet. (St. Reg. Præf. Schol. inf.)[1] Potest quoque constitui tertius qui scholarum atrio præsit.

[1] In iis Collegiis quæ simul convictus sunt, constituendus est aliquis studiorum Præfectus, qui Magistros dirigat præter Præfectum convictus qui id vix præstare potest (20 mart. 1875).

IV. — **De Magistris.** — Magistri singuli suas habent regulas; 473
hi ex Societate quantum fieri potest sint; docti, diligentes, discipulorum profectus studiosi. Eorum alacritatem Rector foveat (Cst., IV, VI, 6. — IV, XIII, 3, B, C. — C. G., II, 9. — St. R. Rect. 19); eosque maxima benevolentia prosequatur, ut qui ministerium Societatis proprium, et omnibus etiam Professis commune exercent. (C. G., VII, 26. — VIII, 8.) Curare debet Provincialis ut Magistri ab ea schola ordiantur cui superiores sint, nec simul philosophiam audiant. (St. R. Prov.) Sint in qualibet provincia quidam præstantes, quique huic muneri se per totam vitam addicant. Non tamen diutius in docendo detinendi sunt qui talento concionandi præstant aut qui in studiis theologicis plus cæteris sperantur profecturi. (St. Reg. Prov. 27). Non tamen facile a docendi labore eximantur Scholastici. (St. Reg. Prov.)

Judicet Generalis an publicæ cathedræ in Universitatibus admitti possint; non autem admittentur si fit per oppositionem (C. G., I, 118.) Judicet etiam Generalis an more publicorum pro-

fessorum aliqui docere possint in Universitatibus. (Cst., IV, XIII, C.) Nulli peculiares magistri Seminariis externorum adolescentium concedantur. (C. G., II, 18. — XII, 25.)

474 V. — **De Secretario et aliis officialibus.** — Erit etiam in Universitatibus Secretarius, sigillo instructus, qui nomina Scholarium et eorum promissionem servandi regulas penes se retinebit (Cst., IV, XVII, 3); notarius, qui ad fidem faciendam de gradibus, moderatum exigere potest stipendium (Cst., IV, XVII, 4, F); duo vel tres bidelli non ex Societate, cum commodo stipendio (Cst., IV, XVII, 4, G); tres decani, ex singulis Facultatibus, quos cum Cancellario et Consultoribus Rector in consultationem vocabit, et alios etiam, vel externos vel ex Societate prout judicabit; quibus omnibus refragantibus nihil statuet inconsulto Provinciali. (Cst., IV, XVII, 5, 6, H. — IX, VI, 14.) Erit demum Syndicus generalis, vir magnæ fidelitatis et judicii, qui tam de personis quam de rebus Rectorem, Provincialem et Generalem admonebit (Cst., IV, XVII, 7), præter syndicum particularem cujuslibet classis.

Magistrorum infra logicam, cum Præfecto scholarum inferiorum, singulis mensibus aut alternis, aliorum etiam interdum, consultationem habebit Rector. (St. Rect., 17.)

CAPUT QUARTUM

DE COLLEGIORUM INSTITUTIONE

ARTICULUS PRIMUS

De scholis inferioribus.

I. — **Quænam scholæ habendæ** [1]. — Non convenit ut legere et 475
scribere pueri in nostris scholis addiscant ordinarie aut saltem a NN. [2] (Cst., IV, XII, C.) Concessum tamen est a C. G. XX (*d.* 21) ut scholæ elementares in nostris convictibus a Patre Nostro haberi permitterentur, dummodo id majori bono non officiat. Simul vero commendatum est ut ab aliis potius quam a NN. docerentur. Ubi eligendum est, semper superiores scholæ potius retinendæ sunt. Tres erunt communiter scholæ grammatices, quarta humaniorum litterarum, quinta rhetorices; ita ut semper, etiamsi ob nimium discipulorum numerum scholæ geminandæ essent, hi gradus retineantur. (Cst., IV, XIII, B. — St. Prov., 21, etc.)

II. — **Quid in iis docendum.** — In his traduntur latinæ et græcæ, 476
et vernaculæ linguæ præcepta. (Cst., IV, XII, 2.) Commendatur Provinciali græca lingua. (C. G., VIII, 16.) Latine loquantur, scribant et disputent discipuli. (Cst., IV, VI, 13. — IV, XIII, 3.) In his etiam scholis tradantur historiæ, geographiæ ac matheseos

elementa, pro cujusque regionis necessitate. (St. R. Præf. inf., sch. 8, § 11.)

477 III. — **Quomodo juvandi discipuli.** — Sint suis temporibus declamationes, disputationes, carminum aut scriptionum publicæ expositiones, academicæ exercitationes, præmiorum distributiones. (R. Præf. et Prof. schol. inf.)

Qui novi accedunt, examinentur, et a Rectore suus cuique assignetur locus. Nullus autem ob paupertatem arcendus est. (Cst., IV, XIII, 4, E. — IV, XV, 1, A.)

Caveatur a libris inhonestis; nullus nisi purgatus discipulis tradatur [3]; ex vernaculis vero lectissimi quique. Pravi scriptores laudandi non sunt. (St. R. Prov., 34. — R. Prof. inf., 18.)

Curandum quantum possumus ut rhetoricam audiant omnes ante philosophiam. (Cst., IV, VI, 4. — St. Rect., 12.)

[1] Instituto consentaneum non est ut juxta Domum professam scholæ instituantur (*a.* 1639).

[2] Cf. supra n. 467.

[3] Optandum valde est ut communi Provinciarum cura edantur pro nostris scholis auctores classici sedulo expurgati et commentariis illustrati (*b.* ÷, 1619, *a.* 1625). Concessum est Prov. Germ. Sup. id postulanti ut fiat editio emendata celebriorum scriptorum sive Germanorum sive Gallorum; ea tamen lege ut nihil in lucem edatur nisi postquam Revisorum judicia Romam missa fuerint (*f.* nov. 1832).

ARTICULUS SECUNDUS

De scholis superioribus universim

478 I. — **Quid in iis docendum.** — De his scholis id universim dici potest primum inter illas locum theologiam occupare, tum scholasticam, tum moralem, tum positivam, ad quam pertinet notitia Sacræ Scripturæ, canonum et historiæ ecclesiasticæ. (Cst, IV, XII, 1, C.) Usus etiam invaluit ut lingua hebraica in hacce facultate tradatur. (St. R. Prov., 8.)

Tractandæ etiam artes, philosophia scilicet, physica et mathesis, quatenus theologiæ subserviunt. (Cst., IV, v, 1. — IV, xii, 3, C. — C. G., III, 47. — XIV, 20.) Hæc omnia, etiam mathesis et physica, ubi fieri potest, latine doceantur. (C. G., XXI, 19). [1]

II. — **Quæ docendi ratio.** — Non adducantur opiniones obsoletæ, 479
manifeste falsæ nec nimis immoretur illis refutandis. Argumenta pondere, non numero, æstimentur. Digressiones vitandæ, materiæ non miscendæ, brevitatique consulendum. Auctoritates paucæ sed fideliter citentur et quos ipse Lector viderit. Non dictetur ant dictationi intermisceatur explicatio. Auctores solidi et a Provinciali approbati prælegantur; et ipsi Professores quotannis aliquam quæstionem concinnant et aliquid scribant. (Cst., IV, xiv, 1. St. R. Com., 6, 7, 9.) In theologia, legenda est summa D. Thomæ; in philosophia vero doctrina Aristotelis sequenda est; nisi aliqua alia summa, sive theologiæ, sive philosophiæ, nostris temporibus accommodatior (Cst., IV, xiv, 1, 3, B. — C. G., V, 70), gravi cum consilio, a Generali approbetur. De ipsa doctrina, cf. infra, c. v. Lectionum sæpe Professor exigat rationem; et repetitiones fiant non solum ultimæ lectionis, sed hebdomadariæ, imo longioris temporis, necnon et disputationes. (R. Præf. sup., 11, 12, 13, 14, 18.)

[1] Concessum olim erat tribus Galliæ Provincialibus ut in nostris Academiis externi scholares ad theologiæ baccalaureatum admitterentur post tertium annum, ad licentiam in fine quarti anni (*b.* †, 1594).

ARTICULUS TERTIUS

De scholis philosophiæ.

I. — **De philosophia.** — Philosophia ad theologiam parare 480
debet et ad Deum melius cognoscendum juvare. Aristotelis doctrina sequenda est, nisi ubi Fidei adversatur aut communiter

deseritur. Philosophi male de religione meriti non laudentur sed sine laude proferantur; et si ipsi aliunde desumpserunt, id demonstretur. Errores ipsorum acriter carpantur. (R. Prof. ph., 4, 5.) S. Thomas maximo honore prosequendus est, nec nisi gravate deserendus. (Cst., IV, XIV, 1, 3. — C. G., III, 47. — V, 41, 56. — St. R. Prof. Phil., 5, 6, 7.)

Philosophiæ Professores futuri biennio theologiam repetant. Novitatum amatores ab hoc munere removeantur. (C. G., V, 41. — IX, 23. — XVI, 36, 3. — XX, 10. — XXI, 14.) Triennio cursus Philosophiæ percurrendus est saltem pro NN. (C. G., XXII, 34.) [1]

481 II. — **De Mathesi.** — Matheseos Professores ante omnia primo anno tradere debent ea quæ sequenti anno ad physicam necessaria sunt. (St. Reg. Prof. Math., 40.)

482 III. — **De Physica.** — Physices Professores meminerint profanas scientias religiose tractandas esse, ut visibilia Dei per ea quæ facta sunt conspiciantur. (St. Reg. Prof. Phys., 39.) [2]

[1] Permittitur ut, ubi soli externi student, biennio cursus philosophiæ absolvatur (*a.* 1636). Minime vero ubi NN. student. Id omnino negatum fuit Electori Bavarico pro Academia Ingolstadiensi : 1° Quia in tota Assistentia id nuspiam fiebat, nisi in Belgio, ubi duplicati erant Professores, et singuli per 2 $^1/_2$ horas in scholis manebant ; 2° quia in plerisque Assistentiis triennium vigebat ; 3° quia in Gallia, ubi ob solam necessitatem fuerat tempus contractum (quoniam scilicet scholæ nostræ deserebantur), id non sine magno incommodo fieri potuerat ; 4° quia id est contrarium Constitutionibus (*a.* 1643).

[2] De modo tradendi physicas et philosophicas disciplinas, cf. c. seq. ubi de doctrina Societatis. Recole quoque, c. I, partis 8.

ARTICULUS QUARTUS

De scholis theologiæ.

483 I. — **Scholastica theologia** omnino retinenda est, et doctrina S. Thomæ tradenda ; nec ad cathedram promoveri debent qui ei addicti non sunt. (Cst., IV, XIV, 1, C. — C. G., V, 41, 1. — VII,

83. — XXI, 13. — XXII, 37. — Or. pro. St. super., 7.) In ea methodus dialectica servetur. (C. G., XXI, 13.)

II. — **Sacræ Scripturæ** Professores sint et orientalium linguarum et theologiæ periti, in eruditione et eloquentia versati. (C. G., XIII, 15.) Divinas litteras juxta germanum sensum pie, docte et graviter, explicent, regulis hermeneutices præmissis; versionem vulgatam defendant [1]. (Cst., IV, VI, 5. — St. Reg. Prof. Sac. Script., 12.) 484

III. — **Lingua hebraica**. — Idem præstet Professor linguæ hebraicæ, qui cæterarum Orientis linguarum peritus esse deberet, quæ ad hebraicam illustrandam juvant. Magis verba quam sententias in Bibliis explicet. 485

IV. — **Juris Canonici** Professor eos titulos omittet quos juxta Constitutionum mentem Generalis indicabit [2], nisi in publicis Universitatibus legat. (C. G., XIV, 20. — XVI, 30.) Ejus scopus erit Ecclesiæ legum justitiam ex theologia et juris publici principiis defendere. Scholasticæ formæ non adhærebit. Biennio cursus absolvatur. (St. R. Prof. Jur. Can., 1, 2, 3, 4.) 486

V. — **Ecclesiasticæ historiæ** Professor hunc scopum habebit ut historicas quæstiones ad theologiam spectantes explicet; jura Ecclesiæ et Summorum Pontificum factis comprobet, disciplinæ Ecclesiæ mutationes et constantiam exponat, critica utatur præjudiciis libera. Intra biennium aut quadriennium cursum absolvat. (St. R. Prof. Hist. Ecc., 1, 2, 3, 4, 5, 7, 8, 10.) 487

VI. **Theologia moralis** tum iis qui scholasticæ theologiæ non student (tum aliis, succincte), scilicet intra triennium tradenda est [3]. (C. G., VII, 33, 7.) Sit præterea in singulis domibus vir in ea bene versatus qui interrogantibus respondere possit. (R. Prov., 57.) Caveant Professores moralis ne statim vulgent quod probabile censent. Caute, etiam in privatis congressibus, respondeant. In 488

libris de morali edendis severi sint Censores; et parum cauti Superiores loco moveantur. (C. G., XI, 22. — XII, 28. — XIV, 5.)

489 VII. — **Theologia Compendiaria.** — Sit præterea qui compendio theologiam dogmaticam eos doceat qui scholasticæ non applicantur. (C. G., XXI, 16. — St. Prov., 12.)

[1] Non habenda est lectio Sacræ Scripturæ ubi non est theologia scholastica, juxta constitutiones IV, VII, B. Non debet hæc lectio per duos annos interrumpi : id enim Concilio Tridentino et menti Pontificis, qui ei proprium locum assignat, satis conforme non esset; sed Reg. Prov., 9, St., ita intelligitur ut theologi primi et secundi anni morali theologiæ studeant, tertii vero et quarti Sacræ Scripturæ (*a.* 1650). Regulæ professoris juris et historiæ non exstant in antiqua Ratione.

[2] Nempe omnia quæ ad forum litigiosum pertinent (*a.* 1621, 1643 ex Cst., IV, XII). Permissum tamen est ut, finita theologia, quidam e NN. ad has lectiones audiendas admitterentur (*a.* 1643).

[3] Utrum tamen mens fuerit Instituti, ut idem professor uno eodemque cursu utrique simul auditorum classi moralem tradat vix non dubitabit qui decr. 33, C. G., VII et Reg., 9, § 1. Prov. in Rat. St. conferret cum reg. 12, ibid. et cum Reg. Prof. Casuum. Illic enim præscribitur ut solide et succincte eæ *solum* materiæ explicentur quas prætermittit Professor theologiæ dogmaticæ; hic vero ut *universæ* res morales practice tradantur.

ARTICULUS QUINTUS

De academiis.

490 Academiarum exercitationes diebus feriatis præcipue habeantur. Academiæ porro sunt cætus studiosorum, ingenio et pietate præstantium, ex omnibus discipulis delectorum, qui peculiares habent exercitationes ad studia pertinentes. His unus ex NN. præficiendus est. Omnes Religiosi qui scholas nostras frequentant in eis admittendi sunt; ex cæteris vero, nemo qui sodalitatibus B. M. V. non sit adscriptus [1].

Tres sunt communiter Academiæ : 1ª ex theologis et philosophis; 2ª ex rhetoricis et humanistis; 3ª ex grammaticis constabit.

[1] Si academia privatis repetitionibus habendis inservit, non est exigendum ut academici ad sodalitatem pertineant (*f.* nov. 1832).

CAPUT QUINTUM

DE DOCTRINA SOCIETATIS

I. — **Sectanda unitas.** — In Societatis doctrina magnopere 491
curanda est unitas. (Cst., VIII, 1, K.) Judiciorum enim diversitas mater esse solet discordiarum. (Cst., III, 1, 18, O. — C. G., V, 50, 2. — XVI, 36.) Hi igitur qui Societatem ingrediuntur parati esse debent ad judicium suum submittendum. (Ex., III, 11. — Cst., III, 1, O. — C. G., V, 6, 50, 2.) Cum autem falso inde concluderetur Societatem sibi doctrinalem auctoritatem arrogare, hanc judicii submissionem sic explicavit C. G., V, 50, 2 :

1° Ut Nostri novas non inducant opiniones;

2° Ut si quando contra communem senserint, sequantur quod judicaverit Societas;

3° Ut in controversiis redigantur ad conformitatem. Ad hanc unitatem facilius obtinendam, jussu C. G., IX (*d.* 23), confectus est a Patre Piccolomini catalogus propositionum quas Nostris docere non licet [1]. Congregatio generalis vero XIV (*d.* 15) et XVI (*d.* 36) commendarunt ut denuo conficeretur. C. G., XVIII, 20 censuit illum esse in nova Instituti editione recudendum, quin tamen prohiberetur ea docere quæ Generalis Provinciis permisisset. Quoad quæstiones philosophicas substitutus ei fuit elenchus P. Beckx. (Ord. pro trienn. phil.)

[1] Non prohibetur ullam ex his propositionibus in praxi sequi, cum non omnium eadem sit ratio (*a.* 1652), nec privatim dicere aliquam ex his probabilem esse (*a.* 1658) ; sed in domesticis conferentiis casuum defendi non debent (*a.* 1654).

492 II. — **Securitas.** — Eam doctrinam Societatis Magistri sequi debent quæ in quavis facultate securior est et magis probata. (Ex., III, 11. — III, I, 18, O. — IV, V, 4. — XIV, 1.) In hoc Rectores serio invigilent. (C. G., V, 41.) A docendi munere amoveantur qui ad novitates proni essent. (St. Reg. Prov., 16.) Ubi vero libertas relinquetur, contrariæ partis existimationi consulatur; et concilientur, quantum possibile erit, opiniones adversæ. Ab iis abstineatur quæ in aliqua provincia aut academia catholicos offendere scirentur. (C. G., V, 41.)

493 III. — **Sancti Thomæ auctoritas.** — Sanctus Thomas a NN. ut Doctor proprius habendus est, nec ad cathedras theologiæ promovendi sunt qui ei addicti non sunt. (Cst., IV, XIV, 1. — C. G., V, 41, 56, § 1, 4. — R. Prof. th.[1]. — Leo XIII, *Gravissime Nos.*) Ab eo tamen recedimus circa Immaculatam Conceptionem B. M. V. et votorum solemnitatem; nec prohibetur quin aliquando, in quæstionibus præsertim mere philosophicis et canonicis, eos sequamur qui eas magis ex professo tractaverint[1]. (C. G., V, 56.)

Congregatio vero XXIII Constitutionum et Congregationis V^æ^ præscripta confirmavit (*d.* 15); ut autem veræ S. Thomæ doctrinæ constanter adhæreamus monuit tum theologiæ tum philosophiæ Professores et Scholasticos, ut magni faciant et diligenter consulant probatos illos et eximios Societatis Doctores qui tanquam S. Thomæ sapientes interpretes, imo Ecclesiæ luminaria commendari meruerunt (*d.* 18), et quorum solertiæ fructus nemo quidem sine jactura neglexerit. In documentis enim quæ certo sunt S. Thomæ non ita fiet facile ut scriptores Societatis ab illo omnes dissentiant. (Leo XIII, *Gravissime nos.*) Si qua tamen in re hi auctores a S. Thoma dissideant, ipsi omittendi. (Leo XIII, ibid.)

Quæ vero a Sancto Thoma non attinguntur et de quibus theologi non consentiunt, libere agitari a NN. poterunt, salva tamen bona existimatione et caritate adversæ parti debita (C. G., V, 41.), et attentis his quæ supra retulimus.

[1] Summus Pontifex rogatus ut juberet neminem admitti Salmanticæ ad

gradum vel cathedram theologiæ nisi in doctrinam S^ti Thomæ juraret, respondit se id non velle nec posse facere (*a.* 1634).

Quod quidam Societatis scriptores a Sancto Thoma recesserint, ratio non est cur alii ipsi adhærere non teneantur (*a.* 1606). Nec regulæ satisfaceret qui opinionum contrariarum momenta exponeret, nisi significaret se doctrinam Sancti Thomæ anteponere (*a.* 1596). Et cf. Leo XIII, l. c.

IV. — **Quoad philosophiam** Societas aristotelicam doctrinam 494
generatim sequitur. (Cst., IV, XIV, 3. — C. G., V, 41. — XVI, 36.) Monendusque erit quotannis a Provinciali Generalis si quis ab ea recedit.[1] Et licet jubeantur Professores scientiarum physicarum in dies incrementum attendere (Prof. phys. 35. in nov. St. Rat.); nihilominus eæ ita tradendæ sunt ut quod a Professore metaphysicæ adstruitur, juxta Institutum, a physicæ Professore non destruatur; et in specie nihil asseratur quod systemati peripatetico de corporum constitutione contradicat. (C. G., XXIII, 15.) Quæ vero de nostris Doctoribus diligenter consulendis præscribuntur, ea ad Professores quoque philosophiæ pertinent. (Ibid. 18.) Cf. litter. P. Beckx, 1 nov. 1878.

[1] Decreto 13 Cong. XVII jubetur in physica generali docendum et propugnandum esse systema aristotelicum. In litteris autem 17 julii 1752, quibus decretum illud declarat, hæc habet P. Vicecomes : « Fixa apud nos sint hujus systematis capita præcipua ac veluti doctrinæ summa quæ ferme tota est in formis materialibus absolutis, tum substantialibus, tum accidentalibus, atque in vera causarum naturalium efficientia versatur. (Cf. libell. *De doctrina Societatis.* — Firenze, Ricci.)

V. — **Quæ a Nostris docendum** Hæc vero sunt puncta quæ 495
Societas doceri vel prohibuit vel præcepit :

1° Quoad jura Pontificis in temporale principum, prohibuit ne quis de hac quæstione publice disputet aut in scholis tractet, nec scripto quidquam edatur quod Romæ recognitum et probatum non fuerit. (Cens. et præc., 5.)

2° Quoad tyrannicidium nemo ejus liceitatem propugnet, sub pœna excommunicationis et inhabilitatis. Etiam contra Provinciales negligentes hujus decreti exsecutio urgenda est. (Cens. et Præc.)

496 3° Quoad gratiæ efficacis naturam, eam sententiam a NN. doceri mandavit P. Claudius (14 dec. 1613, apud Schneemann, *Hist. controversiæ de auxiliis*, c. XVI), quæ discrimen inter gratiam efficacem et mere sufficientem non unice in actu secundo a cooperatione liberi arbitrii repetit etiam cooperantem gratiam habentis, sed etiam in actu primo ex intentione Dei, qui, ex industria, ea auxilia selegit quæ ope mediæ scientiæ efficacia fore cognoscit, aliis usurus si hæc inefficacia prævidisset ; ita ut, in ratione beneficii, plus aliquid in gratia efficaci quam in sufficienti, etiam in actu primo, contineatur.

Attamen P. Mutius Assistentesque et Secretarius (qui decreto illi præsentes interfuerant et mentem P. Claudii perspectam habebant), itemque Patres deputati ad id a C. G., VII, « censuerunt non intendisse P. Claudium hoc suo decreto decernere Deum sua voluntate prædeterminasse vel prædefinivisse aliquod nostrum opus independenter a cooperatione libera voluntatis, nec etiam quod in gratia efficaci sit aliqua entitas realis aut aliquis modus physicus in actu primo qui non sit in gratia sufficienti, sed hoc tantum quod fuerit speciale beneficium Dei dedisse uni, v. g. Petro, ex proposito boni in eo faciendi, gratiam eo tempore et loco, quo per præscientiam conditionalem præscivit illum ea gratia bene usurum : quod beneficium non contulit alteri, v. g. Joanni, cui dedit gratiam eo tempore et loco quo præscivit sua culpa eum non usurum. » Ex P. Possino, apud Schneemann, p. 304.) [1]

Nostram porro de gratia et de scientia media doctrinam inter obsoletas quæstiones minime relegandam esse judicavit C. G., XXI (d. 13) [2], licet commendaverit ut acrimonia in disputando vitetur.

[1] Decretum P. Claudii innovavit P. Piccolomini in Ord. pro Stud. Super. (XIV, 25). Quis vero decreti innovati sit sensus constat ex declaratione authentica P. Mutii, de qua testem idoneum habemus Possinum. Rursus P. Nickel ad Prov. Aquit., 8 maii 1656 : « Decretum P. Claudii de efficacia gratiæ (14 dec. 1613) non est contrario usu abrogatum, et contraria sententia nullatenus permittitur in Collegio Romano » (*a*).

Anno 1615 exstat responsum ita conceptum : « In explicatione gratiæ efficacis postulatum ut liceret sequi sententiam P. Lessii et P. Deckerii. — Responsum : standum esse decreto P. Claudii super eo » (*a.* sine mense, ad prov. Gallobelg). Si illud responsum, ut videtur, datum fuit a P. Mutio, fere eodem tempore prolatum est ac ejusdem Patris declaratio : nam Congregatio VII in qua electus fuit P. Vitelleschi, habita est a 5 nov. 1615 ad 26 januar. 1616. Et ex illa declaratione optime intelligitur responsum. Aliud est enim in actu primo Deum cognoscere jam gratiam fore efficacem, et exinde conferendo illam libenter et amanter Petro exhibere illi beneficium formale peculiare; aliud ita gratiam conferri ut, si Deus eam novisset non efficacem, alteram selegisset. Primum quod nulli theologo negare licet et quod P. Claudius principaliter intendebat, retinuit P. Mutius; secundum quod congruismum sapiebat omisit. Cum vero intentionem illam beneficam Lessius, et, ut opinor, P. Deckers, saltem non satis exprimebant, hinc postulatum Provinciæ Gallobelgicæ non negavit P. Mutius; sed remisit ad decretum P. Aquaviva, ut ex eo, *attenta declaratione eodem tempore facta,* sciri posset qua ratione permitteretur, qua ratione prohiberetur doctrina Leonardi nostri.

[2] Quæsito utrum liceat in Societate tradere doctrinam cujus tendentia et consectaria ducerent ad thomismum et ad placita augustiniana de gratia, respondit (27 mart. 1836) P. Roothaan P. Boulanger, Rectori dom. Vals. : « Dans la Compagnie, une doctrine, dont la tendance ou les conséquences conduisent au thomisme et aux opinions des augustiniens sur la grâce, serait fort divergente et souvent contraire à la doctrine reçue dans la Compagnie et soutenue comme telle. Par conséquent, une telle doctrine dans la Compagnie n'est pas un bon exemple, mais est fort propre à diviser les esprits et à blesser la charité; et, dans nos classes, on ne pourrait pas permettre un tel enseignement » (*k*).

Et eidem, de scientia media : « La Compagnie n'oblige personne à adopter tel ou tel système, mais dans ceux qui enseignent elle demande l'uniformité autant que possible. La *scientia media* a été soutenue dans les beaux temps de la Compagnie (et lorsque les grands théologiens étaient autrement grands que de nos jours), comme doctrine de la Compagnie : ceci dit beaucoup. Et puis la matière de la grâce est de la plus grande délicatesse, comme vous savez : toute nouveauté doit faire peur » (*k.* 4 aug. 1835). — Cf. etiam in elencho P. Piccolomini propos. prohib. ex theologicis 5[am].

4° Quoad probabilitatem. Etsi probabilismus in Societate communius tradatur, licet tamen probabiliorismum docere. (C. G., XIII, 18.) 497

5° Quoad levitatem materiæ in re venerea. Prohibetur in virtute Sanctæ Obedientiæ sub pœna excommunicationis, ne quis hanc opinionem quæ tenet delectationem deliberate quæsitam aut

admissam excusari a mortali, ut probabilem sed neque ut tolerabilem tradat aut consilium det; et si quis in hoc alium deliquisse noverit, præcipitur in virtute Sanctæ Obedientiæ ut eum manifestet. (C. G., IX, 24.) Cf. supra n. 360, ubi de censuris.

498 6° Quoad laxitatem opinionum generatim, Societas ab ea ita abhorret ut C. G., XI (d. 22), eos a munere docendi amoveri jusserit qui ei faverent. Nec putent Nostri id omne quod probabile existimatur vulgari posse [1]. Severi sint Censores librorum. Cauti sint Nostri in respondendo, nec scripto id absque licentia faciant. (C. G., XII, 28. — XIV, 5. — XXI, 14.)

[1] Ne putent Nostri sibi licitum esse sequi quamlibet opinionem eo quod reperiatur apud aliquem scriptorem Societatis; fieri enim potest ut per incuriam irrepserit, vel postmodum prohibita fuerit (*a.* 1596).

Nec sufficit quævis alicujus opinionis probabilitas ut in scholis nostris tradi aut in disputationibus defendi possit. (R. P. Beckx, Ordinat. 1858).

Quare, ut monuit R. P. Franc. Piccolomini cuiquam patrocinari non debet si quæ forte ex illis propositionibus reperiuntur apud aliquos auctores, vel in libris jam editis a Nostris, etiam cum aliqua approbatione; nam optandum foret ut diligentiores fuissent et severiores plerique Revisores.

Approbatio Superiorum, quæ scriptoribus nostris conceditur, non per se sufficiens est ut sententia aliqua evadat probabilis (pluries responsum), at etiam prohibitio alicujus propositionis non est dogmatica, sed œconomica, scilicet ratione aut majoris securitatis aut majoris, attentis circumstantiis, prudentiæ. (Cf. Ord. P. Piccolomini, n. 15. — Ord. P. Beckx, n. 15.)

P. Anderledy, litteris ad Prov. Germ. 8 apr. 1888 prohibuit de CC. Assistentium ne *interim* sententiam qua negatur integrum *genus humanum* præter Noe familiam diluvio deletum esse, Nostri sive privatim, sive publice, sive directe, sive indirecte doceant, defendant aut promoveant; indirecte, i. e. proponendo doctrinam oppositam velut dubiam aut magnis difficultatibus obnoxiam. (Cf. apud P. Oswald, n. 342.)

N. B. — Quoad Prædestinationem, sunt in Societate qui utramque sententiam, tum ante, tum post prævisa merita, tueantur. Et cf. n. 496.

Quoad restrictiones mentales, nihil docet Societas nisi quod docent gravissimi auctores, et inter alios, S. Liguorius, ubi de secundo præcepto.

499 Demum, ordinatione pro philosophiæ studio ex deputatione Congregationis generalis XXII a R. Patre Petro Beckx confecta, sequentes propositiones docere prohibemur, ita ut censeantur abrogati quoad philosophicas quæstiones elenchi præcedenter

facti. De theologicis vero nil adhuc fuit subrogatum catalogo P. Piccolomini, de quo supra, n. I :

1° Mens humana de omnibus dubitare potest ac debet præterquam quod cogitet adeoque existat.

2° Reliqua non prius nobis certa et explorata esse possunt, quam clare innotuerit Deum existere, summeque bonum esse, non fallacem qui mentem nostram inducere in errorem velit.

3° Nonnisi per Fidem divinam certo cognoscere quisquam potest quod aliqua existant corpora, ne suum quidem.

4° Id omne et solum id quod clare et distincte percipimus, certum nobis est.

5° Certitudo naturalis fundatur in actu fidei cæcæ, quæ facultatum cognoscendi veracitati adhibetur.

6° Supremum et unicum veritatis criterium est ratio generalis seu generis humani auctoritas.

7° Sola fides parit certitudinem.

8° Nulla veritas ordinis metaphysici aut moralis independenter a revelatione divina cognosci potest, saltem cognitione reflexa.

9° Ratio humana propriis viribus non potest ullas veritates invenire, sed tantum acceptas confirmare aut illustrare.

10° Methodus philosophica, quoties ratione privata utitur, non auctoritate sensuque communi, eodem numero habenda est, ac methodus theologica protestantium.

11° Intellectus finitus, hoc ipso quod finitus est, semper et in omnibus errori obnoxius est.

12° Vocabula ad cogitandum, vel saltem ad reflectendum ita sunt necessaria, ut sine illis mens nullos conceptus aut judicia formare possit.

13° Intellectus primo et directe non res ipsas, sed ideas a rebus acceptas cognoscit.

14° Philosophiæ munus est demonstrare ea quæ sunt non potuisse non esse.

15° Mens humana, si se ipsam noverit, causas rerum omnium quas experientia vel fide cognovit, investigare potest.

16° Is philosophiæ ac scientiæ profectus admitti potest, ut quæcumque Fides christiana credenda proponit, notionibus propriis, non solum analogicis, apprehendantur, et ex principiis rationalibus demonstrari possint.

17° Nominatim mysterium SS. Trinitatis ratio probe exculta, etsi non per se ipsa invenire, tamen postquam semel revelatione cognitum est, evidenter demonstrare potest.

18° Philosophia ita sui juris est, ut a nulla altiori scientia dirigi aut judicari debeat.

19° Relationes omnes sunt mere ideales.

20° Existentia rei est ipsa ejus operatio.

21° Extenso relatio ad spatium ita est essentialis ut neque omnipotentia divina tolli possit.

22° Philosophice demonstratur accidentia corporum etiam per omnipotentiam divinam a substantia separata conservari non posse.

23° Substantia generatim, atque substantia corporis speciatim, nihil est aliud quam vis quædam simplex; reliqua omnia, quæ præter eam vim corpori insunt, accidentia sunt. Hæc doctrina usui esse potest in philosophia, quando explicanda est origo animæ humanæ, atque etiam in theologia, cum de SS. Eucharistia agitur.

24° Penetratio corporum proprie dicta involvit contradictionem.

25° Potest dari creatura quæ natura sua habeat virtutem principalem creandi.

26° Creatio non est productio rei ex nihilo, sed productio rei quæ fit a solo Deo sine consortio alterius causæ efficientis.

27° Idea creationis est primitiva; et ad eam ascendere nequimus per cognitionem rerum creatarum; nec creatio ex causalitatis principio, sed principium hoc ex creatione deduci debet.

28° Finis mundi, non est gloria Creatoris sed felicitas creaturæ.

29° Conservatio rerum creatarum non est actio Dei positiva, sed hoc ipso res conservantur, quod non destruuntur.

30° Nulla substantia neque spiritualis neque corporea potest vel ab ipso Deo ad nihilum redigi.

31° Deus non immediate, h. e. actione a conservatione distincta, ad omnes effectus causarum secundarum concurrit.

32° Deus solus per causas creatas agit; nulli autem creaturæ competere potest potentia seu vis propria et intrinseca agendi ad extra.

33° Corpus moveri nihil est aliud nisi illud a Deo conservari aliis atque aliis in locis successive.

34° Solus Deus est, qui movere possit corpora : angeli vero, anima rationalis ipsaque corpora non sunt causæ motus efficientes, sed occasionales tantum.

35° Bruta sunt mera automata, omni sensu et cognitione carentia.

36° Bruta circa objecta particularia discurrunt vero et proprie dicto discursu.

37° Facultates intellectuales ex sensibilitate transformata oriuntur.

38° Mens apprehendendo seu percipiendo non agit, sed est facultas mere passiva.

39° Possibilis est creatura quæ habeat actum intellectus identificatum cum substantia.

40° Essentia animæ intelligentia tantum et voluntate constituitur, facultates autem et habitus sive naturales sive supernaturales aliud non sunt quam actus permanentes.

41° Judicium et illatio sunt actiones non intellectus sed voluntatis.

42° Potest aliquid substantiale, natura ipsa incorruptibile atque independens, a materia educi.

43° Possibilis est anima spiritualis (i. e. a materia independens) quæ non sit intellectiva.

44° Dantur in homine simul et permanenter plures animæ realiter inter se distinctæ.

45° Unio naturalis animæ et corporis dici potest et est unio hypostatica.

46° Animæ rationalis unio cum corpore in eo solum consistit

quod Deus voluerit ad certas mutationes corporis certas in anima perceptiones aut motus excitari, et vice versa, pro certis animæ cogitationibus seu voluntatibus certos in corpore motus sequi.

47° Anima humana non immediate a Deo creatur, sed a parentibus per generationem producitur, saltem quatenus est sensitiva.

48° Corpus et anima dynamice tantum, non vero entitative uniuntur; h. e. ita conjuncta sunt ut in se invicem agant, non vero ut constituant unam naturam seu essentiam.

49° Conscientia sui est ratio formalis personæ, seu per conscientiam sui natura rationalis constituitur persona.

50° Anima corpori unita, virtute naturali in eum statum transferri potest, in quo a corpore independens, ad instar animæ separatæ seu puri spiritus cognoscat et intelligat.

51° Mens nostra, eo quod finita sit, nihil certo de infinito potest scire; proindeque a nobis disputari de illo nunquam debet.

52° Existentia Dei est prima veritas quæ certo cognoscitur.

53° Ex existentia entis contingentis male deducitur existentia entis necessarii, h. e. Dei.

54° Hujusmodi demonstratio Dei ex effectibus saltem non est perfecta sive apodictica.

55° Ex consideratione rerum creatarum Dei cognitio in nobis oriri non potest, sed tantum perfici.

56° Principium sentiens fit intelligens idea entis ei communicata, quæ quidem idea est ipsa forma intellectus.

57° Objectum reale ideæ entis transcendentalis et generalissimi est Deus.

58° Conceptus finiti et contingentis, utpote negationes, absque prævio et affirmativo conceptu entis infiniti et necessarii efformari nequit.

59° Non possumus concipere essentias rerum nisi ex prævio conceptu Dei, etsi Deus hoc conceptu non cognoscatur reflexe et distincte sed tantum directe et velut in confuso, scilicet ut Ens simpliciter.

60° Idea Dei ut Entis simpliciter etsi non actualis sed habitualis, nec reflexa sed directa, menti est essentialis.

61° Lumen intellectuale objectivum est Ens infinitum menti præsens, et ei prima principia objiciens; subjectivum est ipse intellectus ea notitia informatus.

62° Prima intelligibilia sunt archetypa seu exemplaria divini intellectus, a nobis in se ipsis, per intuitivam scilicet ideam entis, obscure saltem et implicite cognita, per quæ deinde, accedente sensatione, rerum naturas perspicue et explicite cognoscimus.

63° Actu primario (*idea Entis universalissimi*) intellectus eminenter et implicite, etsi directe et habitualiter, cognoscit omne omnino ens, sub ratione omnis cognoscibilitatis; et ideo ille actus subjectivus omnes alios actus subjectivos eminenter continet; ut etiam actus objectivus (*Deus tanquam Ens universale*) omnia alia entia eminenter et implicite continet.

64° Cum intelligimus necessitatem metaphysicam et intrinsecam possibilitatem rerum, objectum reale hujus conceptus est ipse Deus, quamvis in confuso tantum necdum explicite cognitus ut Deus.

65° Deus ut agens ad extra immediate h. e. in ipsa operatione sua a nobis naturali facultate cognoscitur.

66° Doctrina Scholasticorum, qua ideas per abstractionem a sensibilibus oriri statuunt, nullatenus aut certe parum differt a systemate recentiorum, qui sensistæ dicuntur.

67° Deus in simplicissima sua entitate continet realiter, licet absque forma, entia omnia distincta et diversa; adeoque essentia omnium quæcumque sunt, non est realiter diversa ab ipsa Dei essentia, et inde est, quod Ens simpliciter et ens finitum non faciunt numerum.

68° Esse divinum et esse creaturarum genere conveniunt, et sola specie differunt.

69° Creare est actuare formaliter essentiam rei in Deo realiter contentam; seu actio creandi est actus Dei, quo Deus, actuando seipsum ut Ens eminens hominis v. g., hominem formalem a

seipso formaliter distinguit, negat et excludit ac extra se actuat et ponit. Hoc ens formale substantiæ creatæ remanet post creationem comprehensum in Ente eminente seu in Deo, tanquam pars in toto infinito, simplicissimo, quod suas quasi partes absque ulla sui divisione et diminutione extra se ponit.

70° Deus se actuando ut Ens eminens hominis liberi, constituit ipsius essentiam et possibilitatem, omnesque ipsius proprietates et facultates, actus et modos.

71° In Deo nec est necessitas nec libertas proprie dicta.

72° Rejicienda est distinctio a theologis invecta, qua Dei actus ad intra necessarios et ad extra liberos esse statuitur.

73° Tam necessarius et tam liber est actus creationis, quam necessarius et liber est actus quo Deus amat se ipsum.

74° Voluntas humana omni actu suo appetit bonum simpliciter, quod est bonum summum seu Deus.

75° Finis præsentis vitæ non est sola dispositio ad beatitudinem æternam, sed etiam temporalis ac externa felicitas, ita ut hanc præter virtutem prosequi teneamur.

76° Cultus Dei externus non est per se ipse debitus, sed solum propter fovendum internum adhibendus est.

77° Homo natura autonomus est, adeoque nulli superiori subditur, quem libere non elegerit. Auctoritas proinde nihil aliud est, quam summa voluntatum, judiciorum et virium, quibus homines in societate se abdicant, ut inde fiat possibilis humana societas.

78° Jus innatum externæ libertatis ad actus omnes aliorum hominum juribus non contrarios extenditur ; quare actionem, quamvis intrinsece malam, qua tamen aliena jura non violantur, nunquam legitime impedimus.

79° Jus proprietatis non continetur lege naturali, sed arbitraria hominum conventione introductum est.

80° Proprietas ab una lege civili pendet.

81° Testamenta nonnisi ex dispositione juris positivi vim obligandi sortiuntur.

Tandem enixe commendatur ut avertatur a Societate pestis 500
liberalismi quem dicunt *catholicum*. (C. G., XXIII, 12.)[1]

[1] At in modo liberalismum impugnandi, cum sit res implexa, caute procedendum. Concionatoribus commendabat P. Anderledy, ubi præsertim inter catholicos fervent dissidia, ut potius indirecta fieret impugnatio (qua nempe exponitur vera doctrina), quam directa qua refellitur error. Ubi vero res directe impugnanda videretur, id viri apti, et nonnisi consulto et consentiente Superiore, oratione præmissa, re meditate digesta, scripta et cum bono correctore communicata, mentis et orationis serenitate peragant. Inculcabat P. N. regulas 2, 3, 4, 17, concionatorum et reg. 10 orthodoxiæ in libello Exercitiorum, plenamque hac in re Superiori et Provinciali obedientiam. Quæ sese gerendi norma Provinciis Hispaniæ proposita aliis etiam in locis directionem sapientem præbebit si pro majori minorive conditionum paritate, discrete applicetur, juxta ea quæ de indole Responsorum Generalium in prænotionibus hujusce Compendii tradidimus.

CAPUT SEXTUM

DE COLLEGIORUM DISCIPLINA

501 I. — **Quid includat.** — Sub eo titulo comprehendimus ea omnia constituta quæ ad alumnorum pietatem, quietem, diligentiam et valetudinem tuendam tendunt.

II. — **Circa pietatem.** — Ad pietatem juvandam[1] oportet : 1° ut Magistri orent pro suis discipulis ; omnesque occasiones arripiant ad virtutem eos excitandi exemplisque ædificandi ; ut ante scholas orationes breves præmittant (Cst., IV, VIII, A. — IV, XVI, 4, C) ; 2° ut alumni singulis saltem mensibus rite confiteantur[2] ; et ad hoc classium inferiorum discipuli nomen in schedula descriptum confessario tradant. Id Præfectus scholarum inferiorum curare debet, simulque efficere ut confessarii tempestive in templo adsint. (R. Præf., inf. 46.) Cavendum tamen ne occasione confessionis, litterariæ exercitationes interrumpantur. Igitur singuli aut bini mittendi sunt, quibus redeuntibus alii succedant. (R. Prof. inf. 42.) Provincialis plures et interdum extraordinarios confessarios assignabit. (St. R. Prov., 31.)

Missam quotidie et concionem diebus festis scholares audiant. Classium inferiorum discipuli eo simul ducendi sunt[3] ; ceteri vero excitandi. (Cst., IV, VII, 2. — IV, XVI, 1.)

Doctrina Christiana singulis hebdomadis prælegatur, quam juniores recitent, ceteri sciant. Adultioribus plenius explicetur, ut contra tentationes armentur. (Cst., IV, VII, 2. — IV, XVI, 2.) Singulis vero mensibus pro omnibus ab uno e gravioribus Patri-

bus, si Rector id utile judicet, et singulis hebdomadis pro singulis scholis inferioribus, paulo rarius pro superioribus, a præceptore fiant exhortationes. (St. Præf., sup. 3, inf. 5. — Cst., IV, VI, 13. — XVI, 3, B.) Ad hæc exercitia, qui facile compelli possunt, compellantur; ceteri amanter inducantur : non præstantes tamen ne dimittantur a scholis, nisi sint dissoluti aut aliis offendiculo. (Cst., IV, 16, B.) Omnes vero ad orationem, conscientiæ examen, ad sacramentorum frequentationem, ad cordis collectionem, ad pravas consuetudines vitandas, ad vitia fugienda et prosequendas virtutes excitentur. (Cst., IV, IV, 6.) Quæ bonis moribus nocere possent, ut libri lascivi, sedulo vitentur. (Cst., IV, V, E.) Instituatur Congregatio B. M. V. et promoveatur devotio erga Sanctum Aloysium, quem Benedictus XIII juventuti scholarum patronum dedit. (St. Rect., 22. — Epit., p. 5, n. 153.) Nemo tamen ad Societatem videatur allici; et Magistri rem vocationis ad confessarium remittant. (Reg. Præf., inf. 6.)

[1] In primis cavendum est ne aliquis ex aliis scholis absque testimonio ad- 502
mittatur (*a.* 1642).

[2] Non tamen a scholis arcendi essent qui non confiterentur, cum non arceantur ipsi hæretici (*a.* 1579); sed alia ratione ad confessionem essent inducendi (*a.* 1610). Videndum quid ipsis magis profecturum sit, rationem tamen habendo communis ædificationis (*a.* 1597).

[3] Filii hæreticorum, si qui sint in nostris Collegiis, non possent cogi ad audiendam missam; imo vix videtur licere eos admittere, quia sunt excommunicati (*a.* 1603, 1598). Cf. tamen pro locis Missionum Comp. Priv. n. 31, 311. Ii sunt suaviter ad veritatis cognitionem inducendi (1617). « Exhortationes ad convictores satis est si fiant semel in mense, vel decimo quinto die; nec niti debemus nimium ut eos religiosos efficiamus. » (*a.* S. Franciscus Borgia; Prov. Aquit. 1567.) At quantum sit sollicita Societas ut solida pietate pro ipsorum conditione imbuantur discipuli nostri cf. Rat. Stud. in reg. cujusque fere professoris. Quare scribebat P. Anderledy, 24 maii 1885, uni e Prov. Galliæ : « Dicitur discipulos in Collegiis non satis solida veraque pietate imbui sed ea tantum quæ in superficie sit et quasi in sensibus, nec satis accurate tradi doctrinam christianam. »

De cultu S. J. Berchmans, cf. Leo. XIII, *Angelorum et Sanctorum*, necnon rescriptum Pii IX, 23 nov. 1865 (Instit., t. III. App. p. 28), et Leonis XIII, 17 maii 1890 (Ibid., p. 67).

503 III. — **Circa Collegii ordinem.** — Ad ordinem servandum exigatur ab unoquoque scholari ut promittat, citra juramentum, obedientiam et observantiam regularum, quæ publice affigentur et singulis mensibus in scholis inferioribus prælegentur. Amanter earum observantia urgenda est; non tamen propter earum violationem quis expellendus erit, nisi dissolutus aut aliis offendiculo esset. (Cst., IV, XVI, A. — IV, XVII, 3, D.)

Ii quibus exhortationes non sufficiant corrigantur [1]. Incorrigibiles expellantur, et si necesse sit ante dimissionem puniantur. Sed omnia quoad fieri possit, in spiritu lenitatis fiant, pace et charitate cum omnibus servata. (Cst., IV, XI, B. — IV, XVI, D.) Nunquam vero officium judicandi criminaliter admittatur, etsi exsequi possimus mandata Rectoris Universitatis ad punitionem scholarium.

[1] Toleratum est aliquando ut Nostri alumnos corrigerent, ubi correctores inveniri nequibant; sed id quam maxime decenter (*a.* 1584). S^tus^ Ignatius tamen dixerat potius expellendos esse alumnos quam eos a NN. corrigi permittatur (*a.* 1553). (Cf. *Hist. Soc.*, p. 1, l. XII, 24). — Tolerari autem minime potest ut protervi scholares alapis aut fuste a NN. cædantur (*a.* 1638).

Ex his apparet rem olim communem a Societate parce fuisse acceptam. A fortiori igitur temporum nostrorum exigentiis attendendum est. Qua de re Provincialis Tolosanus Rectoribus scribebat (24 januar. 1869) : « D'après le droit actuel, l'emploi des corrections corporelles est interdit et aboli dans toutes nos maisons de France, et si on peut en signaler quelques faits isolés, ce sont des exceptions... Quoiqu'il en soit, nous défendons absolument toute espèce de sévices contre les élèves de nos collèges, *malgré même une demande expresse des parents.* » (Ex lib. Vals., Encycl. Prov.)

Nec probatur consuetudo mulctis pecuniariis discipulos puniendi (*a.* 1648). Si vero nulla alia ratio sit grandiores corrigendi, mulctæ ad nostrum usum minime convertantur (*a.* 1638); imo ab externo colligantur (*a.* 1638). Clericos autem et religiosos qui nostras scholas frequentant a nobis castigari non convenit. Potius monendi sunt eorum Superiores (*a.* 1587).

Nullam in collegiis curam mulieribus dari permittitur (*a.* 1611); nec in iis admitti nobiles cum pœdagogis (*a.* 1584). Matres convictorum in eorum cubicula admittendæ non fuerunt (*b.* †, 1568). Cf. ubi de clausura, n. 138.

504 IV. — **Circa studium.** — Ad diligentiam acuendam plurimum valebunt declamationes, academicæ exercitationes, carminum aut

scriptionum publicæ affixiones, disputationes, concertationes, prœmiorum distributiones [1]. (R. Præf. et Prof. Schol. inf.)

V. — **Circa valetudinem.** — Ad valetudinem tuendam sit, singulis hebdomadis, unus saltem dies a prandio quieti destinatus. Sint suis temporibus vacationes, a quarum ordine semel statuto non recedatur [2]. (Cst., IV, XIII, F. — St. Prov. 35, 36.)

[1] Non sola scriptio in præmiorum distributione est perpendenda, sed totius anni diligentia (*a.* 1608).

Oratio in principio anni cum solemnitate recitanda est, invitando auditores (*a.* 1599).

[2] Rector vacationes extraordinarias nonnisi rarissime concedat, et moneat Provincialem (*a.* 1646, 1648).

Magis probantur ludi qui corpus magis exercent (ut est ludus pilæ palmariæ, spherularum ad annulum jactandarum et ad pyramides ligneas), quam ii qui solam mentem occupant, ut est ludus schaccorum et damarum (*b.* $\frac{1}{1}$, 1568).

APPENDIX

505 I. — **De dramatibus in collegiis haberi solitis.** — Primum soli dialogi simpliciores, semel in anno, permissi fuerant; comœdiæ vero rarius (*b.* † 1571). Usus deinceps invaluit exhibendi dramata in fine anni, sed lingua latina (*a.* 1600, 1606). Postea bis in anno permittuntur, curante, uno semestri, magistro rhetoricæ, altero, magistro humaniorum (*b.* † 1633). His dramatibus inseri vetitum fuit saltus et ignes artificiales (*a.* 1650). Permittitur tamen pyrrhica saltatio, modo sit modesta (*b.* † 1633). Personæ muliebres in Germania toleratæ sunt, dummodo id raro fiat, eæque graves sint et modestæ (*a.* 1600; 1603), etiam cum muliebri habitu (*a.* 1601). Permittuntur etiam intermedia vernacula lingua, dummodo nihil habeant scurrilitatis, sed honesta simul et jucunda sint (*a.* 1585). Item prologi et epilogi, modo breves sint, vernacula lingua componi sinuntur (*b.* † 1600).

Si domi non sit locus pro dramate, non placet ut extra domum fiat (*a.* 1597). « In ecclesia non videntur admittendæ repræsentationes, maxime ubi est SS. Sacramentum » (*a.* 1665). « Dialogi et repræsentationes scenicæ in ecclesiis nostris prohibentur Reg. 58 Prov.; quia plus curiositati quam pietati plerumque deserviunt » (*a.* 1644).

Permitti potest ut Nostri componant actiunculas pias quæ sub doctrinam christianam recitentur a puellis, dummodo exercendis illis se non immisceant (*a.* 1618). Et tolli jussus est abusus admittendi mulieres ad actiones dramaticas quæ domi nostræ fiant spectandas (*b.* † 1690).

Post restitutam vero Societatem præscriptum est ut scenica 506
spectacula, utpote multiplici ex capite noxia, in nostra collegia non introducantur, et ubi introducta sunt, quantum possibile erit, supprimantur (14 et 31 maii 1852). Venetæ Provinciæ postea (*c.* 1868) responsum est comœdias seu tragœdias vulgari sermone, si locorum et temporum adjuncta id requirunt, in nostris collegiis tolerari posse his conditionibus : 1° ut bis tantum in anno habeantur, diebus scilicet antecineralibus et sub anni finem, aut solemniori aliqua occasione ; 2° ut una vel altera tragœdia, vulgari aut potius latino sermone, sit de re sacra aut saltem quæ pietatem foveat ; 3° ut comœdiæ ita sint ad exhilarandos animos aptæ ut honestæ omnino sint ac decoræ. Non est probatum ut theatrum alicujus Collegii ad habendam expositionem agriculturæ commodaretur (7 jun. 1859).

Et ad Prov. Lugd., maio 1885, scribebat P. Anderledy : « De actionibus scenicis postulatur a me, ut statuam, quid sit omnibus Galliæ Provinciis observandum. Equidem rem esse definitam existimo regula 13 Rect. in Rat. Stud. quæ tragœdias et comœdias nonnisi rarissimas latinasque esse vult, quarum argumentum sit sacrum et pium, personamque muliebrem et habitum prohibet. Et hæc quidem statuit pro juvenibus externis. Non autem video actiones scenicas juvenibus nostris in Instituto permitti. » Cui responso subjiciebat Provincialis Lugdunensis : « Quamvis ob quamdam temporis necessitatem concessum sit, ut semel aut ad summum bis in anno tragœdiæ aut comœdiæ vernaculo sermone habeantur, memores tamen sint (Rectores) se omnino parcos esse debere in hujusmodi recreationibus permittendis, ob temporis pro magistris et alumnis jacturam, necnon etiam ob mentis evagationes quæ inde enascuntur. »

II. — **Varia circa magistros.** — Non est imponendum Magi- 507
stris ut singulis hebdomadibus suas regulas et Rationem studiorum legant, sed satis erit ut eas familiares habeant (*a.* 1600). Non sunt adjuvandi in suis cubiculis purgandis, nisi necessitatis causa (*a.*

1590). Non tenentur concionem audire Magistri superiorum classium (*a.* 1690). Præfectus discipulum punire potest in schola, invito Magistro, cum sit ipsi superior (*a.* 1619). Magistri cum discipulis extra scholam non colloquantur in locis remotis, sed in atrio vel in alio loco patenti (*a.* 1591). Non permittantur Scholastici externi ingredi cubicula Nostrorum, neque ad ea mittantur aliquid accepturi (*a.* 1605), nequidem confessionis gratia (*a.* 1563, P. Laynez).

Morum Præfecti in convictibus quoad studia a studiorum Præfecto, quoad spiritualia a Præfecto spiritus, quoad disciplinam convictorum a primario Præfecto convictus, quoad omnia vero a Rectore dependent (*c.* Ad post. Prov. Tol., 1856).

His assignetur labor aliquis, in quo tempus ab officio liberum impendant ejusque ratio exigatur a studiorum Præfecto aut ab alio quem Provincialis designaverit. Hujus rei gravissimæ exsecutio a Superioribus urgeatur (*c.* Prov. Lugd., 1862).

Morum Præfectos impediri quominus sua spiritualia exercitia peragant tolerare nec expedit, nec licet. Videat igitur Provincialis cum Rectoribus Collegiorum et suis Consultoribus quodnam efficax remedium afferri posset (*c.* Prov. Lugd., 1862).

508 III. — **Varia circa discipulos.** — Nulla contributio ab ipsis exigenda est, sive pro scamnis mutandis (*a.* 1584), sive pro scholis calefaciendis (*a.* 1584); aut si mos regionis id ferat, vitetur omnis quæstus species (*a.* 1590, 1591). Scholæ non a studiosis sed a famulis verrantur (*a.* 1599). Famulorum vero stipendium non alumni sed Collegium solvat (*a.* 1597); nec nisi caute permittendum est ut etiam sponte sua scholas propriis sumptibus discipuli ornent (*a.* 1597). Qui abeunt testimonium a Rectore vel a Præfecto studiorum superiorum accipere possunt, non vero a Præfecto studiorum inferiorum, nisi ex commissione (*a.* 1597).

CAPUT SEPTIMUM

DE TEMPORALI COLLEGIORUM ADMINISTRATIONE

ARTICULUS PRIMUS

De mediis sumptuum incrementum impediendi.

I. — **Quoad sociorum numerum.** — Ut sumptus ultra pro- 509
ventus non excrescant, curandum erit imprimis ut non admittantur in Provinciis socii majori numero quam Provinciæ necessarium est. (C. G., VII, 82. — VIII, 60.) Nec erit necesse ita novos admittere, si Magistri perpetui scholis inferioribus addicantur sub finem studiorum aut post tertiam Probationem. (Ins. Temp. Prov., 2.) In Collegiis pauciores sint quam fundationes ferre possunt, et hi quidem strenui operarii, maxime Coadjutores temporales, nec leviter occupati. Quamvis potius adhibendi sunt famuli, quam excedendus numerus Coadjutorum præscriptus (C. G., VIII, 60), tamen ne plures sint necessario.[1] (C. G., VII, 82.)

[1] Abstinendum tamen est a famulis ea conditione admittendis ut per totam suam vitam a Societate alantur, ne novus gradus in Societate constituatur (P. Claudius). Si cum aliquibus Provincialis dispenset, non gestent peculiarem vestem, nec vocentur Donati (*a.* 1630). Nulla ministeria illis concedantur quæ requirant ingressum in interius Collegium (P. Oliverius). Famuli concolores (à livrée) comitantes currum Provincialis non sunt permittendi (*a.* 1647).

510 II. — **Quoad itinera.** — Non mutentur socii sine necessitate nec in suis itineribus superflua habeant. (C. G., VII, 82. — Ins. Temp. Prov., 8.) Paucæ peregrinationes sunt concedendæ; Nostri pedestres itinera conficiant. (C. G., III, 37.) Taxam viatici Provincialis approbet quæ a Collegio in cujus utilitatem cedit profectio solvatur (C. G., II, 82); et exigat ut quod quisque habet residui Collegio restituatur[1]. (C. G., XII, 40.)

[1] Si quis ad Seminaria mittitur, expensas solvit Seminarium, nisi nimis gravatum sit; tunc enim solvit Provincia *a.* 1584, 1593). Facile permittitur ut Collegia solvant (*a.* 1635). Si quis ad utilitatem Provinciæ, absque loci determinatione mittitur, expensas solvit Provincia; si ad domum determinatam mittitur, hæc domus solvit *a.* 1584, 1598). Si a Collegio Romano Scholasticus alicujus Provinciæ æger remittitur, solvit Collegium Romanum (1570); secus ipsa Provincia. Viaticum Regentium Convictuum solvit Collegium ad quod pertinent convictus.

Viaticum socii qui in aliena Provincia per annum laboravit solvitur a domo in qua degebat. Si vero post paucos menses revocetur, durius videtur hos sumptus exigere (*f.* 23 dec. 1835).

511 III. — **Quoad cætera.** — Caveat Rector ne quid consuetudinario Provinciæ addat. (Ins. Temp. Rect., 4.) Idem curet ne quid a quoquam vendatur, Ministro aut Procuratore inconsulto, et ut pecunia ad Procuratorem referatur. (I. T. R., 7.) Raro nec nisi urgenti de causa deposita admittat. (I. T. R., 5. — C. G., XVI, 32.) Nihil mutuo accipiat. Nostri ne se fidejussores quoquomodo præbeant, vel Superiorum aut externorum animos intercessionibus sollicitent, nec parentibus, amicis aut aliis ex non satis ordinato affectu pecuniam Societatis fœnerent.[1] (P. Martin, Ord. pro temp., 25.) Superior præscriptiones canonicas de donis et muneribus attendat. (Ibid., 24.) Nullum novum ædificium exstruatur absque Provincialis facultate (Ord., II, 9), qui eam non absque necessitate nec sine certa spe solvendi concedet. (R. Pov., 82. — R. Rec., 37. — I. T. P., 10.) Cf. hac de re, P. VII, n. 251. — Attamen ædes et cætera omnia tempestive reficiantur. (R. Proc. Coll. 11.)[2] Procurator invigilet ne sumptus augeantur. (I. T. Proc., 4.)[3] Conferet ad sumptus minuendos ut opportune res coemantur. (I. T.

Proc., 3. — R. Proc., 6.) (Cf. supra, P. II, c. 2. — Et P. IV, n. 251. Nostris tamen corpori necessaria subministrentur, ita ut sit simul in quo probetur virtus et in quo sustentetur natura. (Ex., IV, 26. — Cst., III, II, 3.) Quidquid mundum sapere videtur, forti manu resecandum est. (P. Martin, Ordin. pro temp., 28.)

[1] Rector Collegii mediocriter divitis non potest absque Provincialis licentia 512
mutuo accipere ultra quadraginta aureos, ter in anno (1607). Quoad cætera, determinabit Provincialis (*a.* 1618). Qui absque licentia nec urgenti de causa debita contraxit ad 14000 lib. privandus fuit officio et voce activa et passiva, ad voluntatem Generalis (*a.* 1659).

« Ut practice et serio consulatur prudentiæ et paupertati, prohibetur Superioribus localibus ædificare, ornare, reficere ultra 500 francos, nisi auditis Consultoribus et approbante Provinciali. » (P. Beckx, 27 maii 1858, ad Provinciales Galliæ.)

[2] Contractus perpetuos Rector non celebret absque suorum Consultorum deliberatione et Provincialis approbatione, aut etiam Generalis, si res sit magni momenti (In. Temp. Rect., etc.); et instrumenta Romam mittantur. Nihilominus : « Ad quæsitum R^m^ V^e^ an Rector iniens contractum sine consensu Provincialis, vel etiam ipso contradicente, licite ac etiam valide contrahat, respondeo : Ordinarie loquendo contrahere valide; quia Rector omnem contrahendi habet auctoritatem per patentes a Præposito generali, non a Provinciali : facit tamen illicite, cum ex Reg. officii sui 63, teneatur consulere Provincialem nominatim in contractibus faciendis, saltem majoris momenti, tenetur quoque in iisdem ipse obedire Provinciali. » (*a.* Lithuan., 7 maii 1644.) « Contractus quos Rector ex facultate officii sui inire potest, non indigent confirmatione Provincialis. » (*a.* Flandr., 21 dec. 1620.) At recole dicta in præced. resp. et in nota præced. « Contractus non fiant nomine Procuratoris sed Rectoris » (*a.* 15 jun. 1591).

« Quando cum Nostris contractus ineuntur inter Collegia, servari convenit quæ universe servanda præscribuntur in contractibus, perinde atque cum externis (*a.* Franc. 1607). Et cf. A. R. P. Martin, Ord. pro temp., n. 18, 4, de indole proprietatis uniuscujusque seorsim collegii domusve.

Nihil ematur oppignerando bona Collegii, nisi forte ex prædio ipso quod emitur solvi certo possit census, usquedum capitale solvatur (*a.* 1626). « Non licet Superioribus absque expressa venia Generalis ullo censu etiam vitalitio, quantumvis exiguo, Collegiorum suorum bona gravare : cum sit revera gravamen et oppignoratio bonorum, quod solus Generalis cum in evidentem vergit Collegii utilitatem concedere potest » (*a.* 1618). « Non licet absque venia Generalis domum aliquam v. g. emere pecunia sumpta ad censum, quæ communiter deinde ex locatione illius domus solvi possit, cum ordinarie etiam reliqua bona præter domum illam oppignorari debeant pro

illa pecunia recipienda » (*a.* 1618). « Emi tamen potest prædium ea conditione ut venditori annuus census pretii pendatur, donec pretium numeretur, dummodo illud prædium solum, et nulla alia bona Collegii, graventur » (*a.* 1626). « Non potest Collegium pecuniam aut frumentum acceptare cum obligatione census annui erogandi in pauperes, cum nec in hoc casu liceat obligare Collegium » (*a.* 1627). « Si cum facultate Generalis accipiatur aliqua summa cum onere census ad vitam concedentis, non potest illa summa expendi in quotidianos usus, sed in emenda bona stabilia aut censum perpetuum, vel solvenda debita contracta tali emptione; quia hoc solum cedit in evidentem utilitatem Collegii » (*a.* 1618). « Non licet sine P. N. consensu Collegio accipere pecunias ad censum, imponendo illum super bonis alicujus amici externi, et obligando bona Collegii huic externo; quia est eodem modo alienatio ac si super ipsis bonis Collegii census imponeretur » (*a.* 1587). « Non est in nostra potestate (Generalis) dare licentiam accipiendi pecuniam cum onere census » (*a.* 1654). « Si collegium velit emere bona stabilia utilia, et non habet pecunias sufficientes ad pretium integrum solvendum, potest quidem pro illa portione, quam non potest solvere numerata pecunia, censum constituere sine assensu Generalis quando non fit hypotheca super bona Collegii; sed si hypothecatur, est necessarius assensus Generalis » (*a.* 1594).

513 IV. — **Quid a Provinciali præstandum.** — Dispiciat Provincialis, in Congregatione provinciali, cum Patribus antiquioribus, num aliquid irrepserit contra paupertatem. (I. T. Prov., 7.) Causas æris alieni in visitatione diligenter inquirat et negligentes Superiores puniat ac ad Generalem deferat. (C. G., VII, 82.) Libros rationum, debita activa et passiva, inventaria accurate examinet et cum anno superiore conferat. (I. T. Prov., 15, etc...)[1] De his ad Generalem referat. Modum eleemosynarum Superioribus præscribat. Provincialis non gravabit Collegia contributionibus, nisi Seminariorum necessitatibus nequeat ex iis quæ habet providere[2].

[1] Ut debita indefinite non contrahantur et augeantur, in triennalibus Congregationibus Superiores convenient et sibi mutuo solvent; qui nequeunt syngrapham in testimonium debiti tradent; idem fiet in Congregatione Procuratorum pro debitis mutuis provinciarum; et si quæ sint dubia, respectivi **Assistentes pronuntiabunt** (*b.* †, 1603).

[2] Domus Professæ egentiores sublevari aliunde possunt dummodo contribuant (*a.* 1603); **raro fuerunt exemptæ** (*a.* 1615, 1619).

ARTICULUS SECUNDUS

De mediis proventuum imminutionem impediendi.

Constituantur convenienti talento prædíti non solum Rectores, 511
sed etiam Procuratores qui formentur et eligantur juxta Instr. pro administrationi temporali, quæ quotannis bis aut semel saltem legenda est a Rectore in Consultatione et similiter in visitatione. (C. G., XIV, 12.) In specie hæc observanda.

I. — **Instrumentorum asservatio.** — Ad impediendum quominus proventus minuantur : 1° Servanda erunt in archivis duplici clave obseratis, instrumenta authentica jurium Collegii [1]. Et seorsim Procurator aliud eorum exemplar manu notarii subscriptum servet. 2° Habeat præterea librum in quo omnia bona stabilia et quasi stabilia describantur omniaque jura ad stabiles reditus, cum eorum origine, et statu. 3° Librum in quo seorsim notentur tempora colligendorum proventuum, summa contractus ad breve tempus, fructus in dies percepti. 4° Libellum perceptarum eleemosynarum. 5° Librum ingressus et egressus arcæ pecuniariæ (in ipsa arca servandum). 6° Librum accepti et expensi mensilis. 7° Codicem litium. 8° Librum in quo omnium debitorum nomina distincte descripta habeat. 9° Habeat etiam catalogum eorum qui ordinarie et extraordinarie eleemosynas faciunt. 10° Codicem agendorum.

[1] Nihil ex archivo desumendum nec a fortiori externo tradendum nisi cum necessitate; et ubi id fiet, notandus erit in codice ad id destinato dies, mensis, annus, et quid, cui, datum est, cum ejus qui accipit syngrapha. (R. Proc. P. 25.)

Ad bona immobilia Societatis securius tuenda conferet ut hypotheca graventur; maximopere vero curandum est ut tituli possessionum ad normam legum civilium rite exigantur, quod vix obtinebitur nisi deputetur aliquis cui, tanquam proprium officium, incumbat hujusmodi titulos, adhibitis virorum peritissimorum consiliis, conficere, et ut firmi et securi persistant

invigilare (*c.* Ad post. Prov. Lugd., 1862). Nota tamen, quoad hypothecas, leges de alienationibus, in Comp. Privileg. ad v. *Alienatio.*

515 II. — **Cura bonorum.** — Visitentur bona Collegii tum a Rectore et Provinciali tum a Procuratore sæpius; opportune reparentur, plantentur, pecoribus instruantur; fidis tradantur colonis. Modus ea colendi in regione solitus ne temere mutetur. (I. T. Rec. et Proc.). Tanquam bona Christi et pauperum patrimonium res Societatis curentur : quidquid tamen speciem habet negotiationis vitetur. (Cst., III, II, 7. — C. G., II, 61.)

516 III. — **Prudentia in investiendis titulis.** — Maximi interest, nostris præsertim temporibus, ut Procuratores sint in rebus œconomicis et pecuniariis prudentes et periti, cum ipsis incumbit cura collocandi pecuniam in *titulos, actiones* et *obligationes,* quæ ob temporum inconstantiam et nostratum temeritatem maximis cladibus obnoxiæ sunt. Quas igitur normas hac in re sequantur petant a litt. P. Beckx, *De Censibus.* (P. Martin, Ord., 41, 47.) Cf. supra n. 91.

517 IV. — **Debitorum solutio.** — Curet Procurator ut debita suo tempore solvantur; ea a colonis, tempore messis, exigat, idque Rector a Procuratore præstari curet. (I. T. Proc.) Servitutes passivæ vitentur, activæ serventur. Si quid vero ex reditibus supersit, ære alieno dissolvendo insumatur, vel reditibus augendis, non vero in ædificiis, etc. (I. T. R., 6.)

Summopere curandum ne æs alienum confletur magna summa : imo nec facile concedat Provincialis ut contrahatur in minori. (R. Prov., 82. — I. T. P. 10.)

A fortiori ea quæ quis absque conditione Collegio elargiri vellet, non debet Rector ad certum aliquem finem minus necessarium applicanda curare. (I. T. R. 3.)

518 V. — **Rationum exactio.** — Rationem dati et accepti exigat Procurator ab Emptore quotidie, ab aliis officialibus singulis trimestribus; Rector a Procuratore singulis mensibus, coram Mini-

stro, examinando singula, an plus consumptum sit. Similem rationem reddet Rector suo successori, sua manu subscriptam, quam hic etiam signabit, sed non priusquam viderit an recte omnia se habeant. (I. T. P., 9. — C. G., VIII, 60 ; et præterea quoties et quibus Generali videbitur. (Cst., IX, III, 4, 15.) Provincialis ipse, exeunte januario, a Procuratore Provinciæ rationem expensarum communium exiget, et curabit ut de pecuniis sibi traditis accepta et expensa accurate per Socium in libro referantur ut successori suo rationem possit reddere. (I. T. Prov., 6.)

VI. — **Litium fuga.** — Lites generatim sunt fugiendæ, sed 519
potius amicabilis compositio tentanda : intentatæ dilationibus, si fieri potest, retardentur, ut consulatur Generalis. Jus tamen habet Provincialis standi in judicio ad defendenda jura Collegii. (R. Prop., 67.) Eas vero intentare absque Generalis facultate non licet (C. G., II, 55), nisi res urgeat; et tunc rationes Generali exponantur; imo nec sustinendæ sunt lites si possibile sit, ipso non præmonito. (C. G., II, 55.)

Potest Societas ubi necesse est se defendere[1] (Cst., IV, II, 6), et ad id amicos adhibere; vitando omnia quæ jurisdictionem aliquam ipsis tribuere viderentur. (C. G., I, 112. — Cst., VI, III, 7.) In his non compareat Procurator, nisi necessitas valde urgeat, sed per externos procuratores qui optimi eligantur jura Societatis tueatur. Curent tamen Superiores ut omnia recte et solide expediantur. (R. Proc. Prov., 10.) Procurator quæ gravioris momenti erunt in codice annotet. (R. Proc., Coll. 14.)

[1] Aliquando satius erit de re litigiosa etiam immobili transigere, præsertim ubi in possessionem Societas nondum venit ; id tamen non debet fieri inconsulto Generali, si res gravis sit (*a.* 1620, 1639) : transactio enim in re gravi habetur ut alienatio, cujus proinde subditur formalitatibus. Intra vero quosnam limites licita sit transactio in re immobili litigiosa, cf. Commentatores bullæ *Apostolicæ Sedis*, loco infra citato, pag. 449.

VII. — **Cautio in alienando.** — Penes Præpositum generalem 520
residet facultas alienandi, non secus ac contractus quoslibet cele-

brandi sine consensu capituli (C. G., I, 100, 144. — Gregorius XIII, *Apostolicæ Sedis*); nisi agatur de alienandis domibus jam fundatis, ad quod requiritur consensus Societatis. (C. G., IV, 24, 27.)[1] Quibus autem conditionibus alienandi facultas Rectoribus communicata fuerit indicavit P. Claudius. (Or., xx, 1581.) Postea vero Urbanus VIII (decret. 7 sept. 1624) addidit ut Regularibus facultas non esset celebrandi sine licentia S. Pontificis aut Congregationis Concilii quoscumque contractus continentes alienationem bonorum immobilium magni valoris aut pretiosorum mobilium, census perpetuos seu vitalitios in eadem impositos, hypothecam specialem, locationem aut conductionem ultra triennium, concessionemve in fundum et emphyteusim, præterquam in casibus a jure permissis[2].

Mobilia vero non pretiosa licet Superioribus alienare; ita tamen ut, si pertineant ad ecclesias aut bibliothecas, pretium nequeat impendi nisi in ecclesiæ aut bibliothecæ utilitatem; necnon et immobilia quæ non excedunt valorem 25 scutatorum aureorum de camera, at præmissa ad Generalem informatione et exspectata ejus facultate (exceptis tamen Missionibus, ubi sufficit ut audiantur Consultores et consentiat Superior Missionis). Comp. Priv., n. 2.[3]

Facta est instructio (anno 1693) in qua præscribitur quid facto opus sit quando alienandi necessitas occurrit. Necessitatem porro consensus tum Generalis tum, per illum, S. Sedis, ad alienanda immobilia magni valoris et mobilia pretiosa inculcat R. P. Martin. (Ord. pro temp., 22.) Quoad vero immobilia exigui valoris et mobilia non pretiosa commendat ut caute procedatur; et ut sciant Superiores quid hac in re valeant, remittit ad Nov. Comp. Priv., v. *Alienatio,* §§, 19, 23; et v. *Census,* §, 88; ad Decretum S. Congr. Conc. sub Urbano VIII, 1624, 1626; et in dubio recurratur Generali. Quænam vero habeantur mobilia ut pretiosa, et quænam immobilia magni valoris, cf. DD. in l. III, Decret., tit. 13.

521 [1] Suarez restringit hanc limitationem ad alienationem stricte dictam, nec

extendit eam ad mobili a pretiosa : at extendit ad alienationem cujuslibet immobilis (l. II, c. XXVIII).

[2] De celebrandis alienationibus cf. DD. in l. III, Decret. tit. 13, et Commentatores bullæ *Apostolicæ Sedis*, in excomm. 3, inter excomm. nemini reservatas. Ex quibus intelliges sequentia responsa, quæ nihil aliud sunt quam juris communis declarationes. Quæ donata sunt alicui Collegio, donatione inter vivos facta, etiamsi non debuissent nisi post mortem tradi, non possunt restitui donatori etiam ob justas causas absque conditionibus debitis pro alienatione, ac proinde absque Sedis Apostolicæ consensu (*a.* 1621, 1639); « sicut nec bona Fratris Nostri N. ita Societati tradita; cum ejus dominium jam acquisiverit » (*a.* 1626). Potest sine hoc consensu vendi domus data cum hac clausula « ut vendatur » (*a.* 1637, 1634); sed pretium ad mentem donantis est expendendum (*a.* 1634). « Quando aliquid de se stabile donatur tanquam mobile, ut ex mente scilicet donantis relinquatur Societatis arbitrio, ut retinere possit vel vendere, non potest vendi cum jam acquisiverit Ecclesia jus in illud » (*a.* 1637. Et similiter 1628).

Non egent consensu Pontificis ea quæ legantur Domui professæ quibusque hæc non indiget, cum hujusmodi juxta Constitutiones vendere teneatur (*a.* 1627). Hæc de *Domo professa*. At insuper generaliori modo : « Donata Societati antequam realiter possideantur, possunt alienari sine solemnitatibus juris aut licentia Congregationis Concilii » (*a.* 1646). « Bona inscripta Societati, si tamen actu non sunt tradita, possunt alienari sine solemnitatibus juris » (*a.* 1647). « Possumus alienare sine solemnitatibus juris ante aditam rei possessionem; sed ubi semel hæc est apprehensa, non licet sine facultate Sedis Apostolicæ » (*a.* 1648). « Domus in utilitatem Collegii legitime vendi potuit sine nostro assensu, quia non erat Collegio incorporata » (*a.* 1655). Prius tamen in contrarium fuerat resp. : « Probabilius est non posse vendi bonum aliquod stabile Societati donatum, etiamsi nondum acceperit realem ejus possessionem; nam eo ipso quod Societati fuit donatum, induit rationem boni ecclesiastici » (*a.* 1624). Item alienari vel oppignorari bona possunt sine venia S. Sedis in casu extremæ necessitatis, v. g. ad redimendos captivos, ut censent Doctores (*a.* 1648).

« Sancta Congregatio non permittit ut pretium ex bonis stabilibus cum licentia venditis comparatum, impendatur censibus comparandis (*a.* 1638); « multo imnus debitis solvendis, sed debent eodem contextu applicari bonis stabilibus emendis » (*a.* 1632, 1636, 1638). « Pecunia ex divendita domo debet iterum donari in rem stabilem vel censum » (*a.* 1634). Imo « pretium ex venditione bonorum immobilium acceptum impendi non potest, sine facultate P. Generalis, in meliorationem aliorum fundorum » (*a.* 1618). « Census quo Collegium est gravatum potest redimi pecunia nobis restituta per exstinctionem census nobis debiti, in eo tantum casu quando fuit impositus super bonis Collegii quæ utilitatem afferant » (*a.* 1594). Et similiter « licet pecunia otiosa ex redemptione census accepta, alium censum quo gravetur Collegium redimere, dummodo census redimendus venditus fuerit

ad bona stabilia comparanda » (*a.* 1620). Pecunia vero ex summa capitali restituta, si ad aliud bonum stabile emendum non applicetur, in novo censu comparando impendatur, non ad alios usus ; ne aliquid de Collegii dote cum evidenti ejus damno pereat (*a.* 1618). « Census qui aliquando obvenerunt ex legitima Fratrum nostrorum, non sunt exstinguendi ut eorum summa capitali debita solvantur ; sed, summa ista servata, fructus eorum debitis solvendis applicandi » (*a.* 1621). Non est permittendum ut aliquod Collegium pro alio fidejubeat (*b.* ††, 1584). « Collegia et eorum bona non tantum non possunt obligari pro sæcularibus, sed ne quidem pro aliis Collegiis ejusdem Provinciæ, quia hoc esset vera alienatio » (*a.* 1789). « Non est meæ potestatis condonare fructus censuum quos unum Collegium debet aliis » (*a.* 1649). Census inter nostra Collegia non per privatas schedulas, sed per publica instrumenta constituantur (*a.* 1603).

Ubi permutatio fieri non possit sine alienatione, requiritur consensus Pontificis (*a.* 1627). Item « non licet sine P. N. consensu Collegio accipere pecunias ad censum, imponendo illum super bonis alicujus amici externi et obligando bona Collegii huic externo ; quia est eodem modo alienatio ac si super bonis Collegii census imponeretur » (*a.* 1587). Cf. n. 512.

[3] Per se leges de alienatione vigebant pro Europa tantum ; imo Bouix (*De jure Regularium*, P. v. s. 4.) probat extra Italiam alienationem fundorum Regularibus usu immemoriali permitti. Nihilominus, post Constitutionem Pii IX *Apostolicæ Sedis*, censet Comp. Priv., n. 22, in Europa, et etiam extra Europam, nos hodie obligari his de alienando legibus. At patet licentiam S. Sedis non alia via postulandam esse quam per Præpositum generalem : « R[a] V[a], nomine nostro severe monito illo Rectore, declaret subreptitiam atque irritam fore omnem licentiam a Sede Apostolica alienandi bona Collegii nobis inconsultis impetratam, nosque graviter in illum animadversuros » (*a.* 1655).

CAPUT OCTAVUM

DE SCRIPTIONE LIBRORUM

I. — **Revisionis obligatio.** — Nihil in lucem edatur quod a tribus 522
Revisoribus non fuerit probatum [1]; si de rebus theologicis (dogmaticis scilicet, moralibus aut controversiis) sermo sit, quatuor; si de levioribus duo saltem Revisores qui integre legant designari debent. (Cst., III, I, 18. — IV, VI, O. — VII, IV, 11. — C. G., V, 9. — XV, 9. — XVI, 15. — XXI, 26.)

Ipse Provincialis nihil absque Generalis approbatione in lucem edat. (R. Rev., 15.) [2]

[1] Nemo librum ullum scribendum aut vertendum suscipiat nisi monito et probante Provinciali (*a.* 1606, 1624). De iis porro scribendum non est quæ nobis propria non sunt, ut de arte pharmacopolæ (*a.* 1640), aut de medicina (*a.* 1646). Quando Superior probat consilium scribendi librum, non ideo ejus impressionem probat (*a.* 1639). « Nulli Nostrorum libri, quacumque lingua scripti sint, etiamsi tantum interpretationem alterius libri contineant, edi possunt sine facultate Generalis » (*a.* 1628, 1667). Imo nec epistolæ dedicatoriæ, elogia et quæ Sanctorum imaginibus apponi solent, etc. (*a.* 1624). « Libri alias cum facultate impressi, possunt auctoritate Provincialis recudi, si nec ad Institutum spectent, nec quidquam in eis variatum sit » (*a.* 1611, 1640). Et cf. Ord. P. Beckx infra cit.

Approbatio Provincialis apponenda est libris lingua vernacula editis, nisi ob peculiares rationes celandum esset nomen auctoris, de quo moneri solet Generalis (*a.* 1640); nec nisi raro et gravibus de causis alieno nomine edendi sunt NN. libri, et tunc etiam revisioni subjiciendi sunt (*b.* †, 1611). Libri imprimendi in aliena Provincia revideantur in illa ab aliquo constituto a Provinciali illius Provinciæ; et si quid occurrat offensioni obnoxium moneant auctorem ut tollat, vel Generalem (*a.* 1661).

Libri tractantes jura Societatis sunt Romæ recognoscendi (*a.* 1652). Atten-

dant sedulo censores librorum regulas Revisorum generalium et ipsam censuræ formulam, ut nihil approbent quod mediocritatem, in suo genere, plus quam mediocriter non superet (Prov. Lugd., 1868).

[2] Provincialibus facultatem jam concesserat P. Claudius edendi libellos contra hæreticos, ubi res urgeret, a quatuor censoribus revisos. Item orationes funerales, aut etiam libellos parvulos quales offerri solent Principibus in sua inauguratione ; sed unum vel duo exempla Romam mitti debebant (*a.* 1615, 1648, 1627). Hodie, cf. Ord. P. Beckx, infra, § 4.

723 II. — **Revisorum officia.** — Præter Revisores generales ex variis Assistentiis Romæ degentes, designari possunt Revisores extraordinarii, qui auctoribus ignoti esse debent et iisdem legibus tenentur. (C. G., XVI, 15.)

Utrorumque officium est ut totum opus legant [1], eo magis attente et caute quo res gravior est. Hi bullas et regulas indicis probe callere debent. Duplex ferunt judicium : 1° an edendus sit liber ; 2° an corrigendus. Ad normam Rationis studiorum suam censuram dirigant, non juxta ea quæ antea facta sunt. (St. Reg. comm. Sup., 5, 6. — Reg. Pr. Scr., 1, 2, 6, 8, 10. — Reg. Pr. Th., 2, 5. — Reg. Prof. Ph., 2, 3.)

Nihil admittant quod sit mera repetitio, quod mediocritatem non mediocriter non excedat, quod fidei pietatique non plane congruum sit, quod aliquem possit offendere maxime Religiosos [2], aut Societatis existimationem minuere. Revisores *generales*, præter censuram communem ab omnibus subscriptam, ea in quibus discrepant separatim scribant et ad Generalem per Provincialem mittant si in Provinciis sunt. (Reg. Rev.)

[1] Liber absolvi debet priusquam a censoribus recognosci incipiat (*a.* 1640). Non autem edendus « nisi constiterit Provinciali emendata esse quæ censorum judicio emendanda erant » (*a.* 1632, 1633). « Quod tamen intelligendum de iis quæ a pluribus censoribus indicta sunt corrigenda, non ab uno solo » (*a.* 1634).

[2] Non est permissum P. J. Martin falsam D. Carrière doctrinam circa potestatem principis in matrimonium confutare, nisi prius conaretur hunc suum antiquum condiscipulum dissuadere (7 et 13 oct. 1837).

724 III. — **Sanctio hujus legis.** — Si quis sine facultate, seu proprio, seu alieno, seu suppresso nomine, libros aut etiam folia volantia

aut aliud quidpiam typis ederet, gravibus pœnis, puta privationis officii, vocis activæ et passivæ, inhabilitatis, imo et si necesse sit corporalibus pœnis plectatur. Id extenditur ad complices, et conscios, etiam Superiores; et præsumptio fraudis contra eos stare videtur a quibus accepta scripta externi vulgaverint. (C. G., XI, 18. — XV, 9.) Severe etiam puniendi qui post censuram aliquid non levis momenti, insciis Superioribus, immutaverint. (C. G., X, 11. — Reg. Rev., 15.)

IV. — **Totum ordinem** in librorum revisione tenendum complexus 525
est A. R. P. Beckx in Ord. data 9 Febr. 1850, cum additionibus 11 maii 1862 : quæ Ordinatio, jussu C. G., XXIII, inserta fuit corpori Instituti.

Auctor opus suum Provincialis judicio submittat, qui si consilium non probet, id auctori significet; si probet, monito Generali, opus Revisoribus tradat; si dubitet, Generalis responsum exspectet. Censores, quantum fieri potest, auctoribus ignoti, sicut auctores Censoribus, secretique tenaces sint; Revisorumque generalium regulas legant et servent. Hi ab ipso Generali speciatim designandi sunt, si liber tractet de Instituto aut de materia alia reservata. Si Censores unanimes judicent opus non mediocriter mediocritatem, *in suo genere,* excedere, Provincialis edendi licentiam dare potest : si unanimes fuerint in contrariam partem, ibi sistetur : si dissentiant, res ad Generalem deferetur. Singulorum autem suffragia ad Provincialem et per eum ad Generalem scripto mittentur [1]; censuræ vero, tacito Censorum nomine, auctori manifestabuntur.

Nullum omnino scriptum a revisionis lege eximitur, nequidem articuli periodicis foliis inserendi. Quoad ea exigui momenti quæ ad scholas pertinent, uti promulgationes, videbit Provincialis quam potestatem dare expediat Rectoribus. His licebit curare ut, quando urgens necessitas exigit, refellantur calumniæ aut scandala, scriptis debite revisis, monito quantocius Provinciali. Sine hujus facultate non debet denuo edi opus jam editum, nec in aliam linguam verti [2].

[1] Minimorum librorum censuram Romam mitti opus non est ; si dubitetur an operæ pretium sit, mittatur (*a.* 1640). Apponatur Provincialis approbatio, nisi ex gravi causa, monito Generali, supprimenda sit (*a.* 1643). Nulli ex Nostris nisi R. Patri Nostro dedicandi sunt libri (*a.* 1615).

[2] Juxta decretum Clement. VIII, De prohibendis expurgandisque libris, et reg. 10 Indicis, libri de rebus sacris tractantes Ordinarii loci aut auctoris aut typographi revisioni submittendi sunt, ejusque approbatione in principio muniendi, necnon approbatione Superioris Regularis : ii scilicet, juxta praxim Secretariæ Vicarii Urbis, in quibus exponuntur Sacræ Scripturæ aut theologia, sive dogmatica, sive moralis, jus canonicum, ecclesiastica historia, sacri Ritus, aut in quibus de Christiana Religione, de statu clericali vel regulari agitur. (Cf. Oswald, n. 981.) Insuper attendendæ sunt sanctiones Bullæ *Apostolicæ Sedis*, ubi ageretur de Scriptura Sacra ejusve adnotationibus aut commentariis. (S. O., 22 dec. 1880.)

Præ oculis etiam habendæ sunt Constitutiones et præscriptiones S. Sedis circa ritus Malabaricos et Sinenses ; quarum observantiam et indolem dogmaticam inculcabat S. Inquisitio in suis litteris ad P. Anderledy (17 sept. 1891), et cum ipsa P. Generalis in suis litteris ad Provinciales (10 oct. 1891), religiosissimum hac de re silentium nostris scriptoribus ambo imponentes, et *tertiam partem* operis P. Bertrand (*Mémoire historique sur les Missions des Ordres religieux*, etc., — 2e éd., Paris, 1862) damnantes.

Tandem vetatur cuilibet Missionario apostolico ne aliquod opus typis mandet absque expressa S. C. de Propaganda Fide licentia in scriptis ; nisi, ut deducitur per benignam interpretationem, agatur de parvis doctrinis, catechismis et similibus. (Cf. *Collectanea Miss Extern.*, n. 1148, 1159 et 1151).

526 V. — **De editione librorum.** — Cf. eamdem Ordinationem. Caveatur ne impressione librorum gravetur Societas ; nullus contractus cum bibliopolis ineatur sine expresso Provincialis consensu ; non suscipiantur absque speciali licentia libri sumptibus et periculo nostro edendi ; serventur in toto hoc negotio civiles et ecclesiasticæ leges ; arceaturque quidquid speciem negotiationis præ se ferret, et præ oculis habeantur decreta C. G. XVI et VII. Ubi aliorum periculo eduntur libri, non est prohibitum scriptoribus, conscio et approbante Provinciali, vel pro manuscripto justum pretium, vel certum exemplarium numerum ab editore exigere, quæ quidem exemplaria juxta Superiorum dispositionem convenientibus usibus destinari vel etiam vendi possint. Quodcumque autem lucrum seu pretium ex venditione libri manuscripti, vel quorum-

dam exemplarium perceptum fuerit, ex decr. 7, n. 2, C. G., XX, Superiori totius Domus consignetur, cui integrum erit illud impendere sive ad promovenda scriptoris studia aliosque usus litterarios, sive ad alium quemcumque utilem finem, sicut expedire visum sibi in Domino fuerit[1]. Omnium librorum alicujus momenti quos Nostri scribunt tria vel duo saltem exemplaria ad Generalem mittantur[2].

[1] Nihilominus improbavit P. Roothaan usum *emendi libros* ab editore, ut denuo, *pretio bibliopolæ,* vendantur, etiamsi id fiat non lucrandi animo sed diffundendi libros : « Je rejetterais donc cette espèce de magasin de nos Procures, comme inutile d'abord, peu convenable ensuite, et, peut-être même, comme contraire à nos saintes règles. » (*g.* Ad Proc. Vals., dec. 1852).

[2] Optandum est ut Provinciæ sibi invicem communicent catalogum operum alicujus momenti quæ a Nostris edita fuerint (Prov. Germ., 1862). Huic voto consulit nomenclator bibliographicus a PP. Scriptoribus Galliæ editus et a P. N. commendatus. (*Moniteur Bibliographique de la Compagnie de* Jésus, 15, rue Monsieur, Paris). Nec licet omittere præclaram *Bibliothecam Scriptorum Societatis* Jesu quam compilaverunt PP. de Backer, et eruditissime auctam tertio edidit P. Carolus Sommervogel (1890. Bruxelles, Schepens; Paris, Picard).

PARS DECIMA

CAPUT UNICUM

DE IIS QUÆ AB INSTITUTO ALIENA SUNT

Ea sedulo vitat Societas quæ majori bono obesse possunt, quæ sunt maxime quadruplicis generis :

1° Quæ magis periculosa sunt;

2° Quæ odiosa et suspicionibus obnoxia;

3° Quæ libertatem minuunt;

4° Quæ tempus minus utiliter absumerent.

I. — **Quæ periculosa sunt.** — Longa cum mulieribus collo- 527
quia, sive in confessionali, ubi de rebus ad confessionem non pertinentibus loqui non licet, sive extra confessionem : non enim nisi in loco patenti, oculis modeste demissis, licet cum illis sermonem miscere (Reg. Sac. 17); sive in visitationibus, quæ raro, et nonnisi gravibus de causis, ac viris maturis, Superiori scilicet et confessario, erga feminas nobiles, bene meritas, et ad quas absque ullius offensione accedere possimus permittendæ sunt. (Reg. Sac. — Ins., III.)

Caveatur ne prætextu juvandarum pauperum mulierum familiaritas cum iis contrahatur; alienaque potius manu quam propria distribuantur eleemosynæ. (Ins. XV, 2, 6. — Reg. Sac., 22.)

528 II. — **Odiosa et suspicionibus obnoxia.** — Munus examinandi ad Ordines aut ad curam animarum, nisi de sola doctrina sit pronuntiandum, et judicium de ipsa admissione Prælatis relinquatur[1]. (C. G., II, 72; — IV, 63. — Videsis Orland., I, 7, n. 16.)

Item *negotia politica*, ea scilicet quæ ad rationem status pertinent, quæ in virtute Sanctæ Obedientiæ, sub pœna inhabilitatis jubemur vitare. (Cst., VI, III, 7. — C. G., V, 47, 48, 79, 80. — Or., XI, 4. — C. G., XXIV, 20, § 4.) Hoc nomine intelliguntur fœdera, successiones, bella et similia[2]; non vero quæ ad solam conscientiam eorum pertinent qui petunt consilium. (C. G., VII, 46. — Or., XI, 4, etc.)[3].

[1] Nostri cogi nequeunt, auctoritate Concilii Tridentini, ut sint Examinatores Clericorum (*a.* 1580). Etiam ubi agitur de pauperibus scholaribus juvandis et promovendis, abstinendum est a dando testimonio, præterquam circa virtutem et eruditionem (*b.* †, 1576). Et ubi munus judicis subterfugere nequeunt Nostri, judicent de *doctrina* solum, non de *admissione* (*a.* 1579, et pluries).

Ob rationem similem alienum judicatur ab Instituto munus Consiliarii episcopalis (*f.* 3 jun. 1841). Non fuit tamen reprobatum munus Consiliarii academici ad examinandos Magistros (10 oct. 1850). Capellaniæ militares, belli non pacis tempore, libenter sunt admissæ (*d.* 19 dec. 1854).

« Jungendis vero connubiis abstineant omnes, et si quis operam iis conciliandis dedisse repertus fuerit, ad me deferatur. » (P. Anderledy, 24 maii 1885.)

[2] Ad hoc negotiorum genus referuntur etiam matrimonia, promotiones ad dignitates (*a.* 1606, 1608).

Rectores, quantum fieri potest, non debebant frequentare dietas, quamvis jus haberent (1587). Nostris in Polonia non concessum erat ut Comitiis interessent, nisi multum rogati fuissent, iisque injunctum erat ut ad neutram dissidentium partem se inclinatos ostenderent (*b.* ††, 1576).

Recentius vetitum nostris fuerat in politicis electionibus partem ullam habere (*f.* 13 jun. 1861). Deinceps tamen viva voce probavit P. N. ut in Gallia NN. his electionibus interessent, quando sæculares Sacerdotes Episcopo propinquiores id agunt (*d.* sept. 1877.)

Cæterum vehementer nobis commendatum fuit ut a politicarum partium studiis omnino abstineamus (*f.* 18 maii 1833); divinæque Providentiæ curam committamus politicos eventus ordinandi (*f.* 30 sept. 1834). Vera utique principia tenere debemus, sed eorum practica applicatio ad nos non pertinet. (*f.* P. A., 29 sept. 1834).

Societas Jesu divinæ gloriæ procurandæ unice intenta, politicis partibus extranea est, et sub quacumque regiminis forma Cæsari reddit quæ Cæsaris

sunt. (Epist. P. Beckx ad Provinciales, 10 jan. 1852.) — Cf. quoque declarationem P. Roothaan, anno 1847, et declarationem P. Beckx, 10 januar. 1855 : « Déclaration, ut ipse aiebat, seule acceptable, seule faisant autorité, afin d'arrêter et en même temps de rectifier toute assertion contraire, soit sur la doctrine de la Société et de ses principaux théologiens, soit sur la forme de son gouvernement intérieur, soit sur l'éducation qu'elle donne à ses jeunes religieux, quelle que puisse être la source de ces assertions. » — Cf. quoque litter. ejusdem P. Beckx ad Prov. Neapolit., 7 januar. 1855.

De his cœtibus seu, ut aiunt, congressibus, qui passim celebrantur, P. Anderledy, litteris suis 8 decembris 1890, quasdam præscripsit cautelas, ut nempe, ubi de Nostrorum in his interventu ageretur, Provincialis cum suis consultoribus deliberet, et ad P. N. referat, utrum et quinam ex Nostris intersint; nil vero in his proferatur nisi « litteris mandatum, multa industria elaboratum, peritorum judicio comprobatum, religiosa modestia temperatum. » Abstineant vero Nostri ab his congressibus in quibus pertractantur negotia Instituto aliena, præsertim politica, vel animorum dissidia foventur.

Hinc etiam in quibusdam rebus de se ad religionem pertinentibus spiritui regulæ attendendum erit. Sic 23 jan. 1648 prohibuit P. Caraffa ne Nostri sese immiscerent aut scriberent de pace Germaniæ. (Cf. Oswald, n. 860.)

[3] Aliquando concessum (*a.* 1641 in Germ. et 1666 in Hispania), aliquando negatum (*a.* 1666 in Mutinensi ducatu), ut confessarius e Societate interesset consiliis status, ut pro directione principis sibi efformaret conscientiam, juxta varietatem circumstantiarum. At nunquam debuit politica tractare aut sententiam de re status dicere.

In familiaritatem principum se insinuare Nostris vetatur, et 529
ipsis *negotiis particularium* se immiscere, etiam cognatorum, nisi forte, judicio Superiorum, charitas aliud suaderet. (C. G., V, 48, 80; — VIII, 56.)[1] Prohibetur etiam *testamentorum*[2] exsecutio aut confectio, legatorum confidentialium cura (Cst., VI, III, 7. — C. G., XII, 38. — R. Sac., 28); procuratio causarum civilium (Cst., VI, III, 7, 8)[3]; lites, quibus qui se immiscent puniendi sunt. (C. G., VII, 13; — XVI, 31.)[4] Ne se in causis civilibus examinari patiantur Nostri, nisi de licentia Superioris, in causis valde piis, cum nullius detrimento; in criminalibus nunquam[5]. (Cst., VI, III, 8, E.)

[1] Nostris adesse non debent dum computantur rationes et expensæ Congregationum (*a.* 1588).

De his et similibus negotiis sic scribit P. Claudius : « Velim omnibus

Nostris persuasum esse non omnia charitatis officia a Nostris suscipienda, neque gratum esse Deo ut suscipiantur, sed ea tantum quæ Instituto, quod nobis utique ab illo donatum est, consentanea sunt. » (1583, C. G., III, 5, 4.)

[2] Id non intelligitur de testamentis factis in gratiam Societatis, in quibus licet Nostro esse exsecutori (*a.* 1603, 1662).

[3] Ex hujus Constitutionis declaratione D, solus Generalis, aut is cui hanc potestatem delegaverit, facultatem dare potest his negotiis se immiscendi. « Hac phrasi (*quoad ejus fieri poterit*) non significatur debilitas prohibitionis, sed vehementia et contentio, ut secus nunquam fiat. » (Natal. Schol. in hæc verba. Cst., VI, c. III.)

[4] Non censemur intentare litem, si debitores renitentes citemus ad solutionem urgendam (*b.* ††, 1584).

[5] Nequidem ubi vexamur, criminalem querelam a nobis deponi vult P. Claudius (*a.* 1586). Permittit tamen judicem informari, ut ipse extra judicium vel per juridicas informationes vexatorem coerceat, sed ita ut in actis non appareat Nostros aliquid egisse. Quoad lites civiles, nihil fiat inconsulto Generali. Si possibile sit, jurisdictio ecclesiastica defendi a Nostris debet secundum probatissimos auctores (*a.* 1586); nec ut civilem adeamus exemplum cæterorum Ordinum ratio sufficiens est (*b.* ††, 1625). Ubi vero Nostri coguntur, ad redimendam vexationem, coram judicibus sæcularibus etiam hæreticis se sistere, id absque scrupulo fieri potest (*a.* 1584, 1586). Licet coram eis jurare si jubeant (1604). Nequidem ad liberandum reum qui ex confessione innocens cognoscitur, debebat ullus ex NN. ut testis coram judice se sistere, licet, ab ipso requisitus, veritatem ei pandere privatim posset (*b.* ††, 1576). Quæ, ut patet, antiquas exemptiones supponunt.

530 Nec præstandæ *commendationes* piæ, nisi æquitate aut gratitudine suadente, expressam facultatem det Superior, auditis Consultoribus, in gravioribus, imo, si licet, facto ad Provincialem recursu. Res majoris momenti ipse Provincialis indicet Generali. (C. G., VII, 13.)[1]

Ipsi Procuratores Provinciarum nulla negotia Romæ tractanda suscipiant. (Or., IV, 2.) Non licet consanguineos ad dignitates quascumque promoveri curare[2]. (C. G., VII, 13.)

Vitare etiam summa cura debemus quidquid alios, maxime Religiosos aut viros primarios, offendere potest[3]; de hoc Superiores inquirant et Consultores Superiorem moneant. (Cst., III, I, 9; — IV, XVI, D; — VI, III, 8; — VII, II, H; — X, 2, B. — C. G., XII, 19; — XXII, 14.) Speciatim vero de Prædicatorum

Ordine Nostri magnifice sentiant et loquantur, et mutua hospitalitate et cæteris officiis certare curent. (C. G., VIII, 12; — XI, 19.).

[1] « Officium publicum concessum esse cuidam a Principe solvente (solventi ?) 2000 florenos Collegio nostro, procurante id quodam Patre nostro cujus mentio fit in litteris patentibus dicti officii, maximo mœrore accepimus : quare restituenda pecunia, deponendus Rector et Pater corrigendus. » (*a.* 28 oct. 1597.)

[2] Rejectum est a P. Claudio jus patronatus et præsentandi puellas ad eleemosynas (*a.* 1581). Admissum est quidem jus præsentandi parochos (*a.* 1589), sed non vicarios ad nutum amovibiles (1623); licet id etiam prius admissum fuisset (1597). Officium distribuendi eleemosynas NN. non acceptent; si vero ratio peculiaris id exigere videatur, nihil fiat nisi ex consensu Superioris (*b.* ††, 1625). Nequidem nobis licet acceptare munus compromissarii aut arbitri (*a.* 1591), aut tutoris (*a.* 1583). Nec valde probatur ut simus patrini (*a.* 1594) (Siquidem Religiosis id generatim prohibetur, Sanch., l. 7, d. 60, n. 21; et cf. moralistas communiter); nec rogati quidem ultimas voluntates ægrotorum iis quorum interest denuntiare debemus (*a.* 1582). Episcopos in suis visitationibus comitari possunt Nostri, si sollicitentur; sed in his sola ministeria Societatis propria exhibeant; minime vero in quæstionibus jurisdictionis se immisceant (*a.* 1598). Assistere autem loco Episcopi in tribunali Sancti Officii cum voto decisivo NN. nequeunt (*a.* 1627, 1633, 1664); (Lugo censet id esse contrarium voto de ambitu). Item in Synodis, in materia reformationis (*a.* 1596). Cum tamen multa in his tractentur quæ Instituto non repugnant, poterunt a Provinciali mitti qui idonei censentur (*a.* 1585).

[3] In publicis disputationibus novissimum locum inter religiosos ordines occupare debemus. Ad conciliandos Prælatorum animos satagendum est in primis ut cum omni humilitate et modestia eorum plebi nostra obsequia impendamus (*b.* ††, 1625).

III. — **Libertatem minuentia.** — Ea a Societate nostra amolienda 531
sunt quæ nostram libertatem minuerent, ut Seminaria episcopalia nisi sub certis conditionibus[1], conventus externarum confraternitatum in nostris Ecclesiis aut earum cura. (Cst., VII, IV, G. — C. G., II, 18. — R. Prov., 103.) Huc se refert chorus de quo cf. supra, n. 414[2].

Curam mulierum religiosarum, ob eamdem causam, suscipere vetamur nec ad id a quoquam cogi possumus (Leo XII, *Plura inter.* — C. G., VIII, 11; — XXIII, 40.) Nullarum mulierum

cura particularis suscipienda est. (Cst., VI, III, 5. — C. G., VII, 56.) Non repugnat tamen unius monasterii semel confessiones audire aut ibi concionari, postulantibus iis qui præsunt. (Cst., VI, III, 5.) Sub hac prohibitione comprehenduntur mulieres piæ quæ in communitate vivunt (C. G., VII, 56); quas dirigere non debemus, licet earum confessiones audire possimus, sicut aliarum quæ templa nostra frequentant. Nonnisi viri maturæ ætatis ad monasteria aut conservatoria accedere permittantur. (Cst., VI, III, 5. — C. G., XX, 12.) Cf. infra n. 533 et supra n. 142.

Curam parochialem animarum Societas generatim respuit. (Cst., VI, III, 5, 6, C; — IV, II, 4, B. — C. G., I, 124; — II, 59.)[3]

532 IV. — **Quæ tempus minus utiliter consumunt.** — Ita sunt abecedarii et puerulorum institutio (St. R. Prov., 21)[4], visitationes frequentiores sæcularium, quæ nonnisi cum Superioris facultate et manifestando causam, suscipi debent. (Cl., V, 3. — R. Præp., 72. — Or., I, 9. — C. G., XX, 12, 10.)

Ipsos primarios viros frequentius visitare non debemus, nisi id ex sancto studio bonarum operum aut ex intima benevolentia fiat (Cst., VI, II, 9); nec sine gravi causa cibum apud eos capere aut ad nostram mensam, præsertim in refectorio, invitare. (Reg. Præp., 76.) Nunquam vero munusculis eorum benevolentia captanda est. (Cst., VI, II, 9. — R. Præp. 75.) Et cf. supra p. 240.

[1] De hoc jam supra dictum est. Hic adnotare juvat ægre concessum esse Cardinali de Iocosa, archepiscopo Tolosano, ut duo e NN. in fundatione sui Seminarii ad breve tempus ipsum adjuvarent (*b.* †, 1590).

[2] Reconciliare hæreticos possumus, si Ordinarius consentiat ut id sine cæremoniis fiat; secus ad Vicarium generalem remittendi sunt (1576).

Regula 103 Provincialis vetat quidem ne NN. confraternitatibus externis regendis se immisceant, sed non ideo impedimur quominus, juxta Instr. IV, § 3, et XII, § 14, hujusmodi Confraternitates promoveamus aut etiam instituamus (*b.* †, 1678).

Nihilominus commendavit P. Beckx ne nos immisceamus in devotionibus et confraternitatibus quæ ab aliis religiosis familiis pendent (22 febr. 1860); et P. Anderledy, ut potius Congregationibus B. M. V. et Bonæ Mortis incumbamus (8 jun. 1884).

[3] Item directionem Orphanotrophiorum ex ipso Sancto Patre Nostro (1 maii 1554). « Universim administratio parochiarum semper fuit in Societate judicata nobis non convenire » (*a.* 20 nov. 1655); non debent eæ suscipi ob necessitatem Societatis (1656), sed solum cogente necessitate animarum (*a.* 24 januar. 1656). Imo ut Regularis vere instituatur in parochum stricti nominis requiritur dispensatio apostolica. (Leo XIII, *Romanos Pontifices*). Nostri parochi ad collegia subinde se recipiant, spiritus renovandi causa (*a.* 1605). Ex juribus parochialibus (etiam stolæ, 1656) sumant necessaria ad sustentationem; cætera in usum Ecclesiæ et pauperum impendant (*a.* 1603). At de iisdem juribus ubi ex disp. apostol. accipimus stipendia pro ministeriis, cf. Ord. P. Martin, pro adm. temp. p. 2, n. 37, et Instr. ejusdem pro missionibus exteris, supra, pag. 352.

[4] Nequidem permissum est ut ad alliciendos artifices quibus doctrinam christianam, diebus dominicis et festis, tradere possemus, ipsos legere et scribere doceremus (*b.* ††, 1584).

N. B. — **De monialium piarumque communitatum confessionibus.** — « Non prohi- 533
bentur Nostri per voculam *semel* (P. VI, c. 3, n. 5 et Reg. 68 Rectoris), ter in anno, et sæpius diversis annis audire. Sed eo loco idem est *semel* ac *subinde* et *non ordinarie* » (*a.* Polon., 13 oct. 1631). Licet igitur solemnioribus festis, designandis a Provinciali, ultra tempus Concilii, ubi id petit Episcopus (*a.* 1648). « Non permittantur Nostri audire confessiones monialium *temporibus determinatis,* nisi raro, sed aliquoties tantum temporibus extraordinariis » (*a.* P. Gagliardi Patav., 4 jul. 1590). « Sæpius responsum est posse Nostros semel aut bis... sed non tempore anni certo ac determinato, sed extraordinario » (*a.* sine temp.). Non vero licet singulis mensibus (*a.* 1594). Permissum tamen est *in aliquibus casibus* ut singulis mensibus audirentur confessiones ubi pro singulis quindecim diebus petebatur (*a.* 1636, 1655). Imo quandoque concessum ut singulis quindecim diebus pro viginti quatuor (*a.* 1642). Generatim vero non magis aliquarum monialium quam totius monasterii confessiones ordinarie audire licet (*b.* †, 1606).

Decumbentibus autem monialibus operam nostram omnino quidem negare non possumus, quoad Pœnitentiæ sacramentum; sed Extremam Unctionem eis conferre non debemus (*b.* †, 1642). Imo quoad auxilium ipsum periculo mortis prius negaverat P. Claudius (*a.* 1629). Et ex Or., II, 11, regula est ordinaria Nostros non intrare monasteria ad confessiones monialium ægrotantium. Quin etiam ut ipse confessarius ingrediatur septa monialium, saltem ubi viget stricta clausura, attendendæ sunt normæ in jure præscriptæ (Cf. Comment. bullæ *Apostolicæ Sedis* in n. 6, inter cens. Papæ reservatas.)

Denuo commendatum est post restitutam Societatem ut servarentur circa monialium directionem Instituti præscriptiones, et ne in consuetudinem transire permitterentur quæ contra has leges facta erant (*f.* 12 mart. 1833). Et commendatum est Superiorum vigilantiæ ne permittant Nostros religiosas feminarum domos citra necessitatem adire, ibique diutius quam vera necessitas requirit remanere (*f.* Prov. Franc 1862). Gratitudo pro beneficiis acceptis justam causam nobis non præbet has regulas violandi. Monialium importunitas computari debet inter graviores molestias quas Societas nostra patitur (*f.* 15 oct. 1834). Nostri maxime abstinere debent ab immiscendo se in monialium regimine, negotiis temporalibus, etc. Nec feminas quæ apud ipsas Exercitia peragunt alloqui debent nisi in confessionali aut in loco patenti (*d.* 30 april. 1855). Ab audiendis vero ordinarie confessionibus monialium, *aliarumque mulierum separatim a viris conviventium,* abstinendum nobis est (etsi eas quæ ad nostras Ecclesias accedunt, simul cum aliis audire possimus) (*d.* 17 aug. 1875).

« Num permittendum sacerdoti nostro ut piarum mulierum sub obedientia communiter viventium, ordinarias confessiones audiat in earum sacello, quod et confessario

et pœnitentibus longe commodius est quam si eædem audiantur in ecclesia Societatis? Consultis porro hac de re PP. Assistentibus visum est omnibus id minime expedire nec permittendum esse : 1° enim esset contrarium diversis responsis ea de re Prædecessoribus Nostris datis; 2° esset pariter contrarium communi probatæque praxi Societatis; 3° hoc semel concesso piis illis feminarum cœtibus quarum sacella et confessionalia sæcularibus patere possunt, ob rationis paritatem idem concedendum esse videretur multis aliis sacrarum virginum cœtibus, sicque sensim nostri sacerdotes fierent confessarii ordinarii sacrarum virginum sub obedientia, certis locis certisque legibus conventium, quod vetitum est Instituti nostri legibus : vide præter varia responsa Generalium, C. G., VII, 56; C. G., VIII, 11; C. G., XX, 12. Igitur piarum illarum feminarum de quibus agitur, confessiones ordinariæ audiri quidem possunt in nostra, non item in earum ecclesiis. » (P. Beckx ad Prov. Franc., 21 dec. 1867.)

Ab hac tamen regula excipiuntur regiones missionum, quibus Algeriensis Colonia annumeratur (*d.* 22 febr. 1876). Novissime in plerisque suis litteris, has Instituti regulas gravissimis verbis commendavit P. Anderledy. Non autem ab his præscriptionibus excludi moniales SS^mi^ Cordis Jesu, nec majorem posse ipsis, quam cæteris præstari curam a Nostris, edocet P. Roothaan apud P. Oswald, n. 843.

Sub hac prohibitione comprehenduntur etiam orphanellæ, quæ sunt claustrales, juxta Cst., VI, III, 5. Attamen aliquando permissum est ut Halæ aliquis Nostrorum singulis mensibus Ursulinarum parthenonem adiret, ad confessiones audiendas (1619); etsi vituperatus fuerit Rector quod sæpius ad illam domum inspiciendam alios Patres duceret. Insuper de clausura relate ad famulas et puellas educandas apud moniales, cf. Ferraris, ad v. *Moniales,* art. 1, et Bouix, *De jure Regular.,* t. I, p. 668. Nequidem permittebatur ut absque Generalis facultate exercitia monialibus traderentur (*b.* †, 1625). Alias permissum fuit alternis annis in locis ubi NN. habebant domicilium; magis caute alibi, si præsertim stricta non vigebat observantia (*a.* Gallob., 1650). Et cf. P. Oswald, n. 841, 842, ubi videsis qua ratione P. Claudius et Instituto et deferentiæ erga Legatum Venetum satisfecerit.

Canonicam monasteriorum visitationem NN. suscipere non debent, nec, quantum possunt, cæteras visitationes, quas Ordinarii ipsis committere cuperent (*b.* †, 1628). Nequidem cum Episcopis facultatem habentibus monasteriorum septa ingredi NN. licet, nisi, ad vitandam gravem offensionem, Provincialis dispenset (*b.* ††, 1625). Hæc facultas generatim nonnisi gravissima de causa conceditur (1690).

APPENDIX DE PRIVILEGIIS

PARS PRIMA

De Privilegiis Societatis in genere.

I. — **Quænam sint Societatis privilegia.** — 1° Privilegia habet 534
Societas alia per directam collationem, alia per communicationem.

2° Privilegia Societati directe collata inveniuntur præsertim in litteris apostolicis, indultis ac rescriptis, quæ refert tomus 3 Instituti cum append. in penultima editione, et tomus 1 in ultima. Quamvis porro Leo XII *[Plura inter]* antiquæ Societatis quædam privilegia adlegerit et innovaverit, indoles hujus actus non fuit exclusiva, atque ideo non censendæ fuerunt abrogatæ cæteræ gratiæ olim Societati concessæ. Igitur, non obstante Clementis XIV brevi *Dominus ac Redemptor*, omnibus prorsus privilegiis gaudet hodierna Societas ipsi a Paulo III ad hæc usque tempora quomodolibet adeptis, iis solum exceptis quæ a Tridentina Synodo aut Romanis Pontificibus derogata fuere. Ita Leo XIII *[Dolemus inter]*, qui privilegia nostra sub his limitibus confirmat de novoque concedit, ut plenarios suos effectus sortiantur, nobisque plenissime suffragentur.

Privilegia a Leone XII concessa in duplicem seriem dividuntur : prior confertur Generali ut Superiori Societatis, et est perpetua

censeturque ordinaria et inclusa in corpore juris ; posterior vicennalis, collata Generali ut Præfecto missionum Societatis, et est delegabilis. Etsi vero facultates vicennales datæ fuerint intuitu missionum, non necessario inde sequitur eas non dari nisi pro missionibus, ac multo minus pro solis missionibus exteris apud infideles. (Comp., n. 34, 170, argumento deducto.)

535 3° Communicat Societas, et quidem pariformiter ac æque principaliter, perinde ac si ipsi nominatim concessa fuissent, omnia privilegia sive communia sive specialia, tum Ordinum mendicantium et non mendicantium, tum Congregationum, capitulorum, confraternitatum, hospitalium, aliorumve piorum locorum personarumve etiam sæcularium, quamvis forte speciali mentione indigentia, a Romano Pontifice aliisve personis quavis auctoritate fungentibus concessa. Nec excipiuntur privilegia formulis communicationis prohibitivis forte munita, nisi hæ clausulæ deprehendantur nostris efficaciores. Cf. in Comp., n. 457, quid requiratur ut derogetur nostris privilegiis. Et extenditur communicatio ad oracula vivæ vocis. Attamen Urbanus VIII, die 20 dec. 1631, omnia, at sola, oracula antea concessa revocavit, quæ non fuerant authenticata a competentibus officialibus aut non fuerant in forma specifica scripto confirmata. (Cf. Comp. Priv., 433. — Schmalzgrueber, l. V, t. XXXIII, n. 240 et sqq.) Sed in revocatione generali non censentur comprehendi oracula quæ erant juris existentis mera declaratio, aut quæ pro omnibus fidelibus Ecclesiasticisve fuerant concessa, nec forte indulgentiæ.

Privilegia vero uni loco concessa communicantur ab aliis Societatis locis : quæ extensio de loco ad locum, si jam in Compendio non facta fuerit, a Provinciali fieri potest, dummodo tamen non constet ita peculiare uni loco esse privilegium ut ad alium extendi concedens noluerit. (Comp., n. 101.) Ita tum ex jure communi Regularium, tum ex Privilegiis Societatis specialibus, in Comp. ad v. *Communicatio* allegatis, ac præcipue ex Pio V *Dum indefessæ;* Gregorio XIII, *Decet Romanum;* Leone XII *Plura inter.*

4° Nihilominus a tam ampla communicatione excluduntur tum

gratiæ ad tempus determinatum concessæ, tum gratiæ ob causam omnino specialem factæ, aut de re omnino exorbitanti, aut quarum communicatio extra Ordinem declaratur pendere ab arbitrio Generalis, tum gratiæ ad missas officiave propria aut nomen Fundatoris in missa litaniisve addendum, pertinentes; tum denique gratiæ nostro Instituto repugnantes. Quoad vero indulgentias, non communicantur illæ quæ se referunt ad altare privilegiatum, aut ad causam in solo Ordine cui conferuntur existentem. (Comp., n. 95, 104.)

II. — **De interpretatione privilegiorum Societatis.** — Inhibita 536
est omnibus Prælatis interpretatio nostrorum privilegiorum, sive clara sint sive dubia : sed dubia remittenda sunt ad Sedem Apostolicam vel Generalem, vel ad eos quibus ipse commiserit; et hæc Generalis interpretatio non est solum ad serenandas subditorum conscientias (Comp., n. 286), sed etiam ad jus authentice et juridice declarandum : ita ex Gregorio XIII *Ascendente.* Et cf. S. Alphonsum, *Homo apostolicus,* tract. 20, n. 75.

Insuper Superiores locales jus habent interpretandi privilegia pro subditis, saltem in foro conscientiæ et ad quietem religiosi : in dubio tamen ad doctos recurrant et ad regulas interpretandi quas tradunt auctores in tit 2 et 3 l. I, Decret., et in tit. 33, l. V. Non vero ita debet declarari privilegium ut interpretatio reddat illu privilegiato inutile aut odiosum. At privilegium intuitu corporis concessum bene potest esse individuo odiosum.

III. — **Quibusnam privilegiis nostris uti possimus.** — Omnia 537
privilegia Societatis intelliguntur concessa Generali, ejusque est, prout expedire judicaverit, communicare quibuscumque locis et personis Societatis, etiam Novitiis in quantum sunt capaces, ita ut sine illa communicatione nullus in Societate possit uti ullo privilegio. (Gregorius XIII, *Decet Romanum;* Comp., n. 106, 108. — Cst., IX, III, 10.) Et locum illum Constitutionum pertinere non solum ad licitum, sed etiam ad validum usum responsum fuit a

P. Nickel (*a.* 1655, 1656). (Cf. quoque in Comp., l. c., verba Gregorii XIII, italicis caracteribus expressa; et P. Villada, n. 153.) Notandum tamen quod ubi non substantia privilegii reservatur, jusve utendi, sed tantum aut usus prohibetur aut modus quidam in illo præscribitur, valebit usus, etsi illicitus ob non servatam prohibitionem aut modum. Consonat P. Aquaviva (*a.* 1585). Cf. P. Villada, 114, 153. — P. Mélot, n. 138, 139. — Montrouzier, c. XL. « Reservationis modi exemplum esse potest, si alicui facultati moderatio adhiberetur ne nostri Confessarii ea uterentur *inconsulto* Superiore » (*a.* 14 sept. 1585).

538 Jam vero 1° in casibus *extraordinariis,* id est, ubi usus alicujus privilegii non communicati necessarius est, impetranda communicatio est a P. Generali; et si periculum sit in mora, censetur communicatum privilegium, quomodolibet obveniat Societati, Provincialibus, Præpositis et Rectoribus localibus, dummodo non repugnet Instituto et certior fiat quamprimum, de usu ususque causa, Generalis et Provincialis. (Præf. Comp., n. 2.)

2° *Ordinarie* vero quænam privilegia, quibusnam et qua ratione communicentur reperies in Compendio Privileg. anno 1891 edito (Instit., Ed noviss., t. III, in fine), quo antiquatur communicatio præcedens præsertim in Compendio Pragensi (anno 1757) et catalogo P. Roothaan (30 aug. 1829) habita, nisi in his ad quæ remittit novum Compendium.

In usu autem Compendii præ oculis retinendæ sunt indicationes in ejusdem præfatione traditæ, ex quibus edocemur :

a) Nullum privilegium communicari, nisi et prout in Compendio relatum, exceptis casibus extraordinariis, de quibus supra.

b) Superiorum esse facultatum subditis suis a se vel quovis alio, etiam Generali, quovis modo communicatarum, *usum,* quando expedire judicaverint, limitare vel omnino suspendere. (Cf. quoque Comp. Prag. Præf.)

c) Ubi in Compendio gratia refertur nec de communicatione aliquid subjungitur, gratia hæc censetur communicata prout sonat.

d) Nomine Provincialium, Præpositorum et Rectorum intelliguntur quoque respective vice-Provinciales, vice-Præpositi, vice-Rectores, ubi scilicet nullus est Provincialis, etc., vel adeo longe abest ut pro rei exigentia consuli satis commode nequeat. Et iidem omnes in Compendio veniunt nomine *Superioris*. Cæteri vero residentiarum et missionum Superiores has habent facultates quas ipsorum Superiores communicari judicaverint. Attamen nomine Superioris intelligit P. Villada indistincte Superiorem localem (passim, v. g. n. 157) hoc sensu, ut opinor, quod ex praxi communi Provinciarum communicantur Superioribus residentiarum nudarum privilegia Præpositi domus professæ; at id non vi Compendii aut communicationis ipso jure factæ, sed voluntate Provincialis saltem ob praxim tacite manifesta.

e) Quidquid in Compendio dicitur de Professis sive nostris sive aliorum Ordinum, id intelligendum est etiam de Nostris qui vota simplicia post biennium emiserint, nisi expressa fiat exceptio.

IV. — **De mente Societatis in usu privilegiorum.** — 1° A Ge- 539
nerali omnis facultas in Societate egredienda est et ab ipso per Superiores ad inferiores descendenda. (Cst., VIII, 1, 6.) Hinc « deferant omnes ad Superiorem suum res quæ eis expetendæ occurrerint : nec privatus quispiam, directe vel indirecte sine ejus facultate et approbatione, a S. Pontifice neque ab alio extra Societatem gratiam ullam in suum privatum vel alterius usum petat aut petendam curet : sibique persuadeat si per Superiorem suum vel cum ejus consensu quod optat non obtinuerit, ne id quidem ad servitium divinum sibi convenire ; et si convenit, cum Superioris consensu, ut qui Christi Domini Nostri locum erga ipsum tenet, id se consecuturum. » (Cst., VI, 1, 3.) Quare statutum fuit a P. Roothaan anno 1832, et pluries postea confirmatum (v. g. a P. Beckx, 22 febr. 1860, a P. Anderledy, 24 maii 1885; 8 dec. 1890) ne quis sibi aut aliis facultates benedicendi coronas et similia sibi procuraret, nisi approbante et mediante Provinciali, nec alia via quam per Procuratorem generalem.

Nec probatur ut Nostri impetrent facultates erigendi confraternitates et sodalitia Societati aliena, ad eave aggregandi, ubi saltem jam sunt eæ familiæ religiosæ quibus diriguntur; atque in universum potius proximum adjuvent Nostri per media Instituto propria et per privilegia et gratias Societati concessas (P. Beckx, ibid.) : aliæ vero nullæ postulentur, vel rarissimæ (P. Anderledy, 1890.)

2° Usus privilegii rectus sit et prudens; nec dentur ansæ querelis; nec indiscrete evulgentur. Inde mens est Societatis ne Nostri de his cum externis loquantur ipsisve eadem ostendant. (Reg. 38 comm. — P. Anderledy, l. c. — Cf. P. Beckx, 20 aug. 1867, et 5 jul. 1875 de facultate suppressa absolvendi a duobus casibus specialissime reservatis.) Et recentius R. P. Martin, 11 maii 1893.

PARS ALTERA

De quibusdam privilegiis in specie.

I

DE EXEMPTIONE

I. — **Quid sit.** — Societas et universi illius socii et personæ, 540
illorumque bona subtrahuntur omni jurisdictioni, superioritati ac correctioni quorumlibet Ordinariorum ac Personarum Ecclesiasticarum. Imo hæ non possunt per se prætendere jurisdictionem ratione delicti, contractus, aut rei in suo territorio sitæ.

Nihilominus Ordinarii locorum in nos possunt quædam, quorum elenchum tibi præbet Ferraris, ad v. *Regulares,* Giraldi (*Expositio juris Pontificii*, sect. 190, 191), et novissime Zitelli (*Apparatus juris Ecclesiastici*, Edit. 1886, p. 60.) At etiam in his Mendicantes, et speciatim Societas, nequeunt plecti *censuris* (i. e. excommunicatione, suspensione, interdicto), quamvis possint aliis pœnis. (Cf. Comp., n. 208, 212, circa med. — Gury-Ballerini, t. II, n. 949, cum notis.) Excipiendi tamen tres casus quibus etiam per censuras potest in nos procedere Episcopus, scilicet : 1° Si in alienis Ecclesiis sine licentia Episcopi, aut in nostris absque *petita* illius benedictione vel non obstante *positivo* ejus dissensu prædicemus; 2° si inobedientes fuerimus in audiendis confessionibus

contra Cst. Innocentii X, *Cum accepimus* (1653); 3° si exposuerimus in Ecclesiis nostris imagines inconsueto aut scandaloso modo depictas.

In dubiis de exemptione recurrendum est non ad Metropolitam sed ad S. Sedem. (Comp. 210.)

541 II. — **A quibus participatur.** — 1° *A religiosis nostris,* etiam novitiis, dummodo domicilium habeant in domo nostra regulari ubi sex saltem actu degunt. Secus subjiciuntur cumulative prælatis Societatis et Ordinario loci, minime vero, seclusa Ordinarii voluntate, parocho, qui inde nequit in illos exercere sua jura parochialia. (Leo XIII, *Romanos Pontifices*, 1881. — P. Villada, Edit. 1885, p. 28, not. 1.) Imo ex stricta jurisprudentia SS. Congregationis super Stat. Reg. quatuor sint oporteret sacerdotes quadraginta annos nati, ad hoc ut domus non subjiciatur Ordinario. At in restrictione modo relata non comprehenduntur missionarii qui in locis missionum missionive æquivalentibus exercent salutare ministerium : hi retinent exemptionem etiamsi soli vivant. (Leo XIII, l. c. — Comp. 213.) Tandem ab eadem restrictione eximuntur ex mente S. Sedis, et ubi extensa fuit declaratio S. Pœnitentiariæ 16 aprilis 1867 ex stricto jure, regulares *dispersi* qui tres degunt in domo a Superiore designata. (Cf. Bucceroni, *Enchiridion,* p. 72.) Et extensa fuit pro Gallia a S. Congr. EE. et RR. 30 julii 1881. Ecclesiæ porro et domus a civili potestate inique suppressæ religiosique forte inibi habitantes retinent suam exemptionem. (Comp., 212, in fin.; et Santi, *Præl.*, *Can.*, l. III, tit. 38, n. 38, 39.)

2° *A familiaribus nostris.* — Ii autem sunt, qui actu nobis inservientes intra septa nostra continuum habent domicilium sub obedientia nostra. (Comp., v. *Familiares.*)

3° Utrum vero *Convictores* in nostris Collegiis participent exemptionem controvertitur. Affirmativam innuit Comp. Priv. (Conferas indicem analyticum ad v. *Convictores* cum locis ad quæ ibi remittitur); et tenent Pellizzari, tr. 8, c. III, n. 302; Pickler,

Jus Pract., Dec. 177; Schmalzgrueber, Cons. 32. (Cf. *Acta S. Sedis*, t. XXII, p. 298 et t. III, p. 47.) In praxi exemptionem in cæteris facilius parochus forte feret, si ipsi permittuntur exsequiæ, ut quæ ob associationem in territorio parochiæ et exemptionem a quarta funerali majus odium habent. — At minime gaudent exemptione *externi Collegiorum* qui extra collegium pernoctant : hi enim dici nequeunt perpetuo commensales. Excipe quoque convictores dum *in feriis* non sunt jam sub nostra obedientia.

Nec participant *hospites* transeunter ad domos nostras divertentes; et quamvis ad ultima sacramenta quod attinet, privilegium speciale probabile est nos habere, eo uti prohibet Compendium nisi in casu urgenti quo nequit adiri parochus.

II

AD PŒNITENTIAM PERTINENTIA

1° *Quoad casus reservatos.*

a) A casibus Episcopo *a jure* reservatis, absolvere possunt 542
omnes Nostri quibus datur facultas audiendi confessiones. (Comp., n. 6.)

b) A casibus Sedi Apostolicæ a jure *simpliciter* reservatis, omnes Superiores et hi quibus communicaverint.

c) A casibus S. Sedi *specialiter* reservatis, Provinciales et Superiores facultatibus Provincialis utentes, necnon ii quibus, doctis et discretis, ipsi communicaverint (Comp., n. 4) : exceptis absolutione complicis in peccato turpi, falsa accusatione sollicitationis, perduellione et invasione in pontificiam ditionem; excipitur etiam hæresis apostasiaque a fide et schisma, si reus ex locis fuerit ubi exercetur S. Officium (nisi deliquerit in locis missionum in qui-

bus impune grassantur hæreses), vel si judicialiter abjuraverit (nisi, natus in locis ubi impune grassantur hæreses et illuc post abjurationem reversus, relapsus fuerit).

d) A casibus *sibi ab Episcopo* (loci ubi audiuntur confessiones) *reservatis*, ii qui ab eodem hanc habent facultatem. Hi casus vulgo dicuntur *Synodales*.

e) Quoad censuras quibus quis *per specialem* sententiam innodatus esset, is remittatur, prout de jure, ad suos judices.

Hæ vero facultates omnes valent *pro foro interno tantum* (Comp., 4) : possunt tamen exseri extra confessionem (quoad censuram, non quoad peccatum), juxta S. Alphonsum (l. VII, n. 126). Id tamen non probabant P. Laynez et P. Borgia, attenta tunc « intentione S. Sedis » (*a.* 1564, 1570). [1] Moneatur vero pœnitens absolutionem hanc nihil sibi prodesse in foro exteriori. (Comp., ibid.)

Hactenus de sæcularibus. Quoad *Regulares* aliorum Ordinum, quilibet Nostrorum a Superioribus nostris destinati ad audiendas confessiones, possunt (dummodo isti Regulares habuerint licentiam confitendi extra suum Ordinem) eos absolvere etiam a casibus in proprio Ordine reservatis. (Comp., 11, 2.) Idem dicendum, ut videtur, de casibus *a jure* Episcopo (i. e., in præsenti, Prælato regulari) reservatis.

2° *Quoad votorum dispensationem et commutationem.*

543 *a*) In votis simplicibus etiam Episcopo reservatis, exceptis vero votis S. Sedi reservatis, dispensant et commutant Superiores locales et ii quibus ipsi communicaverint. (Comp., 110, 179.)

b) In votis simplicibus S. Sedi reservatis, Provincialis ejusve facultatibus utentes, et ii quibus discretis ipse communicaverit. (Comp., 179.) Reservata sunt S. Sedi : *Votum castitatis perfectæ*

[1] Et pari ratione responsum (*a.* 1622, 1625) : « Absolutio a censuris, commutatio, dispensatio nonnisi sacramento Pœnitentiæ, auditis confessionibus, a Nostris fieri debentur. »

(non autem votum virginitatis, temporaneæ castitatis, nec votum non nubendi, aut vovendi castitatem; nec votum metu extortum, aut conditionatum de futuro, etiamsi verificetur conditio); *votum ingrediendi religionem* stricte dictam i. e. in qua fit professio solemnis (non autem votum ingrediendi religionem votorum simplicium, nec votum disjunctivum, scilicet de religione *aut* de alia re); *tria vota peregrinationis.* (De quibus cf. Comp., 179, 110. — Villada, n. 188.) Insuper Nostri habent facultatem dispensandi in juramentis; et quia, juxta probabiliorem apud S. Alphonsum (l. III, n. 259), *juramenta* castitatis, religionis, etc., non sunt reservata (nisi quando votum includerent), hæc potestas communicatur a Superioribus localibus. Et potest exseri hæc facultas etiam extra confessionem. Sed ab hoc privilegio excluduntur juramenta et vota in quibus ageretur de præjudicio tertii; necnon vota aut juramenta quæ propria sint alicujus Communitatis, Collegii, Congregationis aut Ordinis. Insuper si agitur, quoad votum ingrediendæ religionis *determinatæ*, de commutatione unius Ordinis in alterum, non fiat hæc commutatio in ingressum Societatis, nisi a Provinciali cum magna consideratione et monito postea Generali; aut eadem ratione, ab illo cui forte in casu aliquo communicaverit Provincialis. (Comp., 116.) Et hæc commutatio tum demum locum habebit, si subjectum intraverit Societatem et in illa perpetuo famulari Altissimo promiserit. (Comp., 115). [1]

3° *Quoad restitutionem juris petendi debitum.*

a) Si inhabilitas proveniat ex voto castitatis simplici ante matri- 544
monium emisso, aut etiam post (dummodo non fuerit emissum ex mutuo consensu), restituunt jus Provinciales, et ii quibus ipsi commiserint, admonito tamen pœnitente, ut si conjugi supervivat, servet votum. Ita ex Comp., n. 181.

[1] De causis et modo dispensandi in votis, cf. Zitelli, *De Dispensationibus matrim. Romæ*, 1887.

b) Si inhabilitas proveniat ex affinitate cum conjuge ob copulam incestuosam post matrimonium habitam, restituunt jus Superiores locales, et ii quibus communicaverint. (Comp., n. 182.)

4° *Quoad irregularitates.*

545 Possunt Nostri, ex communicatione Superioris, dispensare cum sæcularibus sive ad suscipiendos sive ad exercendos Ordines, in omnibus irregularitatibus *occultis*, sed pro foro interno tantum : et id quidem sine exceptione (sed solum in actu sacramentalis confessionis), dum sacris missionibus aut publicis exercitiis tradendis incumbunt (Comp., 174, 175) : extra hujusmodi vero missiones aut exercitia, excipitur irregularitas orta sive ex homicidio per industriam et per insidias, sive ex procuratione abortus fœtus animati. [1]

5° *Quoad abstinentiam.*

546 Super esu carnium, ovorum et lacticiniorum, tempore jejunii, præsertim quadragesimæ, externos dispensare possunt Nostri ex communicatione Superioris. (Comp., 176, 177.) Non autem extenditur privilegium ad *jejunii* dispensationem; (familiares tamen, et probabiliter convictores, potest *Superior* etiam a jejunio dispensare); bene vero, ex benigna interpretatione, ad abstinentiam etiam dierum non jejunii. (P. Villada, n. 205.) Et potest exerceri extra confessionem.

6° *Quoad litteras Pœnitentiariæ.*

547 Si inscribantur : *Discreto viro confessario ex approbatis ab Ordinario*, quilibet confessarii approbati eas aperire, auditisque

[1] Exceptio hæc *deduci* videtur ex Comp. 165, in fine; ipsa tamen non admittitur a P. Villada. *De Conf. NN.*, n. 169.

fidelium ad ipsos recurrentium confessionibus, exsequi possunt, etiam sine deputatione Superioris; si vero inscribantur : *Magistro in theologia* vel *decretorum Doctori*, omnes Superiores actu approbati ab Ordinario loci in quo exsequendæ sunt, et alii confessarii (etiamsi magisterii vel doctoratus aut aliis gradibus insigniti non sint), quos ipsi ad id deputaverint. (Comp., 129, 130.)

Cum sæpe difficile distinguatur, sive in gratia impetranda, sive in gratia exsequenda, id quod pertinet ad validitatem dispensationis, in genere dici potest prudenter agere confessarium qui et varias circumstantias in suis litteris sedulo Pœnitentiariæ aperiet, et clausulas in rescriptis Pœnitentiariæ contentas adamussim observabit.

III

EUCHARISTIA UT SACRAMENTUM

De Eucharistia *asservanda, distribuenda* et *exponenda,* cf. supra, n. 410. 548

Eucharistiæ vero *deferendæ* communicatur facultas pro locis ubi hujusmodi licentia a S. C. de Propaganda fide tribui solet, et quidem « occulte, sine lumine, si ab hæreticis aut infidelibus sit periculum sacrilegii. » (Comp., 204.)

Utrum vero extra hæc loca possimus deferre Eucharistiam secreto (non sane viatici sed devotionis causa) expendit accurate P. Mélot. (n. 216, sqq.) Ex quo hæc videntur tenenda : 1° Hospitibus in domo nostra ægrotantibus (extra periculum mortis) licet. 2° Extraneis *in sua domo* ægrotantibus, quando in ipsorum oratoriis domesticis legitime celebratur, videtur licere, si distribuere liceat communionem in ipso oratorio. Attento porro Compendio Priv., n. 198, tunc maxime supponendum est non licere in oratorio cum id prohibetur statuto particulari particularive consuetudine. Hoc tamen casu cf. indultum concessionis. 3° Extraneis

per plateas secreto deferre videtur licitum, ubi S. Communio ita secreto deferri solet, nisi de Regularibus specialis exstet prohibitio Ordinarii. Hac enim in re jus exclusivum parochorum descendit non tam ex delatione quam ex solemnitate delationis. Nihilominus, cum praxis sit facile querelis obnoxia, imo aliquando disciplinæ religiosæ non satis consona, Superiorum judicio unusquisque haud ægre acquiescet.

IV

EUCHARISTIA UT SACRIFICIUM

1° *Quoad tempus.*

549 Possumus celebrare duabus horis ante auroram aut post meridiem, *etiam in ecclesiis alienis; in nostris ecclesiis,* justam aliquam ob causam, nos et sacerdotes sæculares celebrare possumus duabus horis post mediam noctem et tribus post meridiem. Communicatur per Superiores. (Comp., 409, 410.)

Media vero nocte, in Nativitate Domini, non licet, secluso indulto aut forte consuetudine, celebrare missas privatas, imo solemnem aut conventualem nonnisi unam. Concessum fuit, 12 mart. 1882, Provinciæ Castellanæ privilegium, pro omnibus Provinciæ sacerdotibus, incipiendi missas media nocte Nativitatis, et distribuendi communionem assistentibus, dummodo in domo plures Societatis alumni morentur, et præscriptis cautelis ne aliquod oriatur inconveniens. Rescriptum S. C. EE. et RR. refert ex integro P. Villada, n. 166. Utrum illud privilegium participent aliæ Provinciæ, dubium, ait Cl. Auctor, inde venit quod sit res quæ non facile conceditur, et non nisi post varias consultationes. Est igitur paululum specialis et exhorbitans. (Cf. supra, Part. I, hujus app., § 1, n. 3.) Aliunde tamen animadverti posset tum in precibus tum in ipso rescripto nullam causam aut modum

afferri qui Castellanæ Provinciæ sit specialis ; sed et causa allegata in omnibus fere Provinciis verificatur (scilicet commoditas sacerdotum ubi plures adsint, præsertim sacris ministeriis distracti) ; et modus præscriptus observari valet (scilicet, ut fiat cum debitis cautelis). Interea ad Provincialem attinet judicare utrum possit et expediat suæ Provinciæ extensionem fieri, juxta ea quæ habet Comp., n. 101.

2° *Quoad locum celebrationis.*

In ecclesiis nostris oratoriisque domesticis, etiam prædiorum, 550
legitime erectis, celebrare possunt, nulla admissa dierum numerive missarum aut assistentium limitatione, sacerdotes sive nostri sive extranei. (Comp., 400.) Insuper et Nostri in altari portatili ubi juxta infradicenda legitime erigitur. (Comp., v. *Altare*). At in oratoriis domesticis privatorum id solum possumus quod in indulto concessionis hujus altaris in individuo conceditur, servatis dierum, horarum, numeri sacrificiorum, qualitatisque adstantium conditionibus in indulto præscriptis. (Comp., 403.) Excipe tamen : in *itineribus,* ex quacumque causa, pro quovis temporis spatio, pro quibusvis negotiis, etiam ad solatium susceptis, celebrare possumus in oratorio domestico privato, sine præjudicio privilegii Indultarii et quin requiratur ejus aliarumve familiæ suæ personarum præsentia. Et nominatim recensetur tempus quo exercitia traduntur aliave habetur continuata prædicatio. (Comp., n. 403, coll. cum n. 439.)

3° *Quoad altare.*

Inter missiones, presbyteri nostri altare viaticum erigere 551
possunt :

a) Unum in domo privata ubi habitant tempore missionis, certiorato de hac facultate Ordinario loci ;

b) Ubique gentium, in castris etiam militum, cum debita reverentia tamen, et in loco, quamvis profano, tuto et honesto.

Communicatur per Provincialem; et communicata facultate utantur moderate Nostri, et quidem soli. (Comp., 27, 28.)

Insuper pro locis Missionum exterarum, cf. infra, ubi de *modo celebrandi*. Quoad cubiculum Nostrorum infirmorum, cf. Comp., 33. De jure Episcopi concedendi altare viaticum in casu transeunti gravis necessitatis, cf. Gattico, op. *De Altari portatili*, c. XIII, n. 13, sqq. — S. Alphonsum, l. VI, n. 356, sqq. — At in contrar. S. C. Rit., 1 febr. 1847.

4° *Quoad modum celebrandi* [1].

552 1° Missa *de Requie* simpliciter lecta, corpore alicujus e NN. præsenti, et adstante communitate, æquiparatur missæ solemni in parochialibus, præsente cadavere, cantatæ. Hinc dicitur sub ritu duplici; et potest celebrari quotidie, exceptis diebus Nativitatis, Epiphaniæ, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, Corporis Christi, SS. Petri et Pauli, Assumptionis, Omnium Sanctorum, Patroni Principalis, Titularis et Dedicationis Ecclesiæ, Triduo Mortis Domini, festis magni concursus et festis primæ classis de præcepto, imo exceptis festis primæ classis sine præcepto, si corpus licet insepultum, non sit præsens. (Comp. Priv., 407. — Comp. Cæremon. Anicii, 1873, p. 12.) Ubi transfertur *solemnitas*, v. g. pro Epiphania, in Gallia, prohibetur missa de Requie solum

[1] Refert Compendium Privilegiorum indulta duo de missa legenda sive a Nostris in ecclesia aliena (n. 404), sive ab extraneis in nostra (n. 405). At his omissis jam standum est decreto generali S. Congr. Rituum, diei 9 dec. 1895 (cf. in *Actis S. Sedis* vol. XXVIII, p. 308), quo novæ prorsus hac in re inducuntur normæ. Sive igitur sermo sit de Nostris in ecclesia aliena, sive de extraneis in nostra, hæc in posterum videntur tenenda.

1° *In ecclesiis oratoriisve publicis, a.*) Si ritus fit ibidem duplex aut duplici superior, semper et nulla facta exceptione, dicenda est, etiam a Regularibus, missa (et quidem, si exstet, propria) sive Sancti sive Beati de quo in dicta ecclesia vel oratorio celebratur, quamvis forte color utriusque officii sit communis. Quod de Sanctis et Beatis dicitur, id ad mentem Decreti intelligendum videtur etiam de mysteriis aut dominicis, et quod de missali proprio Regularium, id quoque de missa huic forte ecclesiæ oratoriove sæculari propria. — *b.*) Si ritus fit duplici inferior liberum est utrique celebranti dicere missam de feria, aut de requie vel votivam, nisi obstent regulæ liturgicæ (uti pro dominicis et pro temporibus privilegiatis). Potest quoque tunc sacerdos extraneus celebrare missam suo calendario conformem; et hæc in casu non more votivo, sed suo

die qua hæc solemnitas celebratur. (Cf. S. C. Rituum, in Quebecen. 6 martii 1896; et *Revue théologique française*, 1re année, pp. 277 et 481.) Hactenus de privilegio nostro ejusque interpretatione. At jam, post decretum generale S. C. Rit. 19 maii 1896 (*Acta S. Sedis*, vol. 29, p. 62), in jus commune transiit « missas privatas de Requie, præsente, insepulto, vel etiam sepulto non ultra biduum, cadavere, fieri posse die vel pro die obitus, aut depositionis; verum sub clausulis et conditionibus, quibus, juxta Rubricas et Decreta, missa solemnis de Requie iisdem in casibus decantatur, » ac proinde sub ritu duplici, et exceptis diebus supra enumeratis.

2° *Symbolum Nicæni* recitatur in missis nostrorum Sanctorum, 553
exceptis tribus SS. Martyribus Japonensibus. (Comp. 406.)

3° In locis ubi similes licentiæ conceduntur a S. C. de Propaganda Fide, possunt Nostri, ex communicatione Superioris, celebrare bis in die, in altari portatili, sine ministro, sub diu et sub terra, in loco tamen decenti, etiamsi altare sit fractum vel sine reliquiis Sanctorum, præsentibus hæreticis, infidelibus, schismaticis, excommunicatis, dummodo minister non sit hæreticus aut excommunicatus, ac aliter celebrari nequeat. Causæ vero urgentissimæ, quas ad bis celebrandum postulat privilegium, sunt causæ similes, nec graviores, his quæ in jure communi requiruntur ad concedendam binationem. (Comp., 412.)

proprio, dicenda est. (S. C. Rit. in Basileen. 14 Mart. 1895. — Et cf. *Revue théologique française*, 1896, p. 351.)

2° *In oratoriis privatis*, etiam Regularium, nil innovatur. Stabit igitur semper celebrans suo proprio calendario (nisi forte fiat de patrono loci oratorii). Cf. De Herdt, *Sacræ Liturgiæ, Praxis*, Ed. 9., t. I, n. 100. At capella *principalis* Collegiorum, Seminariorum, etc., quamvis forte stricto sensu non sit publica, *hac in re* ut publica haberi debet. (S. C. Rit. in Rhuten. 22 maii 1896. — Cf. *Revue théologique française*, 1896, p. 349. — *Nouvelle Revue théologique*, T. 28, p. 436.)

3° Quamvis ex dictis missa aliquando sumenda sit de missali Regularium apud quos celebratur, non sunt tamen usurpandi Ritus huic forte Ordini proprii (uti v. g. Ordini Prædicatorum); sed retinendus Romanus.

4° Privilegium celebrandi de nostris Beatis in alienis ecclesiis (de quo Comp. n. 404), non amplius nobis suffragatur, nisi in his ecclesiis fiat officium duplici inferius. Indultum enim nostrum non erat aliud quam extensio, de Sanctis ad Beatos, juris communis quod ex dictis immutavit S. Congregatio.

4° Missionariis locorum ubi degunt catholici diversorum rituum Orientalium, licet celebrare supra altaribus et cum sacra supellectili horum rituum propria, ubi talia desunt ritus latini; necnon in monte Libano pronunciare in lingua arabica verba quibus Eucharistia populo distribuitur; et in Oriente eis licet dare pacem etiam in missis privatis. (Comp., n. 486.)

5° *Quoad utensilia sacra.*

554 1° Corporalia, sacras vestes, aliaque utensilia, in quorum benedictione non intervenit unctio sacra, benedicere possunt, pro usu suarum ecclesiarum oratoriorumve, omnes Superiores aliique sacerdotes quibus ipsi communicaverint. (Comp., 60, 61.) Imo in locis missionum Compendium communicat facultatem omnibus missionariis. (n. 59.)

2° Calices, patenas, et altaria portatilia (i. e. *lapides sacros*) cum oleis ab Episcopo benedictis consecrare possunt Superiores, ubi Episcopi vel non sint, vel distent ultra duas dietae (i. e. quadraginta milliaria) vel Sedes vacet. At non communicatur nisi pro locis ubi C. de Prop. Fide similem facultatem solet concedere. (Comp., 62, 63.)

3° Laici quamdiu curam sacristiæ habent, vasa sacra, corporalia et purificatoria nudis manibus tangere possunt. Communicatur per Superiorem. (Comp., 487.) Quidam auctores extendunt facultatem laicis mendicantibus omnibus, maxime ad servitium missæ deputatis, et cuilibet clerico, quamvis forte tantum tonsurato. Cf. Ferraris. v. *Vasa sacra.*

6° *Quoad sacras ædes.*

555 1° *Ad erigendam* ecclesiam publicam requiritur copulative consensus expressus, saltem factis, prius obtentus, tum Episcopi loci tum S. Sedis. (Cf. quæ habentur in Comp., n. 17, 90, et auctores

locave ibi alleg.; et Pium IX, ad Archiepiscopum Parisiensem, 26 oct. 1865.) Utrum vero obtenta facultate ædificandi domum, requiratur insuper specialis licentia ad construendam ecclesiam, cf. P. Oswald disputantem, n. 220 : qui negat hoc dilemmate innixus : aut ecclesia et domus habentur inadæquate ut unum, cum ecclesia sit pars quasi connaturalis cœnobii, et tunc licentia pro domo includit licentiam pro ecclesia; aut utraque sunt juridice distincta, et tunc disciplina Tridentina ex eo quod requirat licentiam pro domo, non inde eam reddit necessariam pro ecclesia.

Possumus erigere etiam intra 140 cannas ab ædificiis aliorum Mendicantium, non obstantibus eorum privilegiis. (Comp., 17.) De causis juste negandi consensum et de parocho audiendo, cf. Pignatelli, t. I, *Cons.* 179. Icard *Prælectiones* 1859, n. 419, sqq.; at in oppos. Bouix, *de Jure Regularium*, t. I, p. 268, sqq. et PP. Bollandiani *Examen libri Verhœven,* p. 497, sqq.

2° *Consecrari aut benedici* possunt Ecclesiæ nostræ a quolibet Episcopo de sententia tamen Ordinarii loci (Comp., 187); imo *benedici* a quolibet Superiore nostro (quod et de oratoriis cœmeteriisque nostris valet). At monet Compendium ne fiat publice, nec nisi cum Ordinarius abesset aut gravate faceret (n. 59). Regulariter vero oratoria publica et cœmeteria debent accipere benedictionem quæ dicitur *consecrativa.*

3° *Reconciliare* possunt Ecclesias et oratoria Superiores cum aqua ab Episcopo benedicta : imo in casu necessitatis aut si Ecclesia non fuerit *consecrata*, cum aqua simpliciter, non ab Episcopo, benedicta. Eadem tamen adhibeatur moderatio in praxi ac supra pro benedictione. (Comp., 58, 59.)

V

HORÆ CANONICÆ

556 1° *Ordinandæ* sunt horæ canonicæ juxta novissimam recensionem calendarii nostri perpetui a Leone XIII, 6 dec. 1888 approbatam, et quæ invenitur in Instituto, t. III, app. 1, p. 70, sqq. In illo adaptando ad calendarium particulare cujusque Provinciæ præ oculis habendæ sunt animadversiones ibidem in fine positæ, necnon missæ et officia aliave indulta recentius Societati concessa.

2° *Horas matutinas postponere* missæ, justa de causa, quilibet e nostris sacerdotibus potest, et in dubio Superior cum illo dispensare valet. Matutinas et laudes diei insequentis *hora secunda* post meridiem recitare possunt justa de causa : talis autem censetur quam Superior confessariusve approbat. Insuper facultatem facere possunt Superiores horas uniendi aut decidendi. (Comp 317, sqq.) Quæ omnia, ut patet ex disputatis apud auctores, sunt ad cautelam.

3° *Commutare* sibi possunt, ob legitimum impedimentum, recitationem breviarii in recitationem rosarii aliasve preces ii quibus Provincialis indulserit, interpretando tamen illud impedimentum strictius quam latius. (Comp., 117, 118.) Insuper commutare eamdem obligationem simili ratione possunt Superiores et ordinarii confessarii infirmis; necnon missionariis in actu missionum, itinereve ad illos, et in Exercitiis, novenis, triduis aut qualibet continuata prædicatione; et tandem subditis in pietatis sacrarumve litterarum studio aut caritatis operibus detentis. Notandum tamen est quod, attento saltem tenore ipso privilegii, quoad hos ultimos (i. e. qui ratione non infirmitatis aut laborum missionis, sed aliarum occupationum a Superiore aut confessario dispensantur) determinatur in Comp. in quasnam preces debeat fieri commutatio.

(Ibid., n. 117.) At cf. in eod. Comp., n. 176, 177, potestatem quasi episcopalem Superioris relate ad dispensationes. *Cf. n. 566.*

4° *Auxiliares clerici* in nostris Collegiis vel convictibus, durante munere, in officio divino et missa se plane Nostris conformare possunt. (Comp., 322 et Inst., t. III, app. I, p. 17.)

5° *Exercitantes extranei*, sæculares sive regulares, atque etiam beneficiati, qui sub directione Nostrorum Exercitia ubilibet peragunt, sequi possunt officium *loci ubi peraguntur Exercitia,* si *in communi* horas recitent. (Comp. 321.)

IV

BENEDICTIONES, CRUCES, ROSARIA, SCAPULARE

1° *Benedictiones.*

1° In nostris ecclesiis benedicere possumus, servatis consuetis 557
solemnitatibus, palmas, candelas, cineres, comestibiles, aliave quæ non sunt de juribus parochialibus; eaque distribuere; necnon, nisi obstet consuetudo aut statutum synodale, benedicere mulieres post partum. (Comp. 64, 65.) Quænam sint de juribus parochialibus, cf. in decreto S. C. Rituum, 10 dec. 1703, v. g. apud Ferraris ad v. *Confraternitates* art. 2, vel apud Benedictum. XIV. *Instit. Canon.,* 105, n. 92, sqq. Benedictiones porro fiunt a sacerdote induto superpelliceo et stola coloris diei, nisi pro aliqua benedictione color specialis indicetur.

2° Formulis benedictionis Nostri uti possunt, de quibus certo constet eas fuisse probatas a S. R. C. pro locis particularibus, quamvis forte non reperiantur in rituali romano. (Comp., 77.)

3° *Aquam S. Ignatii* juxta formulam a Pio IX approbatam possunt benedicere omnes nostri sacerdotes; iique extranei, de consensu Ordinarii, quibus P. Generalis aut Superiores nostrarum Missionum communicaverint. (Comp., 69.)

2° *Cruces secus vias.*

558 Has nostri missionarii benedicere possunt et erigere, in fine aut decursu missionum quæ ab ipsis peraguntur (formula tamen in rituali præscripta aut a S. Sede approbata). (Comp. n. 70.)

Tali cruci, ipso erectionis facto, affiguntur hæ indulgentiæ : — *a*) una mensis decembris die, *indulgentia plenaria,* ordinariis sub conditionibus, Christifidelibus, qui ante illam tribus saltem vicibus, quolibet mense, ter orationem dominicam et salutationem angelicam cum *Gloria Patri* recitaverint, in honorem trium horarum agoniæ Christi; — *b*) *indulgentia quinque annorum,* semel in die, omnibus qui ante illam, corde saltem contrito, ter *Pater, Ave, Gloria,* eadem intentione, recitaverint. — *c*) Insuper qui intersunt erectioni, lucrantur indulgentiam *tercentum dierum*; et ii qui conditiones ordinarias expleverint, *plenariam,* in die anniversaria erectionis, aut, si hæc incidat in diem ferialem, dominica proxime sequenti. (Comp. 348, cf. Summ. Indulg.) — *d*) Quamvis vero non relata in Summario, adnectitur quoque cruci indulgentia centum dierum, omnibus crucem missionis visitantibus, et fundentibus quamlibet orationem, per rescriptum Pii IX, 19 jan. 1851, concessa. (Inst., t. III, app. I, p. 18.) Et hæ omnes, excepta ultima, possunt defunctis applicari.

3° *Rosaria, coronæ, cruces, numismata, parvæ statuæ.*

559 Eis Superiores, horumque communicatione Patres ad sacras missiones, exercitia, verbum Dei prædicandum excurrentes, necnon unus alterve sacerdos in unaquaque domo[1], benedicere et

[1] Secunda editio hujusce Compendii referebat declarationem quamdam sub nomine P. Reynaud, Provincialis Lugdunensis, dec. 1868 (pag. 454, not.), ex qua permissum fuerat ut omnibus Patribus domesticis communicaretur hæc facultas. At videtur illa communicatio, etiamsi supponatur adhuc vigere, non fuisse nisi particularis huic Provinciae.

Exstat in archivo Domus Tertiæ Probationis Castrensis exemplum duorum Indultorum quæ sic se habent :

« Beatissime Pater, Præpositi Provinciales Societatis Jesu in Gallia, ad pedes Sancti-

applicare possunt *indulgentias apostolicas;* et, quoad coronas, indulgentias S. Birgittæ.

Eæ indulgentiæ nequeunt applicari imaginibus, typis aut colore impressis, aut depictis; *crucibus, statuis parvulis,* stanno, plumbo, vitro insufflato, aliave materia fragili confectis : at bene possunt applicari *rosariis, coronisque,* stanno etiam, plumbo, vitrove solido confectis. Nec, quoad cætera, excluditur lignum solidum, ebur, ferrum aut quæ vulgo dicuntur *corail, nacre, ambre jaune, émail, albâtre;* imo nec *carton-pierre.* Insuper debet numisma repræsentare, saltem in una facie, Sanctum canonizatum, aut in martyrologio aliquo rite probato descriptum; quamvis in alia facie, possit repræsentare aliquem Beatum, aut personam aliquam illustrem aut piæ memoriæ, ut Summum Pontificem, parochum loci dicti *Ars,* etc.

In crucifixo indulgentia adhæret *Christi effigiei;* in coronis autem, *granis,* ac proinde perseverat catena rupta, aut etiam granis permixtis [1]. Indulgentias nequit lucrari nisi illa persona cui

tatis Vestræ provoluti, enixe deprecantur ut Beatitudo Vestra dignetur concedere : 1° Benedictionem specialem pro hominibus, operibus et missionibus illarum Provinciarum; 2° Facultatem sacerdotibus et missionariis officium matutinum et laudes sequentis diei recitandi hora secunda post meridiem toto anno, accedente justa causa; 3° Indulgentiam centum dierum cuilibet oranti coram imagine uni SS. Cordis Jesu et altera Beatissimæ Virginis Mariæ in unaquaque domo earumdem Provinciarum Societatis Jesu, recitando salutationem angelicam tribus vicibus. — *Fiat Pio IX, 23 aug. 1853.* Concordat cum originali quod in archivo Romano asservatur. » Et habetur sigillum Provincialis Tolosani.

« Sa Sainteté Pie IX est humblement suppliée d'accorder à perpétuité 100 jours d'indulgence à tous ceux qui, dans une des maisons de la Compagnie de Jésus, en France, passant devant un tableau ou statue représentant Notre-Seigneur, la Très Sainte-Vierge, saint Joseph, un Saint ou un Bienheureux de la Société, statue ou tableau désigné par le Supérieur, l'honoreraient d'une courte prière, ne fut-ce que d'une simple oraison jaculatoire. Die 15 dec. 1865. — Ecrit de la main de Pie IX : *Pro gratia in forma Ecclesiæ consueta. Pius PP. IX.* » Et additur hæc declaratio : « Les indulgences ci-dessus mentionnées ne peuvent s'appliquer qu'à un seul des tableaux, images, statues représentant Notre-Seigneur, la Très Sainte-Vierge, saint Joseph, un Saint ou un Bienheureux de la Compagnie. La faveur pontificale ne s'étend pas aux autres tableaux, images, statues qui, dans chacune de nos maisons, peuvent représenter ces mêmes sujets. »

[1] Cf. P. Beringer, *Les Indulgences* (Paris, Lethielleux), t. I, p. 332. At ex eo quod benedicti jam rosarii grana permixta non amittunt indulgentias, perperam concludes posse, *antequam conficiatur* rosarium, grana permixtim benedici, e quibus postea texatur corona.

res fuit definitive applicata (v. g. post successivam distributionem). Facto commodationis alteri præstitæ, tunc solum amittuntur, cum ea intentione commodantur *ut ille alter lucretur indulgentias.*

Indulgentiæ S. Birgittæ possunt indifferenter applicari coronæ quinque, sex, decem aut quindecim decadum; at prout usurpatur in recitatione modus quinque decadum, aut modus sex decadum (constat decas decem *Ave*, et uno *Pater* et *Credo;* et in fine *sex* decadum coronæ adduntur *Pater* et tres *Ave*) diversæ sunt indulgentiæ quæ percipiuntur : in neutro recitandi modo requiritur meditatio mysteriorum.

Pluribus simul rebus possunt applicari *indulgentiæ apostolicæ et S. Birgittæ :* et quidem unico signo crucis, cum intentione ducto; at idem non dicendum est de aliis indulgentiis, quales essent, v. g. *Rosarii S. Dominici*. Imo sæpe expediet ad ædificationem ut ipsæ Apostolicæ et S. Birgittæ applicentur modo in benedictionibus juxta rituale consueto.

Jam ut quis indulgentias apostolicas consequi valeat, debet : 1° aliquod ex objectis enuntiatis secum habere, vel in loco decenti suæ habitationis retinere; 2° aliquam orationem præscriptam *vel* aliquod ex piis operibus determinatis complere : cum vero de recitanda oratione agitur, si quis objectum benedictum non secum deferat, sed apud se retineat, debet talem orationem coram eo recitare.

Harum indulgentiarum catalogum, et orationes vel opera pia tanquam conditiones pro illis lucrandis præscripta, reperies in Comp. Privil. 356 et 357; cf. quoque P. Beringer, *Les Indulgences,* t. I, p. 326 et sqq.

4° *Scapulare de Monte Carmelo.*

560 1° Privilegio *generali* induendi fideles sacram vestem *scapularem B. M. V. de Monte Carmelo,* non potitur Societas. In locis tamen ubi non habetur conventus PP. Carmelitarum, gaudet facultate commutandi obligationes jejuniorum, abstinentiarum,

recitationis officii, ad indulgentiam sabbatinam lucrandam impositas. Sacerdotes nostri pro communicatione hujus privilegii recurrant ad P. Generalem. (Comp. 490.) De cætero grave impedimentum ipso facto dispensat ab officio et abstinentia. Non autem videtur probanda commutatio præsertim perpetua, pro quovis levi futilive prætextu.

2° Qui obtinet a Generali Carmelitarum facultatem personalem induendi Christifideles Scapulari (per Procuratorem generalem nostrum de licentia respectivi Provincialis petendam) obtinet simul plerumque, quamvis non ipso facto, privilegium commutandi supradictas obligationes, aggregandi ad confraternitatem D. N. Montis Carmeli, admittendi ad participationem spiritualium S. Carmelitanæ Familiæ bonorum, et impertiendi Confratribus indulgentiam plenariam in articulo mortis. Attendendum igitur tenori concessionis. Porro id omne (præter ultimum) in formula receptionis habetur peractum. (Cf. de obligationibus privilegii Sabbatini varia responsa S. C. Indulg. 3 dec. 1892, in ephem. *Nouvelle Revue Théologique,* t. XXV, p. 260, et commentatorem ibid.)

3° Scapulare de Monte Carmelo inter illa numeratur quæ alicui Confraternitati adnectuntur : hinc nequit fidelis haberi ut legitime illo indutus, nisi simul sit confraternitati aggregatus, quod requirit P. Beringer etiam ad participandum privilegium liberationis ab incendio æterno. Hodie porro ad legitimam et, ut videtur, validam aggregationem necessaria est, præter facultatem aggregandi, *inscriptio nominis,* proximiori confraternitati monasteriove Patrum aut Sororum Carmelitarum transmittendi. (Ita S. C. Indulg. 27 apr. 1887, revocans indultum generale quo ab inscriptione exemerat Gregorius XVI, die 30 apr. 1838.) Hæc tamen revocatio attingere non videtur *specialia* hac de re indulta, ut deducere licet ex responsis ejusdem S. Congregationis de speciali privilegio Patrum Belgii et Neerlandiæ : quæ conferas in ephemeridibus *Nouvelle Revue Théologique,* t. XXV, p. 137. Qui tamen tali privilegio gauderent inscriptionem, quantum possit fieri, non

omittant, ne confratres in obitu suffragiis priventur. (S. C., ibid.)

3° Non potest amplius benedici et imponi hoc scapulare unica formula cum aliis. Et indulta hac de re concessa omni vi destituuntur saltem a mense aprili 1887. At possunt benedici plura simul de Monte Carmelo scapularia; imo licet sacerdoti, in impositione scapularium, omnibus rite peractis, dicere semel numero plurali formulam : *Accipite fratres, vel sorores,* etc., imponendo successive et sine interruptione scapulare omnibus præsentibus, quin sit necesse formulam numero singulari repetere. (*Acta S. Sedis*, t. XXIII, p. 637.) Insuper satis est si uni tantum humero, et non circa collum, scapulare imponatur. (S. C. Ind., 26 sept. 1892, *Nouvelle Revue,* l. c.)

N. B. — Facultatem applicandi crucibus indulgentias *Viæ Crucis* non habemus nisi ex indulto personali quem quis reciperet a PP. Sancti Francisci. Notandum porro quod in pagella qua confertur hæc facultas, ordinarie legitur : « Advertendum hanc facultatem tantum extra Urbem valere, et in iis locis ubi conventus Fratrum nobis subjectorum non habetur. » Ubi porro sigillum ita habet *Minister Generalis totius Ordinis S. Francisci.* comprehendunturne PP. Capuccini? — Respondit porro P. Procurator generalis Societatis die 18 nov. 1893, et P. Substitutus Galliæ die 21 nov. 1893, *negative,* cum habeant Capuccini suum proprium Ministrum Generalem, sed comprehendi solos 1° Minores observantiæ, 2° Minores observantiæ reformatæ, 3° Recollectos, 4° Religiosos S. Petri de Alcantara.

VII

INDULGENTIÆ

1° *Indulgentiæ a Nostris lucrandæ.*

561 1° Præter indulgentias Societati directe concessas, Societas plenam habet communicationem indulgentiarum hactenus concessarum et in futurum concedendarum quibuslibet Ordinibus, etiam non mendicantibus, necnon Monasteriis, Piisque Locis, etc. Quod intelligas juxta regulas communicandi superius in art. 1. hujusce appendicis relatas. (Comp. 350.) Nobis porro fit a Societate facultas lucrandi quaslibet indulgentias quomodocumque concessas aut concedendas. (Comp. 358.)

2° Quas indulgentias, sive plenarias sive partiales, concessas aut concedendas, Nostri lucrari valent, easdem applicare possunt animabus purgatorii. (Comp. 350.)

3° Ubi non habetur Ecclesia adnexa domui, possunt Nostri lucrari in oratoriis domesticis ubi asservatur Sanctissimum Sacramentum indulgentias concessas domibus ecclesiisve Societatis. Inter illas porro notandæ sunt indulgentiæ quas illa die forte lucrarentur visitando ecclesias piave loca Civitatis locive in quibus degunt. (Comp. 350, 330, 332.)

3° Ad lucrandas indulgentias, etiam partiales, saltem sibi, requiritur status gratiæ; hoc indicat formula « *Corde saltem contritus* » quibusdam concessionibus inserta, i. e. innocens aut saltem contritus. Quamvis in genere nequeant eodem numerice opere plures acquiri indulgentiæ, nihilominus si alicui operi per diem iterari non consueto (v. g. communioni, confessioni venialium) adnectuntur plures ex variis titulis indulgentiæ, omnes hæ, opere licet haud iterato, valent percipi. (Beringer, t. I, p. 70.) Imo ubi requiritur confessio, si quis solet confiteri quaque hebdomada, sufficit hæc confessio pro lucrandis indulgentiis *cujuslibet spatii septem dierum decurrentis*. Insuper nostris missionariis quibus desit copia confessarii satis est ubique gentium actus contritionis et celebratio SS. Sacrificii. (Comp. 350.)

Ubi requiruntur preces, delectus harum est ad libitum uniuscujusque, nisi quædam determinatæ assignentur : at debent esse *vocales*, exceptis moribundis impeditis et mutis. Nihilominus quidam auctores putant quod si requiritur in concessione ut oretur *per aliquod temporis spatium* non satis est oratio aliqua perquam brevissima. Certe sufficit spatium quinque *Pater* et *Ave*. Licet non sufficiat oratio mentalis, viris spiritualibus praxim optimam suggerit hæc S. C. Ind. responsio : « Laudabile quidem est mentaliter orare; oratione tamen mentali aliqua semper adjungatur oratio vocalis. » Et consonant tres B. P. Ignatii orandi modi. (Cf. Beringer, t. I, p. 70, sqq.)

Quando indulgentia assignatur diei determinatæ, tempus utile

currit a media nocte ad mediam noctem, nisi aliter expressum habeatur. (Comp. 343, coll. cum Beringer, p. 79, § 7.) Si requiritur visitatio ecclesiæ oratoriive, non est necesse ut ibi fiat communio nisi de hoc expresse caveatur. Hanc porro visitationem commutare potest confessarius religiosis senio aut infirmitate impeditis (Beringer, p. 73, not. 1); imo et Nostris alia quavis gravi causa detentis, ut deducendum videtur ex privilegio confraternitatum per communicationem. (S. C. Ind., 16 jul. 1887, in Instit., t. III, app. I, p. 61.)

4° Indulgentiæ Societati concessæ inveniuntur sive in Comp. Priv., ad. v. *Indulgentiæ,* sive in Summario authentico Indulgentiarum Societatis, in Inst., t. III, app. I, p. 46, sqq. in editione 1891, et t. I, p. 440, in editione 1892. Quo Summario notes velim præcedentia Summaria antiquari; ipsi vero addendas indulgentias post 20 januar. 1886 concessas, uti est concessio pro quinque dominicis S. Joannis Berchmans. Insuper non referuntur in Summario, nisi indulgentiæ Societati propriæ, ipsique universæ directe concessæ; non vero illæ quam permultæ sive indiscriminatim omnibus Christifidelibus tributæ, sive nobis per communicationem obvenientes : quas omnes ex supradictis in n. 1°, lucrari valemus.

562 Scholion. — *De altari privilegiato.* Duplici gaudet concessione Societas. 1° Una est *localis :* in omnibus et singulis ecclesiis Societatis, tam erectis quam erigendis, unum altare privilegiatum conceditur, pro quovis sacerdote etiam sæculari, dummodo in illa ecclesia nullum aliud adsit : per Superiorem domus designandum est, et aliud alteri, quoties opportunum judicaverit, potest subrogari (Comp., 35.) Superiores uti possunt hac designandi facultate; et id actu præstent, nam altare non designatur ipso jure. Designatum vero indicetur aliquo signo sensibili, v. g. appensa tabella. (Comp., 36.) Illud tamen signum non est necessarium ad validitatem. Altare debet esse fixum, non *viaticum :* at stylo S. C. Indulgentiarum habetur ut fixum altare quod S. C. Rituum vocaret

tantum *portatile*. Nempe ad privilegiatum altare sufficit, sed necessaria est, basis immobilis, quamvis forte lapis consecratus sit mobilis nec adhærens. Privilegium vero tunc adhæret non lapidi consecrato, sed basi. Oportet ut ecclesia vel oratorium sit saltem benedictum. (Cf. Beringer, l., c. t. I, p. 446, n. 11.) 2° Altera *personalis*. Sacerdotes Societatis ubilibet celebrantes pro anima sodalis defuncti qui aut adscriptus fuit alicui nostræ Congregationi B. M. V. aut ejus indulgentias participat (uti est *quilibet de Societate,* v. g. novitius) gaudet indulgentia altaris privilegiati. (Comp. n. 350 in fin.) Nec prætereundum eadem indulgentia, absque ulla restrictione ex parte defuncti, gaudere toties quoties et ubilibet celebret, qui *actum*, ut aiunt, *heroicum* favore defunctorum emiserit.

Porro sive sit localis sive personalis, indulgentia altaris privilegiati in hoc consistit ut, spectato usu clavium et mente Pontificis concedentis, applicetur ex thesauris Ecclesiæ animæ pro qua celebratur, quidquid necessarium est, ut statim liberetur ab omnibus purgatorii pœnis : de facto tamen applicatio mensurabitur juxta liberam divinæ misericordiæ acceptationem. At quia hæc indulgentia defuncto transmittitur *mediante SS. Sacrificio,* facilius speratur ipsius acceptatio; nec, juxta communem, applicatio pendet a dispositionibus ministri. Utrum vero ille debeat saltem esse in statu gratiæ, noluit respondere S. C. Ind. Ut vero percipiatur indulgentia dicti altaris, omnino requiritur : 1° ut diebus, quibus licet, adhibeantur paramenta nigra; cæteris vero alia adhiberi possunt; 2° ut applicetur indulgentia illi animæ, vel *uni* ex illis animabus pro quibus celebratur : quamvis enim possit *offerri missa* pro pluribus omnibusve defunctis, *indulgentia* nequit applicari nisi uni soli, et quidem pro quo, saltem inclusive, celebratur. (Cf. Beringer, p. 436, sqq. 453, sqq.)

2° *Indulgentiæ a Nostris impertiendæ.*

563 Præter indulgentias Apostolicas et S. Birgittæ, de quibus supra, possunt nostri sacerdotes concedere indulgentiam plenariam *primo conversis ab hæresi*, necnon fidelibus *in articulo mortis*, si hanc facultatem Provincialis communicaverit. (Comp., 353.)

Insuper quotiescumque quilibet e Nostris, etiam non sacerdotes, propriam suam crucifixi imaginem, quæ semel electa, nisi in eventu amissionis, mutari nequit, ad quemcumque Christifidelem in articulo mortis constitutum deferunt, hic, si vere pœnitens et confessus, ac sacra communione refectus, vel, quatenus id facere nequiverit, corde saltem contritus, nomen Jesu ore, si potuerit, sin minus corde devote invocaverit, atque imaginem illam osculatus fuerit seu tetigerit, plenariam indulgentiam consequetur. (Comp., 354.) Ab hac gratia videtur excludi imago crucifixi qua quis in Societate transeunter, non vero ut ipsi definitive applicata, uteretur; ut fit generatim pro novitiis; hoc ex ipsius concessionis tenore deducitur.

564 De indulgentia in articulo mortis lucranda notandum est in genere, eam percipi ipso momento quo anima e corpore exit, si, adimpletis antea, a momento quo incipit periculum mortis, operibus præscriptis, moribundus in ipso transitu versatur in statu gratiæ. Et quamvis habere possit ex variis titulis jus ad indulgentiam hanc, unicam tantum lucratur indulgentiam. (P. Beringer, t. I, p. 520.) Nec requiritur, per se, ut sit in statu gratiæ dum opera alia peragit, sed tantum quando animam reddit.

In specie, quoad indulgentiam quæ per benedictionis modum moribundis[1] a sacerdote idoneo impertitur, hæc non debet iterari in eodem mortis periculo, etiamsi pœnitens eam in statu peccati acceperit aut in peccatum relapsus sit; sed sicut impertiri potest

[1] A tanta gratia non excluduntur ipsi rei, ad mortem damnati, qui se ad christiane moriendum præparant. (P. Beringer, t. I, p. 511.)

omnibus quibus dari posset extrema unctio, eadem ratione iterari nequit nisi quando hæc ipsa unctio posset iterari.

Sed id non impedit quin sacerdos *intentionem* habeat impertiendi indulgentiam omnibus titulis quibus potest fieri, nec impedit quin moribundus opera ex quovis titulo requisita iteret : præterquam enim quod inde augentur ipsius dispositiones pro ultimo momento, consulitur periculo nullitatis, quod forte ob aliquod vitium solitario titulo inesset.

At formula semel tantum a sacerdote est recitanda; et quidem, ex necessitate validitatis, formula illa authentica adhibenda est, quæ in rituali aut ad calcem breviarii invenitur (nisi urgeat mors ; tunc enim dicat sacerdos : *Indulgentiam plenariam et remissionem peccatorum tibi concedo in nomine Patris,* etc.). Aliæ formulæ, olim in quibusdam Ordinibus consuetæ, præter Confr. S. Rosarii, jam antiquantur (Leo XIII, *Quo universi,* 7 julii 1882), nec *valide* amplius adhibentur. (Beringer, 514, not. 1. Et suppl. n. 33.)

Nec omittendum, ubi deficerent alii tituli, semper præsto esse indulgentiam in articulo mortis cuilibet Christifideli, qui rem benedictione apostolica munitam habeat; illive qui, per vitam nomen Jesu invocare solitus, idem in periculo mortis, corde saltem, invocaverit; necnon illi qui frequenter per vitam, actus fidei, spei et caritatis recitaverit.

Haud paucæ exstant indulgentiæ quas fideles lucrari valent 505
occasione nostrarum missionum operumve aliorum quorumdam, vel visitando, certis quibusdam diebus, nostras ecclesias. Quas vide in Comp. l. c.

Porro ut nostræ habentur, in ordine ad indulgentias visitationi adnexas, non solum ecclesiæ olim nostræ et postea restitutæ, sed etiam ecclesiæ, non quidem nobis propriæ, sed tamen Societatis *usui pleno* concreditæ, dummodo penes illas aliquot e NN. resideant et ministeria nostra propria obeant, atque ecclesiæ sint publicæ. (S. C. Ind., 18 aug. 1868, in Inst., III, app. 1, p. 30.)

Quando alicui festo adnectitur indulgentia, translato quavis legitima ratione festo cum exteriori celebratione et solemnitate,

transfertur quoque indulgentia, etiamsi forte non transferatur missa et officium : minime vero transfertur indulgentia, si non transfertur solemnitas exterior. (Cf. Beringer, opus sæpius laudatum et omnino legendum, p. 97, sqq.)

566 *N. B.* — **De Privilegio commutandi recitationem breviarii** in alias preces, propositum nuper est hoc dubium et Provincialibus Galliæ communicatum subjectum Responsum.

« Romæ, die 4 novembris 1896. — Dubium circa privilegium quod habetur in novo compendio n. 117, cui titulus *Facultas recitandi* pro Officio divino Officium B. M. Virginis.

« Variæ dantur interpretationes : 1° Alii dicunt nos habere hanc facultatem eo ipso quod sumus *in actu missionum vel in itinere ad illas* vel occupati in exercitiis spiritualibus aut qualibet alia continuata prædicatione, v. g. si quis habet stationem quadragesimalem, etsi hic labor, initio saltem, non sit adeo gravis, quotidie poterit recitationem breviarii omittere ; ideoque sufficit ut iter aggrediens secum sumat Parvum Officium B. M. Virginis, quod recitabit pro divino Officio, usque ad finem quadragesimæ ; 2° Alii putant hanc interpretationem sane legitimam esse, sed aiunt licentiam utendi privilegio petendam esse vel Superiori vel Confessario, qui in concedendo se omnino facilem præbere debet, cum adsit privilegium ; 3° Alii tandem putant Superiori vel Confessario recurrendum esse, atque adeo unumquemque debere hoc privilegio uti « caute et impedimentum stricte potius quam late interpretando.

« Hinc quæritur : 1° Utrum recurrendum sit Confessario vel Superiori ad obtinendam hanc facultatem, an hæc facultas concedatur singulis *eo ipso* quod ministerium aliquod hujusmodi ipsis committitur ; 2° Utrum possimus absque scrupulo hac facultate uti juxta latam interpretationem ; an potius « caute et impedimentum stricte potius « quam late interpretando ? »

R. « Quoniam secundum Litteras apostolicas, nullius privilegii seu gratiæ hactenus concessæ, vel in posterum concedendæ, usus potest in Societate licitus esse, nisi per solius Præpositi generalis communicationem, quæ proinde communicatio est quasi mensura privilegii pro iis quibus eo uti conceditur, sic ad propositum dubium respondendum esse visum est :

« 1° Hæc facultas cum singulis missionariis vel operariis per Superiorem vel Confessarium debet communicari : quare ad alterutrum recurrendum est. Ergo non conceditur singulis eo ipso quod ministerium aliquod ex designatis in privilegio ipsis committitur.

« 2° Non possunt Nostri hac uti facultate juxta benigniorem latioremque quam par est interpretationem, sed cautius strictiusque est interpretanda :

« Idcirco non usurpanda est, nisi quando quis missionarius vel operarius continenti aliquo labore ita impediatur ut nonnisi difficulter præscriptum Officium recitare valeat.

« L. Martin, S. J. »

ADDENDA

Ad n. 88. — « Postulatur ut in Collegiis nostris, quantum fieri possit : 1° Minuantur expensæ tum ipsius Collegii, tum alumnorum, ut facilius solvatur æs alienum, leventur parentes ab onere variarum expensarum quæ pretium pensionis nimis augere solent; 2° minui possint aliquando minervalia, et accessus ad nostra Collegia omnibus honestis familiis fiat facilior. » — Resp. : « Placet postulatum; quare videat Provincialis quid sit possibile et opportunum; et ad me referat. » (Ad Prov. Lugd., oct. 1896.) 567

Ad n. 145 et 525. — Quæ ibi dicuntur de legibus ecclesiasticis circa prohibitionem et approbationem librorum, accommodanda jam erunt novis Indicis regulis, 8 calend. februarii 1897 datis. Ex regula 26, qui a S. Sede facultatem obtinuerint legendi libros prohibitos, non ideo possunt legere libros ab Ordinario forte proscriptos, nisi in indulto concessionis expressa detur licentia legendi et retinendi libros a quavis auctoritate damnatos. Ex regula vero 35, approbatio librorum qui subjacent revisioni Ordinarii pertinet ad Ordinarium loci in quo hi libri eduntur. 568

Ad n. 243. — Ad dubium utrum munus Consultoris Provinciæ possit conjungi cum officio Magistri novitiorum, responsum fuit : « Quod statuitur in Ord. Gener., c. 1, n. 7, intelligendum proprie est de Consultoribus domus, non vero de Consultoribus Provinciæ. Id satis constat, tum ex responsis alias datis, tum præsertim ex communi et constanti consuetudine, quæ optima est legum interpres; patet enim ex ipsis Provinciarum catalogis officium Consultoris Provinciæ passim conjungi cum officio Confessarii Nostrorum vel Instructoris Tertiæ probationis vel Magistri novitiorum. Et quod attinet ad Magistrum novitiorum adhuc minor est difficultas; cum enim ipse nominatim eximatur ab ea lege, qua cavetur ne ipsi Superiores sint Confessarii Nostrorum, potest simul esse Superior Domus probationis, atque adeo ipsis consultationibus domesticis interesse ac præesse; multo magis igitur poterit interesse consultationibus Provinciæ, in quibus multo rarius accidit ut agendum sit de Novitiis. » (Ad Prov. Romanam, oct. 1896.) 569

570 *Ad n. 264.* — « Curent singuli Superiores ut ex libris in proprio archivio ad hoc destinatis, colligant monita vel statuta quæ a Generali aut Provinciali prodeunt, sæpe ea in quotidiana consideratione meditentur, opportune in subditorum revocent memoriam et urgeant exsecutionem. » (Ad Prov. Lugd., oct. 1896.)

571 *Ad n. 291.* — De formula Congregationis provincialis, c. II, n. 10, quæritur : « 1° Utrum Provincialis, si v. g. in visitandis domibus, ex suis Consultoribus solum Socium secum habeat, nihilominus in domo aliqua in qua duo vel tres inveniuntur, qui in Congregatione jus suffragii habent, de prædictis impedimentis ad plura suffragia judicare possit. — 2° Si in loco vel in urbe in qua Provincialis versatur vel ubi de impedimentis prædictis judicare ipsi opportunum videbitur, plures sunt Societatis Domus vel Residentiæ, utrum ex his omnibus vocare debeat omnes qui in singulis Domibus vel Residentiis illius loci vel urbis in Congregatione jus suffragii habent ad judicandum de prædictis impedimentis ad plura suffragia. » — R. : « 1° Omnino videtur fieri posse, quod in prima parte quæritur, si Provinciali opportunius visum fuerit in illo loco instituere judicium. Prudentia vero suadet ut non fiat, si in loco ubi Consultores sui fuerint, de his rebus tractari possit. — 2° Item videtur fieri debere id de quo in secunda parte agitur, id est, si citra incommodum fieri poterit, ex omnibus domibus quæ in eo loco sunt, ad suffragium dandum adhibeantur ii qui jus suffragii in Congregatione habent. » (Ad Prov. Austr., oct. 1896.)

572 *Ad n. 295.* — « De c. IV Formulæ Congregationis Provincialis duo quæsita sunt : 1° An in electionibus mittendorum liceat tradere schedulas albas; 2° An hoc, si fiat, officiat validitati electionis? — Ad 1^{um} respondeo non licere; non enim licet Patribus Congregatis se abstinere ab eo ad quod præcipue convocantur, quod nimirum est suis suffragiis perficere electionem mittendorum. — Ad 2^{um} respondeo id non officere electionis validitati; dummodo tamen electio fiat per suffragia plura medietate, non tantum relativa, h. e. quæ solum excedat mediam partem suffragiorum de facto traditorum, sed absoluta, h. e. quæ excedat mediam partem suffragiorum omnium tradendorum ab iis qui Congregationi intersunt. » (Ad Prov. Venet., oct. 1896.)

573 *Ad n. 346, not. 2.* — Licentia A. R. P. Beckx, de qua agitur, se refert ad casum quo absit non Superior solus (eodem tamen die reversurus) sed simul et Confessarii ordinarii. (Cf. P. Montrouzier, c. XI, a. 2, in fin., et *Lettres choisies des RR. PP. Provinciaux de Lyon*, p. 104, n. 3.)

574 *Ad n. 396.* — De instaurandis sacris Missionibus per oppida et villas, responsum : « Placet omnino id quod postulatur; enixe com-

mendo Provincialibus (Italiæ), ut, quantum fieri potest, hujusmodi Missiones instituendas curent, omissis, si opus est, aliis ministeriis minoris momenti et fructus. » (Ad Prov. Roman., oct. 1896.)

Ad n. 398. — Publicationem litterarum, quas ædificantes vocant, 575
« probo sane et commendo; dummodo tamen id non fiat nisi iis adhibitis cautionibus quas, pro temporum ac locorum conditione, prudentia postulat; neque ea evulgentur quæ secreta esse oportet, vel quæ alicui sive Nostrorum sive externorum offensionis occasionem præbere possint. » (Ad Prov. Rom., oct. 1896.)

Ad n. 420. — In Sodalitatibus Scholasticus (vel Monialis) fungi 576
poterit munere vice-directoris, adjuvando directorem in suo munere habitualiter, ubi id expedire videbitur; recipere tamen sodales ad Congregationem non potest.

Utrum ad lucrandas indulgentias visitandum sit oratorium sodalitatis, vel alius locus, indicat Summarium indulgentiarum Congregationis, in Instituto, cui tutius erit stare, non obstante responso supra in n. 419, nota 5, allato.

Rescripto S. Congregationis Indulgentiarum, dato die 26 aug. 1893, declaratum est, indulgentias conventibus hebdomadariis concessas non ita esse intelligendas, ut si conventus non qualibet hebdomada, sed quolibet quarto decimo tantum die vel bis in mense habeantur, eo ipso indulgentiis careant.

Ad n. 420. — Congregationes *Marianæ* in Ecclesiis et domibus 577
nostris neque ad erectionem neque ad aggregationem necessario indigent consensu Ordinarii loci; bene vero extra domos et ecclesias nostras. Congregationes autem *Bonæ Mortis* tum intra tum extra ecclesias nostras eo consensu indigent.

Ad n. 425. — Postulatum fuit ut « attentis temporum præsentibus 578
necessitatibus, specialiter tractetur in Seminariis Nostrorum, de rebus ad quæstionem socialem pertinentibus, juxta declarationes Pontificias quæ nuper prodierunt. Mens tamen Congregationis est, ut de his quæstionibus, occasione data, tractent ordinarii professores, non autem ut peculiaris eo fine professor vel cathedra instituatur. » — Resp. : « Non displicet postulatum, sed magna cautione id faciendum : videlicet possunt in theologia morali fieri applicationes ad casus practicos quæstionum socialium; ita tamen ut non immoretur ultra modum professor nec id vergat in detrimentum theologici studii. » (Ad Prov. Lugd., oct. 1896.)

Ad n. 439. — « Jam pluries quæstio exorta est utrum in examine 579
subeundo post *expletum cursum philosophicum* idem valor tribuendus sit physicæ et mathesi ac philosophiæ; et proinde si quis in illis deficiat quamvis in ista mediocritatem superet, suffragium affirmativum

ferre nequeat; an vero ut præscriptum est in examine ad gradum, examinator dare ei teneatur suffragium affirmativum, addens *excepta physica et mathesi,* vel saltem si dat suffragium negativum, explicare debeat propterea dari suffragium, quia examinatus deficit in physica et mathesi. Rogatur A. R. P. N. ut quæstionem hanc solvat. » — Resp. : « Suffragium examinatoris debet conjunctim universam materiam cursus philosophici respicere ideoque etiam physicam et mathesim. Non prohibetur tamen quominus examinator adnotationem aliquam addat suo suffragio, quotiescumque id opportunum judicaverit. » (Ad Prov. Taurin., oct. 1896.)

580 *Ad n. 431.* — De ephemeridibus « standum est Ordinationi A. R. P. Beckx; ac proinde iis qui Tertiam Probationem nondum peregerunt, permittenda non est lectio ordinaria *foliorum*, ut dicitur, *diariorum;* historiam vero contemporaneam, quantum opus est, ex ephemeridibus catholicis, non diariis, hauriant, quarum una alterave concedi poterit. » (Ad Prov. Neo-Eborac., oct. 1896.)

581 *Ad n. 461.* — « Rogatur A. R. P. N. ut declarare velit expedire ut in regionibus ubi fieri possit (nominatim in America septentrionali) Collegia Nostrorum pro studiis superioribus ita instituantur, ut externi quoque admittantur. » — Resp. : « Res generatim declaratione non indiget, cum omnibus perspicuum sit quantopere desideret Societas hujusmodi studiorum institutionem. Providendum tamen ne Nostrorum solida studia detrimenta inde patiantur. Quare in casibus particularibus circumspectione et consideratione opus est, et negotium cum P. Generali tractandum. » (Ad Prov. Germ., oct. 1896.)

582 *Ad n. 465 et 470.* — Non omnia quæ de indole convictuum dicimus, ut certa proponi possunt. Certo « nisi adsint conditiones omnes, intrinsecæ et extrinsecæ, quæ ad vera Societatis Collegia, saltem inchoata, constituenda, requiruntur, nec Societas in illorum (convictuum) bona jus ullum habet, neque vi Constitutionum nostrarum, Nostri, qui eis regendis et administrandis vacant, ullum fructum ex bonis eorum percipere possunt præter honestam sustentationem, et si quid aliud ex conventione cum fundatoribus vel eorum Patronis pactum sit quod ab Instituto non prohibeatur » (A. R. P. Martin, Ord. pro temp., 16); et ad convictus ita descriptos se referunt responsa Generalium sub n. 469 allata. Certum est adhuc quosdam convictus nostris temporibus aptos fuisse qui acceptarentur et de facto acceptatos esse in Collegia saltem inchoata. (C. G., XX, 14.) Quænam vero conditiones requirantur ad hoc ut convictus aliquis in hujusmodi Collegium possit acceptari, utrum inter has conditiones recensenda sit propriarum scholarum existentia, ægre forsan definitur. In praxi illud erit Collegium quod Pater Noster ut tale acceptaverit.

INDEX ALPHABETICUS

SECUNDUM NUMEROS MARGINALES INSCRIPTUS

A

Abdicatio. — Cf. *Renunciatio.*

Abecedarii. — Utrum admittendi, 467, 475, 522.

Abortus. — Procuratio est impedimentum, 25. — Casus reservatus, 341. — Irregularitatis dispensatio pro externis, 545; pro Nostris, 62.

Absentes. — Caritas in ipsos, 325.

Absolutio. — Cf. *Confessarii, Casus reservati, Censuræ, Privilegia.*

Abstinentia. — Sextæ feriæ juxta morem Societatis, 318. — Quomodo dispensamus externos, 546.

Academiæ. — Cf. *Collegia.*

Actus Scholastici. — Cf. *Disputationes.*

Administratio temporalis. — *De sumptibus non augendis.* — Justus numerus Sociorum, 509. — Famulorum numerus, conditio, 509. — Moderatio itinerum, 510; quorum expensis, 510. — Cautiones variæ, 251, 511. — Expensæ Superioribus permissæ, 512, 240, 251. — Contractus quomodo, 512. — Oppignoratio, census, 512. — Quid a Provinciali curandum, 513, 241, 251. — Quid occasione Congregationis triennalis, 513.

De proventibus non minuendis. — Asservatio instrumentorum, 514. — Cura bonorum, 515. — Prudentia in investiendis titulis, 91, 516. — Solutio debitorum, 517. — Exactio rationum, 518. — Litium fuga, 519. — Quomodo alienandum, 520. — Hypothecæ, 514, 520.

Varia. — Editio librorum, 526. — Venditio librorum, 89, 90. — Officina rerum usualium, 90. — Mutuum dare, accipere, 93, 94. — Eleemosynæ faciendæ, 95, 96. — Administratio bonorum nondum renunciatorum, 97. — Pensionum, 93, 94. — Sustentatio Collegiorum, 110. — Seminarii Nostrorum, 111. — Administratio arcæ Seminarii, 126. — Piorum Institutorum, 133. — Ædificandi ratio, 80, 251, 454. — Provincialis, quoad administrationem, 240, 251. — Procurator Provinciæ, 244. — Procurator Domus, 280. — Onera vitanda, 452, 121. — Documenta consulenda pro administratione, 240. — Cf. *Paupertas, Collegia, etc.*

Admissio candidatorum. — Cf. *Candidati, Impedimenta, Probatio prima.*

Admonitor. — Præpositi Generalis, 221, 222. — Superioris localis, 277. — Provincialis, 242. — Visitatoris, 253.

Ædificandi ratio. — Quæ procuranda, vitanda, 80, 82, 251, 454. — Utrum requisita licentia Ordinarii, 450, 555.

Ægroti. — Cf. *Valetudo.*

Æs Alienum. — Cavendum, 517.

Ætas. — Ad Probationem, 33. — Ad vota post biennium, 56. — Ad vota Coadjutoris formati, 190. — Ad Professionem Trium Votorum, 187. —

Ad Professionem Quatuor Votorum, 177. — Ad Ordines, 428, 429.

Aliena ab Instituto. — Quomodo cura mulierum, 527, 141. — Cura monialium, 531, 533. — Examen clericorum, etc., 528. — Negotia politica, 528. — Congressus catholici quomodo, 528. — Connubia jungenda, 528. — Familiaritas principum, 529. — Negotia particularium, 529. — Testamenta, legata confidentialia, 529. — Lites, procuratio civilis, 529. — Commendationes piæ, quomodo, 530. — Causæ offensionum, 530. — Varia de iisdem, 530. — Seminaria episcopalia, 531. — Abecedarii, orphanotrophia, 532. — Non scholæ apostolicæ, 468. — Conventus externi apud nos, 531. — Chorus, 414. — Cura parochialis, 532. — Visitationes sæcularium, 532.

Alienationes. — Quomodo permissæ, prohibitæ, 520, 521, 514.

Allocutoria mulierum. — Quomodo constituenda, 140. — Tempestive claudenda, 140. — In domiciliis dispersorum, 137, p. 129.

Altare portatile. — Communionem ibi dare possumus, 410. — Quando erigere valemus, 551, 553.

Altare privilegiatum. — Declaratur privilegium, 562.

Ambitus. — Pœnæ in ambientes, 354, 355. — Votum non ambiendi, 181, 182. — Votum denunciandi ambientes, 183.

Amentes. — Impedimentum essentiale, 29. — Non graduandi, 163. — Olim non mittendi ad hospitia, 338. — Utrum dimittendi, 368.

Ancillæ. — Non habendæ, 198.

Apostatæ. — Impedimentum apostasiæ, 24. — Casus reservatus, cuinam, 346. — Apostasia a Societate, pœnæ, 380, 341. — Eas incurrunt religiosi non formati, 358. — Et malitiose procedentes, 374.

Appellatio. — Quomodo licita, vetita, 151, 359.

Arca. — Pro eleemosynis, 88, 419. — Seminariorum, 125. — Quomodo contribuenda, 110. — Arca fundationum, 125. — Causarum piarum, 125.

Archivum. — Secretarii Societatis, 224. — Instrumenta Romam mittenda, 251. — Item formulæ votorum publicorum, 186. — Archivum Procuratoris domus, 514. — Cautiones ne distrahatur, 514.

Articulus mortis. — Admissio novitii, 49. — Admissio ad vota, 64. — Indulgentiæ, 563, 564. — Communio, 410.

Assistentes. — Quot et quales, 217. Officia, jura, 217, 218, 219. — Litteræ non aperiendæ, 217. — Preces, sacra pro ipsis, 220. — Non est prælatura, 219. — Pœnæ in ambientes, 219, 355.

Auxiliares. — Auxiliares in Collegiis quoad calendarium, 556.

Ave maris Stella. — Addendum litaniis quotidianis, 304.

Aviculæ. — Non habendæ in cubiculis, 81.

B

Balnea. — Quomodo utendum, 338.

Benedictio. — Superioris utrum petenda, 261. — Sanctissimi Sacramenti, 410, 411. — Apostolica, 563, 564. — Mensæ, 304. — Variæ, Cf. *Privilegia*.

Benefactores. — Cf. *Fundatores*, *Suffragia*.

Beneficia ecclesiastica. — Non vacant ipso ingressu, 63. — Nec votis, 63. — Quando renuncianda, 63, 108.

Bibliotheca. — Domus professæ,

116. — Collegii, 431. — Scriptorum Societatis, 526.

Bidellus. — Collegiorum, 474. — Rerum spiritualium, 279.

Biennium. — Repetitionis theologiæ, 427.

Bona temporalia. — Cf. *Administratio.*

Breviarium. — Cf. *Horæ canonicæ.*

Bullæ. — Pars Instituti, 5. — Legendæ in ingressu, 46. — Quolibet semestri a novitio, 60. — Ante vota, 161, 184. — Bulla Cruciatæ quoad confessarios, 351. — Bulla jubilæi, 309. — Catalogus bullarum pro Societate, pag. 17.

C

Calumniatores. — Pœnæ in eos, 323.

Campana. — Ad ejus signum obediendum, 152.

Candidati. — Variæ classes, 18. — Eorum dotes in genere, 19, 20, sqq, 35, 36. — Dotes Coadjutorum, 43. — Scholasticorum, 44. — Non facilior admissio, 19. — Ne alliciantur, 20. — Dissensus parentum, 20. — Ingrediens ob votum, 20. — Pecunia non exigenda, 21. — Quid secum afferant, 21. — Ad quamnam Provinciam dirigendi, 21. — Impedimenta, Cf. hanc vocem. — Eorum examen, 23, 33, sqq, 46. — Reticentia casus reservatus, 344. — Prima probatio, 46. — Generalis confessio, 46, 51. — Ratio conscientiæ, 46, 51. — Quomodo a censuris et votis solvantur, 46, 72, pag. 79. — Utrum subjaceant reservationibus, 339. — Exemptio a forma Piana, 47. — A quibus admittendi, 48. — Quomodo in articulo mortis, 49. — Quomodo a Societate egressi, 52, 53. — Præstanda in admissione, 50, 51. — Quid faciendum de rebus eorum, 50, 51.

Cantus. — Non cantandum officium, 414. — Neque vesperæ regulariter, 414. — Neque missa, 414. — Quid in Collegiis, 414. — Quis cantus adhibendus, 414.

Capellani. — S. Joannis, habent impedimentum, 26. — Utrum capellaniæ admittendæ, 452.

Carcer. — Utrum posset haberi, 270. — Incarceratus quoad Congr. Prov., 291. — Carceres visitandi, 396, 421.

Caritas fraterna. — Quomodo curanda, 322, sqq. — Dissensiones vitandæ, 323. — Perturbatores puniendi, 323. — Erga hospites, 324. — Erga absentes, 325. — Erga moribundos, 326. — Erga defunctos, 327, sqq. — Casus reservati de caritate, 344.

Carthusiani. — Sancta necessitudo cum illis, 4. — Transitus ad illos quomodo licitus, 381.

Castitas. — Obligatio voti, 135. — Vis quoad matrimonium, 135, 136. — Præsidia voti, 135, sqq. — Regulæ huc pertinentes, 135. — Clausura, 137, 138, 198. — Cautelæ pro confessariis, 139, 140. — Quoad visitationes mulierum, 141, sqq. — Vigilantia Superiorum et PP. Spiritualium, 144, 343, pag. 313. — Delectus librorum, 144, 145. — Et recreationum, 144, 145. — Casus reservatus, 343.

Casus conscientiæ. — Collatio casuum, 405, 433. Cf. *Theologia compendiaria.*

Casus reservati externorum. — Cf. *Privilegia, Candidati.*

Casus reservati Nostrorum. — Cur reserventur, 339. — Eos incurrunt Novitii, 339. — Etiam in prima probatione, 339. — Quis reservare

possit, 340. — Casus Clementini, 341. — Casus speciales Societatis, 342, sqq. — Inobedientia, 148, 149, 129. — Procuratio intercessionum, 151. — Facultas absolvendi in genere, 346. — Quoad candidatos, 46, 72. — Quoad Novitios, 339, 68, 61. — Quoad Patres Tertiæ probationis, 200. — Quoad itinerantes, 348. — Quoad Superiores, 348. — Quoad Procuratores alienos, 346. — Quoad scrupulosos, 351. — Quoad casus papales, 346. — Si abest Superior, 346, 573. — Tempore renovationis, 347. — Et exercitiorum, 347. — In parvis domibus, 347. — Ubi periculum sigilli, 349. — Si injuste negat Superior, 350. — Licentia Clementis VIII, 350. — Quomodo petenda delegatio, 348, 350. — Utrum generalis concedenda, 351. — Commentatores in casus reservatos, 352.

Catalogi. — Catalogus censurarum quisnam vigeat, 353. — Catalogus casuum reservatorum, 341. — Catalogus indulgentiarum nostrarum, 361, 4°. — Apostolicarum, 359, in fin. — Doctrinarum prohibitarum, 495, sqq. — Catalogi Romam mittendi, 266. — Cf. *Libri administrationis.*

Catechismus. — Valde commendatus, 389. — A novis Superioribus et graduatis faciendus, 186, 192, 389. — A Novitiis et Scholasticis, 389. — Discipuli sedulo docendi, 502. — In nostra ecclesia, 389. — Catechistæ utrum ab Episcopo examinandi, 389. — Quinam deputandi, 389. — Indulgentiæ, 389.

Censores. — Cf. *Librorum scriptio.*

Censuræ et præcepta. — Innovatæ, 7. — In elencho non relatæ abrogantur, 353. — Quoad Congregationes, 354. — Quoad Instituti conservationem, 356. — Quoad Religionem, 358. — Quoad obedientiam, 359. — Quoad delect. turpem, 360, 361. — Quoad tyrannicidium, 362. — Pro candidatis, 46, 72. — Utrum Ordinarii possint nos censurare, 540. Cf. *Casus reservati, Privilegia.*

Census. — Activi quinam eligendi, 91. — Quomodo administrandi, 91. — Passivi vitandi, 512.

Ceremoniæ sacræ. — In his quomodo Nostri instituendi, 414, in fin. Cf. *Chorus, Cantus, Processiones.*

Chirothecæ. — Utrum permissæ, 81.

Chorus. — Non habetur in Societate, 414. — Quomodo vespertinum officium, 414. — Officia Hebdomadæ Majoris, 414. — In exequiis, 414.

Clausura. — Lex clausuræ, 137. — Mulieres exemptæ quænam, 137. — Spatium comprehensum, 137. — Quid de Collegiis et Convictibus, 137, 138. — De hospitiis et villis, 137. — De domibus dispersorum, 137. — Arcendi adolescentes, 140. — Arcendæ ancillæ, 198.

Clavis. — Usus cuinam concedendus, 76. — Non se includat Superior, 268. — Quomodo concessa Procuratori, 280. — Clavis archivi, 514. — Clavis Tabernaculi, 410.

Clerici. — Sumus clerici regulares, 3. — Auxiliares Collegiorum quoad calendarium, 556. — Nostri quomodo examinent clericos, 466, 528. — Cf. *Seminaria episcopalia.*

Coadjutores spirituales. - Utrum voto teneantur acceptare professionem, 159. — Requisita ut graduentur, 190. — Natura, effectus votorum, 191. — Ritus emissionis, 192. — Acceptandus ille gradus, 192. — Jura eorum, 191. — Paupertas eorum, 191. Et cf. *Professi, Domus professa, Paupertas.* — Causæ eos dimittendi, 191. — Jus dimittendi, 369. — Effectus, 379. — Vis votorum quoad

matrimonium, 191. — Ascensus ad Professionem rarus, 191, 192.

Coadjutores temporales. — Ne fiant Scholastici, 74, 195. — Quo sensu dicuntur professi, 17. — Eorum dotes, 32, 43, 194. — Vestitus, 194. — Educatio in novitiatu, 73, 195. — Post novitiatum, 196, 268. — Eorum officia, 197. — Eorum numerus, 198. — Utrum discere permittantur, 195. — Cura eorum præsertim in villis, 196. — Communio eorum, 196. — His non sufficiendæ ancillæ, 198. — Quomodo eorum penuriæ occurrendum, 198.

Cœli mutatio. — Quomodo concedenda, 335, 338.

Cœna Domini. — Casus hujus bullæ, 346, 542. — Hac die utrum lavet pedes Superior, 265.

Collateralis. — Munus, 278.

Collatio. — Casuum, 405, 433. — Feriæ sextæ, 318.

Collegia. — *Quoad fundationem.* — Finis duplex, 449. — A quo admittantur, 450. — Moderate quoad numerum, onera, 450. — Exemptio eorum, 450, 541. — Non impedienda, 450. — Transformatio Novitiatus in Collegium, 450. — A quo, quomodo relinquantur, 451. — Vitanda in fundatione, 452. — Fundatio præmiorum, 452. — Paupertas Collegiorum, 88, 110, sqq. — Reditus Collegiorum, 453. Utrum eleemosynæ petendæ, 453. — Quid de Collegiis inchoatis, 128, 453. — Retributiones discipulorum, 88, 134, 567. — Ædificiorum ratio, 454, 251. — Nequeunt onerari censu erga Domum professam, 121.

Quoad scholas. — Variæ scholarum species, 461, sqq, 581. — Collegiorum regimen, 471. — Officiales et magistri, 471. — Ratio scholarum inferiorum, 475. — Ratio scholarum superiorum, 478. — Docendi methodus, 479. — Quomodo juvandi discipuli, 477. — Auctores expurgentur, 477. — Academiæ, 490. — Delectus doctrinæ, 491, sqq. — Quæstiones sociales, 578. — Pietas, 501, 414. — Ratio agendi cum hæreticis, 502. — Ordo et correctio, 503. — Studii incitamenta, 504. — Valetudo, 504. — Ludi, clausura, 505, 506, 137, 145. — Dramata, 505, 506. — Varia de magistris, 507. — Auctoritas respectiva Præfectorum, 507. — Varia de discipulis, 508. — Cf. *Universitates, Seminaria, Convictus,* etc., *Doctrina Societatis, Theologia,* etc.; *Fundatores, Administratio temporalis.*

Colloquia pia. — Fovenda, 389.

Commendationes piæ. — Qua ratione præstandæ, 530.

Communicatio. — Meritorum, 460. — Privilegiorum, 535, 537, 538.

Communio. — *Nostrorum.* — Quando præscripta, 308, 331. — Invigilandum utrum fiat, 308. — Quomodo non indicenda tribus diebus, 308. — Die depositionis Nostrorum, 308. — Frequentior a quo, quomodo concedenda, 195, 308. — Per quadrantem actio gratiarum, 308. — Coadjutores cum pallio communicent, 196.

Externorum. — Frequens excitanda quomodo, 410. — Derogatio regulæ 26 sac. 412. — Ubi distribui potest, 410. — Utrum infirmis, 411, 458. — Regulariter non moribundis, 410. — Utrum die Paschatis, 410, 411. — Prima communio, 411.

Complicis absolutio. — Hujus casus reservatio, 542, 346. — Privilegium sublatum, 539.

Concio. — Quando a Nostris audienda, 313. — Materia et modus, 386. — Jus concionandi, 388.

Concionatores. — A Provinciali deputandi, 382. — Qui saltem tonsurati, 382, 388. — Quid si mittantur in aliam Provinciam, 387. — Utrum ipsis necessaria licentia Ordinarii, 388. — Concionatores quomodo formandi, 383, 384. — Eorum officia, 385, 386, 333. — Quodnam talentum suppleat pro professione, 173, 174. — Utrum Ordinarius jus habeat prædicandi in nostra ecclesia, 388.

Confessarii. — *Externorum.* — Muneris excellentia, 404. — Eorum dotes, 404. — Juniores non deputandi in ordinarios, 139, 405. — Examinandi, 405. — Quomodo ab Ordinariis examinandi, approbandi, 408. — Eorum jurisdictio, 392, 409. Eorum officia, 406, 139. — Quoad confessiones mulierum, 406. — Monialium, 533. — Principum, 407. — Ipsis commendatur Polancus, 405. — Quomodo scripto respondeant, 334. — Facultates eorum, 542, sqq.

Nostrorum. — Quinam in genere, 309, 310. — Pro novitiis et candidatis, 61, 310, 51. — Pro tertia probatione, 200. — Pro itinerantibus, 310. Pro Superioribus, 348. — Tempore jubilæi, 309. — Quoad venialia, 309. — Non suffragantur Nostris pagellæ et bulla *Cruciatæ*, 309. — Quid si absit Superior, 346, 573. — Facultates Confessariorum, 312. — Curam habeant Coadjutorum, 196. — Ne levia omnia putent, 144. — Utrum possint esse Consultores, 310, 569.

Confessio. — Hebdomadaria, 309. Sacerdotum frequentior, 311. — Generalis quando, 309. — Candidatorum, 46, 51. — Sigilli reverentia, 311, 316, 367, 70. — Cf. *Confessarii.*

Confessionalia. — Quomodo constituenda, 139, 406.

Congregatio ad elig. Vicarium. — Remissive, 301, pag. 267.

Congregatio generalis. — Vis Decretorum ejus, 5, 7. — Quando, a quo cogenda, 281. — Quibusnam constat, 282. — Quinam ex his suffragantur, 283. — Litteræ PP. Congregatorum non aperiendæ, 283. — Ejus potestas, 284. — Congregationes Polocenses, 6.

Congregatio Procuratorum. — Remissive, 301, pag. 267.

Congregatio provincialis. — *Indictio et auctoritas.* — Quando cogenda, 285. — Quid de Provinciis extra Europam, 285. — De Vice-Provinciis, 285. — Quandonam censetur legitima, 285. — Provincialis non mutat indictionem, 285. — Cur cogitur, 286. — Qua ratione tractat de substantialibus, 12, 299. — Qua ratione agit de mutandis Constitutionibus, 12, 299. — Qua ratione agit de statu Provinciæ, 286, 289. — Qua ratione agit de Decretis Congr. gen., 13.

Quinam ei participant. — Admissi intra numerum, 287. — Admissi extra numerum, 287. — Utrum admittantur Superiores convictuum, etc., 301, 287. — Quid de Rectoribus et Professis extra Europam, 267. — Quid de missionibus exteris, 289. — Quid de Vice-Rectoribus, 288. — Vice-Prov., 290. — Quid de Rectore Collegii dispersi, 288. — Quid de antiquo Provinciali, Assistentibus et quibusdam aliis, 289, 290. — Quid de Professis extra suam Provinciam, 289. — De ordine et probatione antiquitatis, 288, 177. — Quid si desit numerus suffic. Profess., 287, 288. — Quod Collegium habeatur maximum, 287, 288. — Tempore Congr. regulariter non mutantur Rectores, 288. — Quinam censentur impediti, 291. — Quinam judicant de impedimentis, 291, 571. — Rector sibi

substituere potest subditum, 291. — Quid si quis dubitatur mature venturus, 293.

Modus in ea procedendi. — Ante electionem mittendorum, 292. — Affigendi catalogi, 292. — Facultas quoad legitimandam Congregationem, 292. — Secretarii electio ejusque socii, auctoritas, 292, 293. — Deputati ad secernenda postulata, 294. — Electio mittendorum, 295, 296, 297. — De schedulis albis, 572. — Quomodo se gerant mittendi, 300. — Præstanda post electionem, 298. — Quomodo agendum de cogenda Congregatione generali, 298. — Non instituendæ particulares Deputationes, 294. — Congregationis duratio, 292. — Dirigitur a Provinciali, 292. — Quo spiritu agendum, 299. — Tractanda ne affigantur aut imprimantur, 299. — Secretum servandum, 300. — Judicium de ambitu, 300. — Formula Congregationis complenda, 300. — Tractatio externa Congregandorum, 300. — Superiores mutuo debita solvant, 513.

Congregationes B. M. V. — Quandonam institutæ, 417. — Quomodo erigendæ, aggregandæ, 417, 418. — Non subjacent formæ Clementinæ, 420. — Internæ utrum subjaceant Ordinario, 417, 419, 577. Externæ subjacent, 419, 577. — Utrum internæ stabiliter possideant, 417. — Statuta Congregationum, 418. Oratoria earum, 419, 576. — Director earum, 419, 576. — Nostri participant indulgentias, 417. — Varia, 418, 419, 576.

Congregationes Bonæ Mortis. Earum institutio, 420. — Earum erectio, aggregatio, 420. — Requiritur consensus Ordinarii, 577. — Titulus, 418.

Congressus. — Congressibus catholicis quomodo Nostri intersint, 528. — Ne sint apud nos congressus externorum; 531.

Conjecturæ. — De administrandis non faciendæ, 152.

Conscientia. — Examinanda, 304, 305. — Tunc Nostri visitandi, 304, 305. — Cf. *Ratio conscientiæ.*

Conspicilia. — Utrum argentea permittenda, 82.

Constitutiones. — Earum declarationes, 6. — Quomodo mutari possint, 12. — Editio hispanica novissima, 6. — Editiones latinæ novissimæ, pag. 20.

Consuetudines. — Quomodo inducendæ, mutandæ, 15. — Vis consuetudinis in jure nostro, 15.

Consultores. — Regulariter non habent vocem decisivam, 11. — Et hoc substantiale, 11. — Eorum sententia non negligenda, 267. — Consultores Provinciæ, 243, 569. — Consultores Domorum, 276. — Quomodo se gerat erga ipsos Superior, 267. — Eorum nominatio, 276. — Dotes, 276. — Munus, 276. — Quandonam scribant, 276. — Qua ratione Generalis quædam ex litteris eorum communicat, 212.

Contemptus. — Formalis quomodo casus reservatus, 149.

Contractus. — Jus Superiorum ad contractus, 512. — Quomodo contrahant scriptores cum bibliopolis, 526. — Cf. *Alienatio, Oppignoratio.*

Contributiones. — Pro arca Seminarii, 110. — Discipulorum in Collegiis, 88.

Conversi ab hæresi. — Quomodo in Societatem admittendi, 32. — Indulgentia plenaria pro ipsis, 563.

Convictus. — Eorum paupertas, 133. — Quomodo admittendi, 435.

— Superior eorum, 435. — Indoles eorum, 469, 470, 582. — Superior utrum vocandus Congregationi, 301. — Ne impediant formationem Nostrorum, 470. — Convictores utrum exempti, 541.

Convivia. — Externorum. — Cf. *Externi*.

Cor Jesu. — Ejus cultus in Societate, 1. — Ejus oratio post litanias, 305.

Corporalia. — Ministeria corporalia quomodo suscipienda, 421. — Corporalia pro missa quis benedicit, 554.

Correctio. — Mutua, 317. — Appellatio a correctione regulari, 151. — Correctio discipulorum, 503.

Cruciatæ. — Bulla Cruciatæ non suffragatur, 351.

Cubiculum. — Alienum non ingrediendum, 332. — Non claudendum, 76. — Verrendum, 335. — Utrum admittendi externi, 332. — Ne sint aviculæ in cubiculis, 81.

Cura. — Bonorum, 515. — Animarum, 452, 532.

D

Declarationes. — Constitutionum, 5. — Instituti, 14, et pag. 13 et sqq. — Privilegiorum, 536.

Debita. — Cf. *Æs alienum*.

Defectus. — Corporis defectus quomodo impedimentum, 35, 40. — Defectus natalium, utrum impedimentum, 39. — Quomodo tollatur irregularitas, 157. — Pro externis, 545. — Defectuum manifestatio, 317.

Defuncti. — Præstanda post mortem, 327, sqq. — Quomodo sepeliendi, 327. — Elogia quomodo conficienda, 327. — Suffragia facienda, 328, 329. — Quid de rebus defuncti, 329. — Communio permittenda, 329. — Si quis extra domos obit, quid præstet vicinior Superior, 272. — Jus funerandi, 330.

Denunciatio fraterna. — De quo facienda, 317. — Quando, 317. — Quomodo se gerat Superior, 269, 317. — Denunciatio judicialis, 317.

Deposita. — Prohibita, 77, 92. — Qua ratione permittenda, 92.

Detractio. — Punienda, 323. — Est casus reservatus, 344.

Devotionis vota. — Cf. *Vota devotionis*.

Dictatio. — Quomodo facienda in scholis superioribus, 479.

Dignitates. — *Extra Societatem.* — Nemo eas acceptare potest, 158. — Professi vovent eas non ambiendas, 182. — Si quis promotus, quis ejus status, 182, 183.

Intra Societatem. — Eas ambiens, fit incapax, 158. — Non ambiendas vovet Professus, 181. — At non vovendum eas non acceptandas, 158. — Quænam censeantur dignitates, 181.

Dimissio ad Ordines. — Cf. *Ordines*.

Dimissio e Societate. — Utrum differat ab ejectione, 365. — Quid sit *actus* dimissionis, 365. — Causæ dimissionis in genere, 365. — In specie quoad varias classes, 366. — Quoad Coadjutores formatos, 191. — Quoad Professos, 371. — Varia de causis, 367, 368. — Quinam valent dimittere, 369. — Quinam possunt dimitti, 369. — Dimissio ex titulo nullitatis, 371. — In dimissione non necessaria forma judicialis, 372, 373. — Modus noster retinendus, quis, 372, 376. — Flagitantes dimissionem, 374, 375. — Externum consulentes, 374, 375. — Allegantes causam falsam; secretam, 374. — Dimissus qua ratione suspensus, 378. — Quid apponendum

in dimissorialibus, 378. — Dimissus utrum liber a religiosis obligationibus, 379. — Dimisso nil debetur, 379. — Quid ei reddendum, 376. — Dimissos utrum Societas a ministeriis prohibeat, 379. — Utrum causa dimissionis evulganda, 377. — Dimissi utrum in Collegiis excipiendi, 380. — Admissio dimissi, 52, 53.

Directorium. — Exercitiorum, non vertendum gallice, 8. — Polanci, commendatio, valor, 405.

Disciplina. — Regularis, 331, sqq. — In scholis, 501, sqq. — Cf. *Pœnitentiæ.*

Dispersi. — Normæ paupertatis pro ipsis, 78. — Ubi locandi, 249. — Domus eorum in aliena Provincia, 249. — Confessio dispersorum, 310.

Disputationes. — Menstruæ, 434. — Actus theologici, 435, 436, 437. — Actus philosophici, 435.

Dissensiones. — Coercendæ, 323. — Casus reservatus, 344.

Doctores. — Possunt creari a Generali, 427. — At nec sumptus nec honores, 427. — Dispensati ab examine ad gradum quomodo, 172.

Doctrina Christiana. — Cf. *Catechismus.*

Doctrina Societatis. — Unitas, 491. — Securitas, 492. — S. Thomæ auctoritas, 493. — Doctorum Nostrorum auctoritas, 493. — Philosophia Aristotelis, 494. — Propositiones præscriptæ, proscriptæ, 495. — De gratia efficaci, 496. — Laxitas opinionum, 498. — Diluvium, 498. — Elenchus P. Beckx, 499. — Liberalismus, 500. — Delectatio in re turpi, 360, 361. — Prohibitio alicujus propositionis non est dogmatica, 147.

Dominicani. — Pia cum his necessitudo, 530.

Domus Probationis. — Earum paupertas, 109, sqq. — Cf. *Novitiatus, Novitii.*

Domus professa. — Incapax reditus stabilis, 116, sqq. — Quid permittatur, 118. — Sustentanda eleemosynis, 116, 117. — Quid de eleemosynis *perpetuis,* 118. — Quomodo stabile donatum vendendum, 118. — Villam non frugiferam habet, 118, 119. — Regulariter inhabitant Professi, 120. — Varia responsa, 123. — Ejus Præpositus proprie Superior localis, 256, 538.

Domus scriptorum. — Ejus paupertas, 132.

Donationes. — Intuitu ministerii, 85. — Moderate faciendæ, 96, 251. — Alienationes prohibitæ, 520, sqq.

E

Ecclesia nostra. — Ejus erectio, 555. — Consecratio, 555. — Reconciliatio, 555. — Indulgentiæ, 561, 565. — Exemptio, 540. — Jus concionandi in ea, 588. — Jus funerandi, 330. — Paupertas ecclesiæ Domus professæ, 116, sqq. — Arca pro eleemosynis non apponenda, 88. — Corrogatio pecuniæ et oblationes, 88.

Egressus. — E domo, hora, 333. — Observanda, 333. — Cf. *Dimissio e Societate.*

Eleemosynæ. — Moderate petantur, 95, 96. — Quomodo corrogentur in aliena Provincia, 95. — Quomodo pro Collegiis petantur, 453. — Discrete distribuantur, 95. — Quanam quantitate, 96, 261. — Ex debito faciendæ, 77. — Occasione abdicationum, 105. — A subditis utrum licitæ, 96.

Elogia defunctorum. — Quomodo conficienda, 327.

Emptor. — Quotidie reddat rationem, 518.

Ephemerides. — Quomodo permittendæ, 271, 431, 580.

Episcopi. — Cuinam subjicitur dimissus, 155. — Quomodo ei subjicitur missionarius, 398. — Episcopi regularis obligationes, 182. — Episcopus professus, 182, 185. — Episcopus quoad confessiones, 408, 409. — Quoad conciones, 388. — Quoad exemptionem, 540. — Quoad sodalitates, 419, 420, 577. — Quoad Ordines, 429.

Epistolæ. — Cf. *Litteræ missivæ.*

Epitome Instituti. — Quid, ejus auctoritas, 7.

Eruditio moderna. — Qua ratione procuranda, 425.

Esculenta. — Accipere utrum contra votum, 92. — Prandium extra domum absque facultate non casus reservatus, 342.

Ethica. — Cf. *Philosophia.*

Eucharistia. — Servanda, 410. — Distribuenda, 410, 306, 308. — Exponenda, 410, 416. — Renovanda, 410. — Conficienda, 306, 549, sqq. — Deferenda, 411, 548. — Cf. *Communio, Missa, Oratoria, Altare portatile.*

Examen Candidatorum. — Cf. *Candidati.*

Examen Conscientiæ. — Bis in die, 304. — Quando omittitur, 304. — Visitatur, 304.

Examen generale. — Præmittitur Constitutionibus, 5. — Legendum in ingressu, 46. — Quolibet semestri a Novitiis, 60. — Ante ultima vota, 184.

Examina Scholasticorum. — *Studiorum decursu.* — Rhetorum, 439. — Philosophorum, 439. — Ratio physicæ et matheseos in illo, 579. — Theologorum, 440, 441. — Pro actibus, 436, 437. — Varia de removendis a scholastica, 441. — Secundi examinis concessio, 440, 441. — Utrum recolendæ theses in schola, 441. — Examen de theologia morali, 444, 405.

Examen ad gradum. — Conditiones, 445. — Munus præsidis, 446. — Examinatores quinam, 445. — Juramentum eorum, 445. — Secretum, 446. — Scientia in graduando requisita, 445. — Suffragium in dubio, 445. — Exempti ab examine, 446. — Quinam ad illud admittendi, 446. — Tempus præparationis, 446, 447. — Utrum iterari possit, 447. — Materia examinis, 447. — Quid nomine physicæ, 445. — Quæ ratio de illa, 446. — Utrum examinandum de unaquaque facultate, 447. — Non consultandum de suffragio, 448. — Quid si impar candidatus, 448. — Suffragia quomodo mittenda, 448.

Examinatores. — Examinis ad ascensum, 442, 443. — Secretum non juratum, servandum, 442, 443. — Per se judicent, absolute, 442. — Etiam ex scientia præhabita, 443. — Suffragium dubium, 442. — Suffragium in dubio, 446. — Examinatores ad gradum, 445. — Cf. *Examen Scholasticorum.*

Excommunicatio. — Cf. *Censuræ et præcepta, Dimissio, Apostata, Privilegia.*

Exequiæ. — Cf. *Funera.*

Exercitia B. P. Ignatii. — Per mensem facienda, 57, 201. — Per octiduum ab omnibus, 320. — A promovendis ad vota, 161, 184. — A Superioribus initio regiminis, 264. — Utrum a neosacerdotibus, 320. — Qua ratione peragenda, 320. — Quæ permissa, quæ vetita, 320. — Facultates confessarii hac occasione, 347. — Quo zelo tradenda, 421. — Non communicanda sine licentia, 421. — Domus Exercitiorum, 421. — Privi-

legium Exercitantium quoad breviarium, 556.

Exercitia communia. — Quotidiana, 331.

Exercitia corporalia. — Ab omnibus facienda, 335. — Graviora non statim a prandio, 335. — Ministeria corporalia, 421.

Exercitia spiritualia. — Quotidiana, 304.

Exhortationes domesticæ. — Quando, de quo, 313. — Quomodo, 313.

Expensæ. — Cf. *Administratio temporalis.*

Experimenta. — Cf. *Novitii.*

Externi. — Quomodo accipiendi, tractandi, 273. — Intercessiones apud eos interdictæ, 151. — Non visitandi in villis, 143, 333. — Convivia non adeunda, 143, 273. — Utrum admittendi in cubiculis, 332. — Licentia ad communicandum, 333. — Scholares externi non exempti, 541. — Minervalia eorum, 84, 134.

Extrema Unctio. — Damus Nostris et familiaribus, 413. — Utrum convictoribus, 541. — Utrum scholaribus externis, hospitibus, 541. — Aliis quando, 413. — Oleum sacrum, 413.

F

Famuli. — Numerus et conditio, 509. Utrum exempti, 541.

Fenestræ. — Vitetur prospectus mutuus, 138. — His apertis non dormiendum, 135, 136.

Fugitivi. — Utrum reducendi, 380. — Pœnæ eorum, 380.

Fundationes piæ. — Cf. *Arca.*

Fundatores, Fundatio. — Vitanda in fundatione, 82, 452. — Fundatio præmiorum, 452. — Quantitas fundationis, 453. — Jura fundatorum, 452. — Cofundator, 456. — Fundator templi, 456. — Obtinens unionem beneficiorum, 457. — Fundatio insufficiens, 456. — Oblatio candelæ, 456. — Sacra pro fundatoribus, 455, 457. — Fundatio mortis causa, 457. — Communitas fundatrix, 458, 459. — Episcopus fundator, 459. — Communicatio meritorum, 460. — Gratia erga benefactores, 460. — Utrum fundatrices dispensentur a clausura, 137.

Funera. — Ratio funerandi Nostros, 327. — Jus funerandi quoad Nostros, 330. — Quoad externos in nostris ecclesiis, 330. — Quoad perpetuos commensales, 330. — Quoad convictores, 541. — Utrum adeunda externa funera, 415. — Privilegia in missa exequiarum, 552.

G

Generalis Præpositus. — Ejus responsa, p. 13. — Ordinationes, instructiones, 5, 7, 13. — Præcepta et licentiæ, 13, 207. — Est ad vitam, 206. — Dotes ejus, 204. — Auctoritas, 205, 206. — Quomodo durat illa post mortem, 207. — Quomodo illa limitatur, 208, 16. — Ejus dimissio, 208. — Ejus officia, 209. — Romæ residet, 209. — Quibus expensis sustentandus, 207. — Preces, sacra pro illo, 210. — Quibus documentis adjuvatur, 210, 266. — Quibus personis, 213, sqq. — Litteræ ipsi scribendæ, 211. — Non adeundus sine patentibus, 380. — Privilegia interpretatur, communicat, 537.

Gradus civiles. — Utrum sumendi, 427. — Utrum insignibus honestandi graduati, 463, 464.

Gradus Societatis. — Diversi, 17. — Omnes de Societate, 17. — Infirmi utrum graduandi, 163. — Cf. *Scholastici, Coadjutores,* etc.

Grammatica. — Ejus studium, 475, 476.

H

Habitatio. — Cf. *Ædificandi ratio.*

Hebdomada Sancta. — Quomodo faciendum officium, 414.

Hæresis. — Quando impedimentum, 24. — Privilegium communicandi cum hæreticis, 553. — Facultas absolvendi, 542. — Indulgentia conversis, 563.

Hebræi. — Cf. *Impedimentum.*

Hebraica lingua. — A Nostris studenda, 424. — Repetitiones, 432. — Ratio docendi, 485.

Historia ecclesiastica. — A Nostris studenda, 424. — Utrum in cursu minori, 426. — Repetitiones, 432. — Ratio docendi, 487.

Homicidium. — Cf. *Impedimentum, Irregularitas.*

Horæ canonicæ. — Officium quomodo ordinandum, 556. — Utrum antevertendum, postponendum, 556. — Commutandum, 556, 566. — Pro auxiliaribus clericis, 556. — Pro exercitantibus, 556. — Cf. *Chorus.*

Horologia. — Quænam prohibita, 80. — Quomodo permittenda, 82.

Hospites. — *Nostri* quomodo excipiendi, 324. — Quid ab eis acceptetur, 272, 324. — Quomodo cum Superiore agant, 260. — Quo divertendum, 324. — Quomodo in mensa tractandi, 324.

Externi quomodo excipiendi, 273. — Non sunt exempti, 541.

Humaniores litteræ. — Doccantur, 475, 476. — Eis servetur præeminentia, 422. — Exercitationes litterariæ, 430, 504. — Quandoque supplent pro professione, 173.

Hypotheca. — Quomodo subeunda, 520, 521.

I

Imagines. — Pretiosæ non habendæ, 80, 81.

Illegitimi. — Utrum impediti, 39. — Vota tollunt irregularitatem, 157.

Impedimenta. — Reticentia casus reservatus, 23.

Essentialia non dispensabilia, 30. — Apostasia, hæresis, 24. — Homicidium, infamia, 25. — Habitus religionis, 26, 27, 28. — Ligamen, 29. — Infirmitas, 29. — Origo, 30, 31, 32. — Hæc non irritans, non dispensabilis, 30.

Impedimenta secundaria, 33, sqq. — Ætas, 33, 34, 56. — Corpus, 35. — Status, 35, 39. — Mens, 35. — Indoles, 35. — Mores, 36. — Indiscreta devotio, 37. — Vocatio non satis rata, 38. — Defectus natalium, 39. — Necessitates parentum, 39, 87. — Quomodo, quis dispenset, 40, 41. — Reticens secundaria utrum valide admissus, 41. — Utrum impediat dissensus Episcopi, 42. — Utrum pactum cum diœcesi, 42. — Specialia pro Coadjutoribus, 43. — Pro Scholasticis, 44. — Pro indifferentibus, 45.

Impressio librorum. — Cf. *Librorum scriptio.*

Index. — Privilegium circa Indicem Librorum prohibitorum, 145, 568.

Indifferentes. — Quinam, pauci, 18. — Non diutius, 17. — Eorum examen, 45. — Scholasticus utrum indifferens ad gradum Coadjutoris temporalis, 159.

Indifferentia religiosa. — In Novitiis, 60. — In Tertiariis, 202. — In ministeriis, 395.

Indulgentiæ. — Occasione missionum, 392. — Crucis missionis, 559. — Apostolicæ, 559. — S. Birgittæ, 559. — Scapularis, 560. — Crucifixi

Viæ Crucis, 560. — Quænam nobis communicatæ, 561. — Applicandæ defunctis, 561. — Ecclesiæ nostræ, oratorii, 561. — Dispensatio a confessione, 561; et ab operibus præscriptis, 312. — Altaris privilegiati, 562. — Ubi reperiantur indulgentiæ nostræ, 561. — In articulo mortis, 563, 564. — Crucifixi votorum, 563. — Pro conversis, 563. — Ecclesia quænam nostra quoad indulg., 565. — Translatio indulgentiæ, 565. — Indulgentia diei ingressus, 72. — Catalogus indulgentiarum, 561. — Conditiones ad eas lucrandas, 561. — Dies quomodo computanda, 561. — Participamus cum Sodalitatibus B. M. V., 417. — Sodalitas non lucratur nisi aggregata, 420. — Indulgentiæ Fundatorum, 458.

Infamia. — Cf. *Impedimenta*.

Infidelitas. — Quomodo impedimentum, 24, 32. — Quis Nostros absolvit, 346. — Quis externos, 542.

Infirmi. — Cf. *Valetudo, moribundi*.

Informationes. — *De candidatis*, 46, 47.

De Tertiariis. — Ad Instructorem, 202. — Instructoris ad Superiores, 202, 203. — Quandonam destruendæ, 202, 203.

Ad gradum, 170. — A quo, de qua re, quomodo, 170, 171. — Quando destruendæ, 171.

Ad gubernandum, 246. — Quando destruendæ, 256.

De mittendis ad exteros, 398.

In Congregationibus. — Ad electionem mittendorum, 295, 296. — Utrum a Procuratore sumendæ, 300. — Censuræ quoad informationes in Cong. gener., 354, 355.

Institutum. — Partes ejus, 5. — Partium auctoritas, 7. — Ejus epitome, 7. — Editiones novissimæ, pag. 20. — Substantialia, 10, 11. — Quomodo mutandum, 11, 12, 13. — Interpretatio, 14. — Dispensatio, 15. — Studendum a Tertiariis, 199. — Et Superioribus, 264. — Censuræ, præcepta ad illud conservandum, 356, 357.

Instrumenta. — Jurium, 514. — Musica, 145, 414. — Itineris, 80, 82.

Instructor. — Cf. *Tertia Probatio*.

Instructiones Generalis. — Earum vis, 7. — Instructio R. P. Martin, de bonis Missionum, 339.

Intercessiones. — Externorum vitandæ, 151, 364. — Nostrorum apud Superiores moderandæ, 268. — Et apud externos, 530.

Irregularitates. — Novitiorum, 62. — Quasnam tollunt vota, 157, 158. — Quasnam Superiores in Nostris, 62. — Quasnam Nostri in externis, 545.

Itinera. — Paupertas, decentia religiosa servanda, 80, 82, 510. — Cujus expensis, 510. — Ratio expensi reddenda, 82. — Eleemosynæ, munuscula itinerantium, 96. — Satis instruantur itinerantes, 272. — Habeant patentes, 272. — Divertant apud nos etiam noctu, 272. — Quid secum adsportent, 272. — Confessarii eorum, 310. — Quoad reservata, 348.

J

Janitor. — Monendus, 333.

Januæ. — Vespere visitandæ, 274. — Ibi tabella nominum, 334.

Jejunium. — Pervigilio S. Ignatii, 318. — Externos non dispensamus a jejuniis, 546. — Bene vero familiares, 546. — Jejunium pro privilegio sabbatino, 560.

Jesus. — Ejus nomen Societati, 1. — Ejus Cordis cultus, 1. — Vita meditanda, 59. — Nomen in articulo

mortis, 565. — Bona nostra ut Ejus administranda, 251. — Benignitatem imitentur Superiores, 205.

Jubilæum. — Quoad confessarios, 307. — Jubilæum Nostrorum quomodo olim celebratum, 309.

Judicium. — Ejus defectus impedimentum, 29, 35. — Rectitudo in Superioribus, 204, 228, 256. — Et in missionariis, 394, 398.

Judicii forma non necessaria in dimissione, 378. — Judicium de admittendis, 22. — Judicium de graduandis, 175. — In examinibus ad gradum, 172. — In actibus scholasticis, 435, 436. — In revisione librorum, 523.

Juniores. — Peculiaria pro ipsis, 321. — Lectio spiritualis, 268.

Juramentum. — Assistentium, 217. — Judicum de scientia, 445, 446. — Dispensatio in juramentis pro Nostris, 312. — Pro externis, 543. — Perjurium est reservatum, 341, 342.

Jurisdictio. — Duplex in missionibus exteris, 398. — Cuinam subest operarius extra Provinciam suam, 392. — Cf. *Confessarii*.

Jus can icum. — A Nostris quomodo st: ndum, 424. — Utrum in cursu min i, 426. — Repetitiones, 432. — Ra docendi, 486. — Doctoribus quomodo supplet defectum theologicum quoad Professionem, 173.

Jus civile. — Utrum docendum, 463.

Jus petendi debitum. — Privilegium restituendi, 544.

L

Labor. — Ne sit nimius, 335, 337. — Nec intempestivus, 335. — Vitandum otium, 334.

Lectio spiritualis. — Quotidiana, 313. — Junioribus utrum augenda, 268. — In refectorio, 313.

Lectiones scholasticæ. — Cf. *Theologia*, etc.

Legata. — Confidentialia prohibita, 93, 529. — Legata accipiunt Professi, 113, 114. — Futura utrum renuntientur, 103.

Liberalismus. — Avertendus, 500. — Quomodo impugnandus, 500.

Libri. — Lascivi arcendi, 144, 145. — Magici comburendi, 145. — Prohibiti qua ratione permittendi, 145. — Liber textus in scholis, 426.

Libri admissionis ad novitiatum, 50. — Ad vota devotionis, 64. — Ad prima vota, 162. — Ad ultima vota, 186. — Ad Ordines, 428.

Libri administrationis. — Pro Generali, 210, 266. — Superiorum, 210, 264, 570. — Procuratorum, 514. — Rationum et missarum, 280. — Accurate conficiendi, quoque mense visendi, 280.

Librorum scriptio, editio. — Non scribendi sine licentia, 522, 525. Nec scribendum de quibusdam argumentis, 522, 525. — Litteræ ædificantes, 575. — Libri revisendi omnes, 525. — Revisores quot, 522. — Quid si Provincialis scriptor, 522. — Revisio novæ editionis, 522. — Revisorum officia, 523. — Judicium duplex, 523. — Ejus ratio, 523. — Utrum huic judicio standum, 525. — Quando emendandus liber, 523. — Ordo revisionis ex R. P. Beckx, 525. — Sanctio hujus legis, 524. — Præscripta canonica de editione librorum, 525, 568. — De imprimendis et vendendis libris, 526. — Nomenclator NN. Scriptorum, 526. — Paupertas Domus scriptorum, 132.

Linguæ. — Cf. *Hebraica lingua*, *Grammatica*, etc.

Litaniæ. — Recitantur quotidie, 304. — Preces additæ, 304, 305. — Ne citius legantur, 305. — Recitatio privata utrum obligatoria, 305. — Omittuntur sacro Triduo, 305. — Quænam litaniæ permittuntur, 305.

Lites. — Vitandæ, 519, 529.

Litteræ humaniores. — Cf. *Humaniores litteræ*.

Litteræ missivæ. — Ne scribantur sine licentia, 334. — Ne sint nimiæ, aut mundanæ, 334. — Ad conscientiam pertinentes, 334. — Quænam non aperiendæ, 271, 334, 283, 129. — Scribendæ Generali, 211. — Inter Nostros, 325. — Annuæ, 325. — Ædificantes, 575.

Litteræ de defunctis, 327, 328. — Patentes itinerantium, 272.

Ludi. — Permissi, prohibiti, 145, 337. — Modus religiosus, 136, 137. — Cf. *Recreatio*.

M

Magister novitiorum. — Dotes, jura, 67, 68. — Respectiva Rectoris ejusque auctoritas, 67. — Ejus officium, 68. — Ejus Socius et Manuductor, 68. — Quando scribat, 70. — Utrum dimittere possit, 74, 370. — In consultationibus de dimittendo intersit discrete, 70; — ejus judicium magni faciendum, 70. — Utrum possit esse Consultor Provinciæ, 569. — Cf. *Candidati*, *Impedimenta*, *Probatio*, etc.

Magistri. — Ne familiares cum discipulis, 332. — Quid præstent in circulis, 432. — In disputationibus et actibus, 434, 435. — In Universitate subsunt Rectori, 463. — Officia Magistrorum, 473. — Modus docendi, 479. — Delectus doctrinæ, 491, sqq. — Cf. *Theologia*, etc.

Magnates. — Ne captetur horum gratia, 529. — Ne offendantur, 530. — Missionarii sint observantes, 398.

Mahumetani. — Cf. *Impedimenta*.

Majoratus. — Quoad ingressum, 35. — Quoad Professionem trium votorum, 187.

Manifestatio delictorum. — Cf. *Denunciatio fraterna*.

Maria. — Ejus nomen et Cor zelavit Societas, 1. — Cf. *Congregationes*, *Rosarium*, etc.

Martyrologium. — Legendum in prandio, 313.

Matheses. — Profectus quomodo curandus, 422. — Qua parte Nostris tradendæ, 423. — Ratio docendi, 481. — Ratio in examine, 579.

Matrimonium. — Qua ratione impedimentum, 29. — Et a quo dispensatio, 41. — Contrahendum irritant vota prima, 135, 136. — Contractum non irritant vota publica Coadjutorum, 191. — Quomodo Professio, 136. — Nostri de connubiis jungendis non tractent, 528.

Maurisci. — Habent impedimentum, 30, 31, 32.

Medicina. — Non docenda a Nostris, 463. — Nec scribendum de illa, 522.

Medicus. — Sit unus, in casu periculoso plures, 338. — Tempestive vocetur, 338. — Non consulendus sine facultate, 338. — Quomodo excipiendus, 338.

Meditatio. — Quotidiana, 304. — Visitetur, 304. — Cf. *Oratio*.

Mendicatio. — Novitiorum, 57. — Ante prima vota, 161; — ante ultima, 184. — Ex eleemosynis vivit Societas professa, 116. — Et quandoque Collegium, 453. — Societas Ordo mendicans, 4. — Cf. *Eleemosynæ*.

Mensa. — Ordo sedendi, 331. — Ratio se habendi, 335. — Tractatio

in mensa, 335. — Tractatio hospitum, 324. — Tempore Congregationis Provincialis, 300. — Tractatio Magistrorum, 336.

Minister. — Officium ejus, 274. — Qualis, a quo nominandus, 274. — Cur non simul procurator, 274. — Ejus potestas, 274; — respectiva cum Magistro novitiorum, 67; — cum Procuratore, 274. — Non præcipit, 274. — Comprehenditur in quarto casu reservato, 149. — Visitat januas per se aut per sacerdotem, 274. — Invigilet minus sollicitos, 337.

Ministeria. — Gratis exercenda, 83. — Spiritualia quænam præeligenda, 396. — Aliena ab Instituto, 397, 527, sqq. — Cf. *Confessio*, etc.

Missa. — Quotidie audienda, 306, 331. — Crebro, quotidie celebranda, 306. — Juxta ritum Romanum, 414, 306. — Duret per semi-horam, 306, 307. — Utrum solemnis habenda, 414.

Privilegia circa horam, 306, 549. — Circa locum, 550. — Circa altare, 551. — Circa modum, 552, 553. — Missa de requie, 552. — Binatio, 306.

Missæ præscriptæ pro defunctis, 328, 329. — Præscriptæ ex regula non differantur propter defunctos, 306. — Affixæ tempori, quando supplendæ, 306. — Perpetuo inhabilis supplet per rosaria, 306. — Non celebrandæ per alium, 306. — Indictæ sine limite, quamdiu, 306. — Obligatur Rector, 306. — Ad extraordinarias, quomodo missionarii, 306. — Quomodo in minoribus domibus, 306. — Quomodo qui stipendia accipiunt, 306. — Sacra pro fundatoribus et benefactoribus, 455, sqq.

Missarum stipendia ad quid applicanda, 403, n. V; 110. — Reddatur ratio exacta, 251, 280. — Celebrans loco parochi, hunc non liberat, 306. — Unico sacro non satisfit duplici intentioni, 306. — Onera vitanda, 452.

Missiones. — Sensus hujus vocis. 390. — Earum momentum, 391, 574. — Quinam mittere valent, 392. — Utrum extra Provinciam, 392. — Quo mittendum, 393. — Quinam mittendi, 394. — Cui subjicitur missionarius, 394. — Officia ejus, 395. — Opera seligenda, 396, 574. — Vitanda, 397. — Jurisdictio missionarii extra Provinciam, 392. — Indulgentiæ missionum, 392, 558. — Facultates missionarii, 542, sqq., 545, 550, sqq., 556, 559, 566.

Missiones transmarinæ. — Informatio de mittendis, 398. — Dotes missionarii, 398. — Duplex jurisdictio in eum, 398. — Paupertas missionum, 131. — Arca missionis, 131. — Instructio R. P. Martin de bonis, 399, sqq. — Litteræ ædificantes, 575. — Cf. *Privilegia.*

Moniales. — Non accedendum ad crates, 142. — Non ingredienda clausura, etiam ægrotantium, 141, 143, 533. — Olim quid permissum quoad Exercitia, 142, 533. — Confessiones earum, 533; — decumbentium 533; — orphanellarum claustralium, 533. — Non se immiscendum negotiis monialium, 533. — Confessiones piarum mulierum conviventium, 533. — Non facienda visitatio monasteriorum, 533.

Mortificatio. — Cf. *Pœnitentiæ.*

Morbus. — Cf. *Valetudo*, *Moribundi*, *Medicus.*

Moribundi. — Quomodo Nostri juvandi, 326. — Quomodo se gerant, 326.

Mulieres. — Utrum visitandæ, 141, 142, 143. — Allocutoria, 140. — Ne ornent altaria, 142. — Non danda eis

munuscula, 142. — Quomodo eleemosynæ, 527. — Non admittantur mensæ, nec in villis, 140. — Nec in ancillas, 198. — Ne comitentur Nostros itinerantes, 140. — Non porrigenda manus, 142. — Quomodo danda eis Exercitia, 142, 533. — Arcendi Nostri a conservatoriis earum, 142, 533. — Non celebranda in nostris ecclesiis consecratio, 142. — Non jungenda connubia, 528. — Non sumenda cura particularis, 531. — Quid quoad exercitantes apud moniales, 533. — Confessiones mulierum conviventium, 533. — Cf. *Clausura, Moniales, Socius visitationum, Allocutoria, Aliena ab Instituto.*

Munuscula. — Moderanda, 241, 251, 532. — Non facienda mulieribus, 142. — Munuscula Superiorum Nostris, 77. — Mutua inter Nostros, 77; — inter juniores, 321.

Mundities. — Curanda, 335.

Musica instrumenta. — Quomodo prohibita, 145. — Organum, 414.

Mutuum. — Acceptum sine licentia, 93. — Datum, 91, 93, 94.

N

Negotia. — Etiam pia, quomodo suscipienda, 152. — Particularium utrum tractanda, 529. — Politica vitanda, 528. — Præceptum impositum, 364. — Cf. *Aliena ab Instituto.*

Negotiatio. — Etiam species ejus prohibita, 89, 525.

Novitiatus. — Ejus duratio, 54. — Interruptio, 54. — Continuatio in Collegiis, 55. — In casu militiæ, 55. — Utrum contrahi possit, 56; — saltem ad Professionem, 56. — Quomodo peragendus, 57, sqq. — Non venit nomine *Seminarii* quoad renunciationes, 107. — Cf. *Novitii.*

Novitii. — Olim numerus limitatus, 19. — Sex experimentis probandi, 57, 58. — Et aliis exercitiis instituendi, 59. — Post semestre examinandi, 60. — Et in fine novitiatus interrogandi, monendi, 60. — Communicant privilegia, 61. — Quinam confitentur, 61. — Subduntur reservationibus, 339. — A quo absolvuntur, 68, 61. — Quomodo in irregularitatibus dispensantur, 62. — Renunciationes eorum, 63. — Vota devotionis, 64, sqq. — Inepti opportune dimittendi, 70. — A quo, quando, 74. — Utrum Ordinandi, 71. — Degentes in aliena Provincia, 74. — Varia responsa de novitiis, 72, sqq. — Cf. *Candidati, Impedimenta, Novitiatus, Probatio prima, Magister novitiorum.*

O

Obedientia. — Extensio voti erga Papam et Superiores, 146. — Materia, 147. — Violatio, 148. — Quomodo reservata, 149. — Quandonam habetur præceptum, 148. — Repræsentationes, 150. — Recursus, 151. — Virtutis perfectio, 152. — Observanda etiam in piis negotiis, 152.

Offensiones. — Maxime Religiosorum, vitentur, 530. — Cf. *Caritas fraterna.*

Officia humilia. — In novitiatu, 57. — A Superioribus obeunda, 265. — Ab omnibus, 303.

Officium divinum. — Solemnia quomodo habenda, 414. — Cf. *Horæ canonicæ, Chorus.*

Opiniones. — Cf. *Doctrina Societatis.*

Oppignoratio. — Quomodo subeunda, 512.

Oratio. — Quotidie facienda, 304. — A Novitiis, 59. — A Tertiariis, 201. A Coadjutoribus, 195, 196. — Seor-

sim facienda, 305; — saltem regulariter, 305. — Optandum flexis genibus, 305. — Quomodo per vacationes, 305. — Visitetur, 304; — non tamen a Novitio, 305.

Oratoria. — A quo, quomodo deputanda, 410. — Ibi asservari potest Eucharistia, 410. — Et distribui communio, 410. — At per se non in oratoriis privatorum, 410. — In quibus utrum celebrandum, 550; — et quomodo ordinanda missa, 552. — A quo reconcilianda oratoria nostra, 555. — Indulgentiæ eorum, 561.

Ordinationes. — Generalium, vis, 7. — Cf. *Ordines*.

Ordines. — Quando suscipiendi, 428. — A quibusnam, 428. — Quomodo, 428. — Observanda Ord. VII, 428. — Nostri ab Episcopo non examinentur, 429. — Privilegia circa Ordinationes, 429. — Quid novissime præscriptum a S. Congregatione EE. et RR., 429. — Ordinatio Novitiorum, 71. — Cf. *Irregularitates*.

Origo. — Cf. *Impedimenta*.

Orphanotrophia. — Utrum consentanea Instituto, 532.

Otium. — Cf. *Labor*.

P

Parentes. — Quomodo ad eos itinerandum, 333. — Necessitas quomodo subvenienda, 39, 87. — Utrum suscipienda negotia, 529, 530.

Parochia. — Non admittenda, 452, 532. — Usus proventuum, 399, 532, 87. — Subjectio parochi, 398.

Parva Domus. — Facultas unius Confessarii, 347. — Utrum exempta, 541.

Papa. — Superior primarius, 146. — Votum Professorum erga ipsum, 179. — Gratiæ ab eo non petendæ, 539. — Concessæ ab eo facultates, quomodo moderandæ quoad usum, 78. — Ad eum appellatio, 151. — Exclusiva ipsi subjectio, 540.

Pater spiritualis. — Cf. *Præfectus rerum spiritualium*.

Paupertas ex regula. — Excludit *superflua*, 80, sqq. — Utrum hæc cum licentia sint contra votum, 81.

Compensatio pro ministeriis, 83. — Missiones possuntne fundari, 84. — Eleemosyna intuitu ministerii, 85, 86. — Eleemosyna pro missa, 85. — Dispensatio apostolica, 87. — Convictorum et externorum retributiones, 88, 134, 567. — Arca pro eleemosynis non apponenda, 88. — Pecunia pro sedibus, 88.

Species negotiationis vitanda, 89. — Quomodo libri et similia alia vendantur discipulis, 90. — De pecunia collocanda, 91, 93 et sqq.

Pecunia apud se non habenda, 92. — Neque apud alios ad usum, 92. — Deposita quomodo permittenda, 92. — *Pecunia mutuo* non accipienda, 93; — quomodo danda, 93, 94. — *Legata confidentialia*, exsecutio testamentaria, 93.

Pensiones ambulatoriæ prohibentur, 93, 106. — A pensionario non administrandæ, 93, 94. — Petitio *eleemosynarum* sit moderata, 95, 96. — In alienis Provinciis quomodo licita, 95. — Ipsa distributio discreta, 95; — æqua, 77. — Quomodo taxanda, 96, 261. — Quomodo inferiores eleemosynam dare valeant, 96.

Vita communis, 95, 94, 75. — Reculæ permissæ, 76. — Quid secum adsportandum, 76, 79.

Paupertas ex voto in genere. — Votum paupertatis in genere, 75. — Nil accipere in usus proprios, 75, 92. — Non uti re ut propria, 76, 78. Quæ licentia requiritur, 76. — Signa

retentionis indebitæ, 76. — Depositum alienæ pecuniæ, 77. — Res dispensandæ pro lubitu, 77. — Munuscula, 77, 96. — Dispensationes de paupertate scriptæ ostendendæ, 78. — Paupertas dispersorum, 78. — Quænam quantitas gravis, 78. — Votum non relaxandi paupertatem, 180. — Casus reservatus de paupertate, 341, 342. — Præceptum de mutuo, 361.

Paupertas cujusque classis et collectiva. — Religiosorum non formatorum, 97. — Religiosorum formatorum, 112. — Collegiorum, 88, 109, 125, 453. — Societatis formatæ, 116, 111, sqq. — Residentiarum, 128, sqq. — Missionum, 84, 131. — Domus Scriptorum, 132. — Seminarii Episcopalis, Convictus, Scholæ apostolicæ, 133. — Domicilii per societatem civilem possessi, 134. — Cf. *Professi, Scholastici,* etc., *Domus professa, Renunciatio.*

Peculium. — Cf. *Paupertas ex regula.*

Pensiones. — Cf. ibid., et *Renunciatio.*

Perturbatores. — Pœnæ in ipsos, 357. — Seditio casus reservatus, 344.

Pestis. — Peste infecti quomodo juvandi, 413.

Philosophia. — Nostris per triennium studenda, 423, 482. — Ordinarie ante magisterium, 423. — Exercitationes, 431. — Actus, 435. — Ratio docendi, 480. — Doctrina aristotelica, 494. — Propositiones prohibitæ a R. P. Beckx, 499. — Quæstio socialis, 578.

Physica. — Studium ejus, 423, 482. — Ejus ratio in examine, 446, 579.

Piana forma. — Non obligat in admissione, 47. — Utrum quoad tempus pro Professione, 56.

Pietas. — Quomodo fovenda in Nostris, 303, sqq. — In scholaribus externis, 501, 502.

Pœnitentiæ. — Usus excitetur, 303; — cum moderamine, 303, 318. — Libenter accipiendæ, petendæ, 318, 337. — Gradatio servanda, 318. — Indulgentiæ pro pœnitentiis in triclinio, 319.

Pœnitentiæ sacramentum. — Cf. *Confessio, Confessarii, Casus,* etc.

Pœnitentiaria. — Absolutio vi pagellarum ejus, 309. — Litteræ aperiendæ, exsequendæ, 547.

Polanci. — Directorium, 405.

Politicæ res. — Alienæ ab Instituto, 528.

Pontifex Maximus. — Cf. *Papa.*

Postulantes. — Cf. *Candidati.*

Præcepta obedientiæ. — Quando imponenda, 147. — Quænam imposita, 353. — Quoad electiones, Congregationes, 355; — Instituti conservationem, 357; — propositionem de delectatione turpi, 360, — de mutuo, 361, — de tyrannicidio, 362, — de potestate Papæ in reges, 363.

Prædia. — Curanda, 515. — Observanda quoad paupertatem in genere, 89. — Quoad paupertatem Professorum, 119. — Quoad clausuram, 137. — Cura Coadjutorum in illis, 196.

Prædicare. — Cf. *Concio.*

Præfectus rerum spiritualium. Quisnam eligendus, 279. — Attendat Superior utrum sedulus, 279. — Ejus officium, 279. — Qua ratione adeundus a scholasticis, a graduatis, 279, 314. — Cf. *Confessarii.*

Præfectus studiorum. — Generalis, 471. — Præfectus scholarum inferiorum, 472.

Prælati. — Cf. *Episcopi, Vota Professorum.*

Præmia. — Fundatio præmiorum, 452. — Distributio, 504.

Prandium. — Prandia externa non adeunda, 143, 342; — nequidem Religiosorum, 273. — Spatium inter prandium et cœnam, 331. — Recreatio post prandium, 331. — Cf. *Mensa*.

Principes. — Eorum confessarii, 407. — Familiaritas, 529.

Privilegia Societatis. — Utrum sublata a Clemente XIV, 7, 8. — Compendium eorum, 5. — Quænam in genere, 534. — Ubi inveniuntur, 534. — Quænam per communicationem, 535. — Interpretatio, 536. — Normæ utendi, 538. — Mens Societatis in utendo, 539. — Ne evulgentur, 539.

Exemptio, 540. — Casuum absolutio, 542. — Votorum dispensatio, 543. — Restitutio juris petendi debitum, 544. — Irregularitates, 545. — Dispensatio in abstinentiis, 546. — Utrum in jejunio, 546. — Litteræ Pœnitentiariæ aperiendæ, 547.

Eucharistia asservanda, 410. — Distribuenda, 410, 411. — Exponenda, 410. — Deferenda, 548. — Missæ tempus, 549; — locus, 550. — Altare, 551. — Missa de requie, 552. — In aliena ecclesia, 552. — Recitatio symboli Nicæni, 553. — Latissimum privilegium quoad modum, 553. — Binatio, 553. — Ritus orientales, 553. — Benedictio *sacrarum vestium*, 554. — Consecratio sacrorum vasorum, 554. — Tactus sacrorum utensilium, 554. — *Ecclesiarum* erectio, 555. — Consecratio, 555. — Reconciliatio, 555. — Oratorii deputatio, 410.

Calendarium proprium, 556. — *Breviarii* recitatio, 556, 566; — pro Exercitantibus, 556. — Calendarium pro auxiliaribus, 556. — *Benedictiones* variæ, 557. — Aqua S. P. Ignatii, 557. — Indulgentiæ, 558, sqq. — Cf. *Indulgentiæ, Ordines, Dimissio, Novitii, Piana forma*, etc.

Probatio. — *Prima* quomodo peragenda, 46, 50. — Non subjicitur disciplinæ Pianæ, 47. — Jurisdictio confessarii, 61. — Casus reservati, 339, 344. — Cf. *Impedimenta, Novitiatus*, etc., *Tertia probatio*.

Processiones. — Utrum debeamus his interesse, 415. — Utrum possimus eas instituere, 415.

Procurator Assistentiæ. — Munus et officium, 230.

Procurator Domorum. — Dotes, munus, 280, 274. — Respectiva ejus et Ministri auctoritas, 280. — Cf. *Administratio temporalis, Paupertas, Census*, etc.

Procurator generalis. — Nominatio, munus, 227. — Dotes, officia, 228. — Jura, 229. — Utrum subditus Superiori locali, 227.

Procurator Provinciæ. — Dotes, munus, 244, 245. — Reddat rationes respectivis Rectoribus, 126. — Procuratores Provinciarum alienarum, 244; — quoad casus reservatos, 346.

Procuratores triennales. — Cf. *Congregatio provincialis*.

Professa Domus. — Ejus paupertas, 116, sqq., 121.

Professi quatuor votorum. — Incapaces dominio, 112; — hæreditariæ successionis, 112. — Expuncta contraria declaratio, 112, 115. — Dispensatio pro Belgio, 115. — Quomodo ante professionem possit abdicari hæreditas futura, 113, 114, 103. — Capaces legatorum, 113. — Qua ratione habitant Collegia, ab his juvantur, 120, 121. — Dimissio eorum, 371, 379. — Catechizent neo-professi, 186. — Quid audit vox *Professi*, 17. — Cf. *Professio, Vota Professorum*.

Professi trium votorum. — Quinam admittendi, 187. — Requisita, tempus, ætas, 187. — Indoles hujus gradus, 187, 188. — Jura, 188. — Obligationes, 189. — Emittunt vota simplicia, 189.

Professio. — *Tempus,* ætas, 163, sqq. — Quomodo computandum septennium, 164, 165. — Inepti ad gradum quomodo retinendi, 163. — Tempus pro iterum admissis, 165. — Proponendi coætanei, 166. — Dilati, 166, 167, 168. — Retardatus non restituitur, 166, 167.

Quis promovet, 169. — Conditiones appositæ, utrum ad valorem actus, 168. — Præfixio diei utrum ad valorem, 168. — Quis excipit 169. — Utrum subdelegari possit ad excipiendum, 169, 185, not. 1. — Utrum externus, 169.

Informationes præviæ, 170, 171. — Requisita ad Professionem, 177. — *Doctrina,* 172. — Per examen expendenda, 172. — Dispensati ab examine, 172. — Doctores quomodo, 172, 173. — Quid suppleat doctrinam, 173, 174. — Præstantia *virtutis,* 175.

Stabilitas *ex professione* orta, utrum solvatur, 176. — Jura ex professione, 177. — Utrum eximat ab obedientia non Professorum, 178. — Ad curam puerorum quomodo obligat, 178, 186. — Votum obedientiæ *Papæ,* 179. — Professio nulla, quomodo convalidanda, 186, 169.

Ritus emissionis prævius, 184. — Concomitans, 185. — Subsequens, 186. — Testes, 185. — Ordo profitendi, si plures, 184. — Decumbens, 186. — Apparatus qualis, 185, 186, not. 2. — Cf. *Professi, Vota Professorum.*

Professores. — Cf. *Magistri.*

Promissio. — Ingrediendæ Societatis est votum, 159. — Ejus vis, ratio, 65; — pro Coadjutoribus, 159; — in votis devotionis, 159. — Declaranda novitiis, 60.

Propositiones. — Prohibetur non credere sed docere, 147. — Quænam proscriptæ, 495, sqq. — Cf. *Doctrina Societatis.*

Proprietas. — Cujusque domûs distincta, 127. — Proprietas Novitiorum, 99, 100. — Scholasticorum, 97. — Religiosorum formatorum, 112, sqq. — Variarum Domorum, 109, sqq., 116, sqq., 128, sqq. — Cf. *Paupertas,* etc.

Provincia. — Utrum capax reddituum, 124, 125. — Quoad renunciationes, quomodo intelligenda, 105. — Applicatio socii alteri Provinciæ, 289. — Non expedit numerosiores adesse ex alienis Provinciis, 263. — In eis corrogatio eleemosynarum, 95. — Degens extra Provinciam, quoad jurisdictionem, 392.

Provincialis. — Nominatio, 231. — Decedentis substitutio, 231. — Tempus regiminis, 232. — Ubi commoratur, 232. — Quorum expensis, 232.

Facultates extraordinariæ, 233. — Ordinariæ in genere, 234. — Quoad Superiores subordinatos, 234, 235. — Nominationem officialium, 235. — Auctoritates pares, superiores, harumque actus, 236. — Consuetudines, 236. — Admissionem, 40, 48, 237. — Modum et durationem novitiatus, 55, 56, 237. — Renunciationes, 100, 237. — Promotionem ad varios gradus, 168, 238. — Dimissionem, 239. — Tertiam probationem, 238.

Facultates quoad temporalia, unde cognoscantur, 240. — Obventionum admissio, applicatio, 240. — Servanda proprietatis distinctio, 240. —

Administratio arcarum, 240, 126. — Donationes, 241. — Alienationes, 241, 240, 520, 514. — Ædificia, 251. — Expensæ extraordinariæ, 251, 240. — Puncta præcipue attendenda, 251, 513. — Visitatio bonorum, 251; — computorum, 251; — missarum, 251.

Provincialis officia erga Generalem, 246. — Quando ei scribat, 246. — Erga alios Provinciales, 247. — Erga Visitatores, 247. — Erga Superiores locales, 247. — Erga Consultores, 248. — Erga futuros Superiores, 248, 252. — Erga subditos, 249.

De mittendis in alienas Provincias, 249. — De domibus suis in aliena Provincia constitutis, 249. — De studiis, 250. — Visitatio, 252. — Hora considerationis, 252. — Litteræ ad ipsum scribendæ, 247. — Adjutores Provincialis, 242. — Visitandus Provincialis, 255. — Confessarius Provincialis, 348. — Cf. *Privilegia*, *Congregatio provincialis*, etc.

Q

Quies. — Tempus quietis nocturnæ, 331. — Cf. *Somnus*.

R

Ratio conscientiæ. — Officia Superioris, 269. — Ejus momentum, 314. — Quando reddenda, 279, 314. — A candidatis, 46, 51. — A Novitiis, 60. — A Tertiariis, 202. — A graduatis, 279, 314. — Ejus materia, 315. — Modus, 314, 315. — Quibus reddenda, 279, 315. — Utrum uti licet, 316.

Ratio studiorum. — Ejus recensio, 7. — Cf. *Collegia*, *Doctrina Societatis*, *Theologia*, etc.

Ratio temporalis. — Exigenda, 518. — Cf. *Administratio temporalis*.

Recreatio. — Quotidiana, 331. — Recreationes studentium, 336. — Magistrorum et aliorum, 336. — Dies recreationis utrum FF. Coadjutoribus, 196.

Rector. — Sit ordinarie Coadjutor spiritualis, 471. — Cf. *Superior*.

Recursus. — Ad Superiores mediatos illicitus, licitus, 151, 359.

Regimen. — Indoles ejus in Societate, 16. — A formis politicis præscindimus, 528.

Regulæ. — Auctoritas, 7. — Obligatio, 9. — Liber non omnibus tradendus, 8. — Possunt regulæ verti, 8. — Quando mutari, 13. — Legendæ a Candidatis, 46; — a Novitiis, 60; — a cæteris, 303, 334; — a Scholasticis, 268. — Regulas affixas promittant scholares, 503.

Religiosi. — Magni faciendi, 4. — Imprimis Prædicatores, 530.

Reliquiæ. — Reliquiaria pretiosa, 80. — Reliquiæ quomodo servandæ, 416. — Non alienandæ, 416.

Renovatio votorum. — Quando, ubi, 319. — Triduana recollectio, 319. — Confessio generalis, 319. — Confessariorum designatio, 319. — Facultates, 347, 319. — Ritus renovationis, 319. — Ejus vis, 157. — De quo instruendi Novitii, 60.

Renunciationes. — Novitiorum, 63, 99, 100. — Aliorum, quando, 99, 100. — Quomodo computandum quadriennium, 100. — Quæ obligatio renunciandi, 100, 101. — Utrum illicitæ valeant, 101. — Sint universales, absolutæ, 102. — Quid de pensionibus et censibus personalibus, 102, 106. — Quænam bona possunt renunciari, 103. — Utrum hæreditates post vota ultima obventuræ, 114. — Cuinam acquirantur post renunciationem ante vota, 114.

— Pactiones cum parentibus, 104. — Applicatio legitimarum, 104. — In cujus favorem fiat renunciatio, 105. — Quid si Societatis, 105. — Quando parentum, 107, 108. — Renunciatio beneficiorum, 108.

Repetitiones. — Theologicæ, 427. — Cf. *Disputationes.*

Reservati casus. — Cf. *Casus reservati.*

Residentiæ. — Quotuplicis generis, 128, sqq. — Dependentium Superiores, 129. — Non multiplicandæ, 130. — Tempore dispersionis, 130.

Responsa Generalium. — Vis, indoles, p. 13, sqq. — Codices unde desumpta, p. 15.

Retributiones. — Cf. *Paupertas ex regula.*

Revisio librorum. — Cf. *Librorum scriptio.*

Revisores generales. — Remissive, 220.

Rhetorica. — Per biennium, 422. — Quinam applicandi, 422. — Quomodo ordinanda, 422. — Servanda ejus præeminentia, 422; — quamvis alia studia fovenda, 422. — Studium linguæ latinæ, 422. — Exercitationes rhetorum, 430.

Ritus. — Romanus servandus, 306, 414. — Orientales libris non tractandi, 525. — Dispensatio in quibusdam ritibus pro missionariis, 553.

Ritus emittendi vota devotionis, 64, 66. — Scholasticorum, 166, sqq. — Coadjutorum, 192, 193. — Professorum, 184, sqq.

Roma. — Non petenda sine facultate, 333. — Ibi sedes Generalis, 209.

Rosarium. — Privatæ devotioni relinquitur, 304. — Recitare doceantur Coadjutores, 196. — Præcipitur ad certas intentiones, 104. — Pro defunctis, 328, 329. — Intelligitur tertia pars rosarii, 305. — Mos gestandi de cingulo, 305. — Utrum tempore missæ recitandum, 306. — Commutatio breviarii in rosarium, 556. — Indulgentiæ ipsi applicandæ, 559.

Rusticatio. — Cf. *Villæ, Vacationes, Recreatio.*

S

Sacerdotes. — Quomodo ordinandi, 428, 429. — Non ante examen morale, 444. — Cf. *Missa, Confessio*, etc.

Secularizatio. — Remissive, 379.

Scholæ apostolicæ. — Qua ratione commendandæ, 468. — Earum paupertas, 133. — Earum exemptio, 468. — Indulgentiæ, 468.

Schola elementaris. — Cf. *Abecedarii.*

Scholastici. — Eorum dotes, 44. — Vere membra Societatis, 153. — Vere Religiosi, 153. — Vere mendicantes, 153. — Hæc explorati juris, 153. — Quo sensu professi, 17.

Recedentes aut ficte dimissi sunt apostatæ, 154. — Fautores excommunicantur, 154. — Et consulentes externos de dimissione, 154. — Quomodo transire possint, etiam ad Carthusiam, 154. — Statuentes egressum, non absolvendi, 375. — Dimissi cuinam subjiciuntur, 155. — Causæ dimissionis, 155, 156, 366. — A quo fiat, 369.

Horum vota suspendunt alia, 157. — Utrum tollunt irregularitates, 157, 158. — Quomodo obligatur erga eos Societas, 156. — Quomodo participant jus Professorum, 158. — Utrum indifferentes sunt ad gradum Coadjutorum temporalium, 159. — Cura eorum, 268, 250. — Cf. *Candidati, Ordines, Præfectus rerum spiritualium, Exercitia spiritualia, Confessarii*, etc.

Scholastici externi. — Possunt admitti, 449, 462. — Quomodo instruendi ad pietatem, 501. — Continendi in disciplina, 503. — Incitandi, 504. — Tuenda horum valetudo, 504. — Non eis imponantur contributiones, 508. — Hodie tamen quomodo exigatur retributio, 88. — Abeuntes muniendi testimonio, 508. — Cf. *Collegia*, etc.

Scientiæ naturales. — Quomodo Nostris tradendæ, 423. — Et in genere, 482.

Scriptores. — Cf. *Librorum revisio, scriptio.*

Scriptura sacra. — Per biennium studenda, 424. — Utrum in cursu minori, 426. — Repetitiones, 432. — Ratio docendi, 484. — Studium commendatur recolentibus theologiam, 427. — Formandis Concionatoribus, 383. — Audienda lectio, si fit in nostro templo aut Domo professa, 313. — Propositio de universalitate diluvii quoad homines, 498.

Secretarius Societatis. — Quomodo eligendus, 225. — Officia, 223. Dotes, 224. — Jura, 225. — Preces pro ipso, 225. — Ejus substituti, 226.

Secretum. — Inter Nostros, quatenus licitum, 152. — Confessionis sigillum, 311. — Ratio conscientiæ, 314, 316. — In specie quoad dimissionem, 367. — Cautus sit in consultatione Magister Novitiorum, 70.

Seminaria episcopalia. — Eorum paupertas, 133. — Utrum imponenda ipsis contributio pro Collegio Nostrorum, 134. — Cuinam acquiruntur quæ ibi a NN. percipiuntur, et quomodo ea applicanda, 133, 134. — Utrum Superiori jus sit ad Congregationem provincialem, 301. — Quomodo acceptanda, 466. — Vitanda in acceptatione, 466. — Quomodo Nostri subjiciuntur Ordinario, 466.

Seminaria Nostrorum. — Arca Seminariorum, 125, sqq. — Quomodo adjuvanda, 110. — Privilegia quoad renunciationes, 105. — Hæc tamen non se extendunt ad Domum probationis, 107. — Cf. *Collegia*, etc.

Silentium. — Quomodo servandum, 332. — Quid de rebus necessariis, 332.

Societates civiles. — Paupertas domorum quas hæ possiderent, 134.

Societas Jesu. — Ejus nomen, 1. Finis, 2. — Regimen, 16. — Membra, 17. — Religio clericalis, mendicans, 3, 4. — Vita ejus communis, 3. — Humiliter amanda, 4. — Moderna et antiqua identicæ, 8. — Substantialia, 10, 11. — Censuræ et præcepta ad ejus conservationem, 356, 357.

Societas professa. — Incapax hæreditatis, 113; — reddituum stabilium, 116, 117. — Superintendit bona Collegiorum, 111. — Quo sensu dicitur simpliciter Societas, 17.

Socius. — *Magistri novitiorum*, 69. — *Provincialis*, nominatio, dotes, munus, 242. — Non aperiuntur litteræ, 242. — *Itineris*, quoad confessiones, 310. — Quoad reservata, 348, — *Visitationum*, Præscripta regulæ, 141, 143. — Momentum, 143. — Addatur itineranti ad suos, 143.

Somnus. — Ejus ratio, 135, 136. — Duratio, 331.

Sodalitas. — Cf. *Congregationes B. M. V. et Bonæ Mortis.*

Stipendium. — Cf. *Paupertas ex regula.*

Studium. — Cf. *Collegia*, etc.

Subminister. — Munus, 275.

Substantialia Instituti. — Quænam, 10, 11. — Utrum mutanda, 11.

Substitutus. — Assistens substitu-

tus, 218. — Substitutus Assistentis, 226.

Summarium. — Indulgentiarum, 561.

Suffragia. — Pro defunctis nostris, 328, 329. — Pro fundatoribus et benefactoribus, 456, sqq. — Cf. *Missæ*.

Supellex sacra. — Benedictio ejus, consecratio, 554. — Quis sacra vasa tangat, 554. — Pretiosa non alienanda, 520.

Superior. — Quis hoc nomine, 256, 538. — Nominatio, informationes, 256. — Nominatio provisorie, 257. — Ejus vices gerens, 257, 274. — Quandonam dicitur vice-Rector, 257. — Duratio regiminis, 259. — Dotes, 259.

Potestas unde determinanda, 260. — In quos se extendat, 260. — Erga seipsum, 260, 265. — Erga Superiorem hospitem, 260, 266. — Erga hospites, 260. — Præcipua auctoritatis puncta, 261. — Quoad privilegia, 358, 542, sqq. — Quoad eleemosynas, 261, 96. — Utrum concedatur arca propria, 261, 92. — Superiores Residentiarum et Missionum, 262. — Vice-Superiores, 263, 257. — Jus excommunicandi, 270.

Officia erga Deum, seipsos, 264. — Erga alios Superiores, 266. — Erga Consultores, 267, 266. — Erga candidatos, 268, 48. — Erga dimissos, 268, 52. — Erga Scholasticos, quoad studia et spiritum, 268. — Erga Coadjutores, 268. — Quoad rationem conscientiæ, 269. — Quoad denunciationes, 269. — Quoad pœnitentias, 270. — Quoad exhortationes et curam spiritus, 270. — Quoad dimissiones, 271. — Erga ægrotos, moribundos, 270. — Erga hospites, 272. — Erga externos, 273. — Erga Admonitorem, 277. — Erga Procuratorem Provinciæ quoad bona Domûs, 126.

Scribendæ litteræ, 266, 211. — Catalogi conficiendi, 266, 210. — Libri administrationis, 264, 570. — Libri Procuratorum videndi, 280. — Quænam litteræ non aperiendæ, 271.

Varia. — Præmittenda initio gubernationis, 264. — Hora considerationis, 264. — Officia humilia obeunda, 265. — Regulariter non prætermittatur Provincialis, 266. — Superior cum simplicitate recipiendus, 266. — Ne instetjut liberetur a subditis, 267. — Ne se claudat clavi, 268. — Doctrinam Christianam quomodo faciat, 265, 178, 186, 192. — A quo absolvatur a reservatis, 348.

Supplicationes. — Cf. *Processiones*.

Syndici. — Eorum munus, 275.

T

Tabacum. — Fumus olim sub præcepto prohibitus, 81, 338. — Qua ratione permittendus, 338.

Tactus. — Mutuus vitandus, 136. — Non jocandum cum animalibus, 137. — Tactus sacrorum vasorum, 554.

Tertia Probatio. — Finis, obligatio, 199. — Quis dispenset, dispensetur, 199. — Quis jus ad eam habeat, 199. — Instructor, 200. — Respectiva ejus, Rectoris et Ministri auctoritas, 200. — Quando scribat Generali, 200, 202. — Tertiariorum confessio, reservatio, 200. — Ratio conscientiæ, 315. — Officia, adjumenta, 201, 202. — Cura valetudinis, 202. — Segregatio eorum, 202. — Domus quomodo constituenda, 203; — habet redditus stabiles, 203; — comprehenditur voce *Novitiatus*, 200.

Testamentum. — Confectio, exsecutio prohibita, 93, 529. — Testa-

mentaria hæreditas quoad Nostros, 112, 113, 103, 104.

Theologia compendiaria. — Per triennium, 424, 489. — Utrum addendi cursus accessorii, 426. — Utrum petenti concedenda, 426. — Amoti a scholastica, eam audiant, 426.

Theologia dogmatica. — Per quadriennium, 424. — Prælegendus textus typis impressus, 426. — Exercitationes, 431. — Repetitiones in scholis, 432; — per biennium, 427. — menstruæ, 434. — Actus particulares, 435; — generales, 436, 437. — Ratio docendi, 478, 479, 483. — Unitas, securitas doctrinæ, 491, 492. — Theologia S. Thomæ, 493. — Præscriptæ, proscriptæ theses, 495, sqq., 360. — Lector præparetur docendo philosophiam, 426.

Theologia moralis. — Per biennium, 424. — Quomodo ordinanda, 488, 489. — Ratio docendi, 488. — Studium principiorum, 424. — Cura hujus scientiæ, 488. — Vitanda laxitas, levitas, 488, 498. — De levitate materiæ in delectatione turpi, 497, 360. — De probabilismo, 497. — Cf. *Casus conscientiæ.*

Tituli. — Quibus titulis Nostri compellendi, 322. — Quibus inscribendæ litteræ, 322.

Tituli fiduciarii. — Prudentia in his investiendis, 91, 516.

Toni. — Quomodo habendi, dirigendi, 383, 384. — Pro Novitiis, 57, not. 1. — Cf. *Concionatores.*

Tragœdia. — In scholis, 505, 506.

Transformatio. — Unius domûs in aliam, 450.

Transitus. — Quisnam permitti potest, 381. — Pœnæ in illegitime transeuntes, 381. — Tertius transitus, 381.

Typographi. — Cf. *Librorum scriptio.*

U

Unctio. — Unctio S. Spiritus dirigat admittentem, 22. — Cf. *Extrema Unctio.*

Uniformitas. — In ratione vivendi, 95, 325. — In administratione Sacramenti Pœnitentiæ, 404. — In doctrina, 491.

Unio. — Cf. *Caritas fraterna.*

Universitates. — A quo, qua ratione admittendæ, 450, 463. — Potest ibi acceptari onus lectionis theologiæ, 83. — Utrum legendæ leges, medicina, 463. — Officiales Universitatis, 471. — Ordo et insignia, 463, 464. — Auctoritas Magistrorum, 463, 464. — Pecuniæ academicæ, 464. — Nostri graduari possunt, 463. — Dignitates in Universitate externa, 463.

V

Vacationes. — Vacationes studentium, 337. — Cf. *Recreatio.*

Valetudo. — *Tuenda*, 272, 335. — Hæc moderatio facit ad conservandum Institutum, 272. — Media, 335, sqq. — Cautelæ in ministeriis periculosis, 338.

Valetudo *reparanda*, 338. — Ægrotorum cura, 272, 337, 338. — Hi oblectandi, 81, 272. — Quorum expensis, 272, 338. — Infirmus quomodo se gerat, 337, 338, 535. — Convalescentes in triclinio, 338. — Invisendi ægroti, 338. — De medico, 338. — Cœli mutatio, 338. — Aquæ medicæ, balnei, tabacum, 338. — Amentes, 338. — Senes, 330. — Ægrotorum communio, 338.

Venatio. — Etiam avicularum prohibita, 336.

Verbum Dei. — Ubique prædicandum, 382. — Cf. *Concionatores.*

Vesperæ. — Utrum habendæ in nostris ecclesiis, 414.

Vestes. — Quales, 80, 81. — Sæculares utrum permittendæ, 81. — Non duplices nisi ex dispensatione, 80, 82. — Vestitus FF. Coadjutorum, 194.

Viaticum. — Moribundis, 410. — Cf. *Extrema Unctio.* — Viaticum non exigendum ut stipendium, 85. Cf. *Itinera.*

Vicarius generalis. — Quomodo eligendus, 213. — Potestas, 214. — Potestatis limites, 215. — Officia, 216. — Preces pro ipso, 214. — Non nominat successorem, 216.

Vice-Superior. — Officium, 263. — Quando vocandus Vice-Superior, 257. — Utrum jus habeat ad Congregationem provincialem, 288.

Victus. — Ratio victus, 335. — Quædam particularia, 335. — Nil sumendum extra tempus constitutum, 335, 337.

Villæ. — Externorum non visitandæ, 143, 333. — Nostræ a mulieribus non visitandæ, 140; — nec habitandæ, 137. — Cura FF. Coadjutorum in villa, 196. — Recreatio, 196.

Visitatio. — Visitationes mulierum, 527. — Sæcularium, 532. — Visitatio Provinciæ, 253. — Provincialis, 255. — Visitatio cubiculorum, 331. — Examinis, 304. — Meditationis, 304.

Visitator. — Inutilis, quando cessat, 231. — Munus et potestas, 253. — Utrum jus habeat ad Congregationem, 253. — Officia, 254.

Visitatores domestici. — Cf. *Visitatio.*

Vita communis. — Servanda cum rationabili dispensatione, 335.

Vota coadjutorum. — Cf. *Coadjutores temporales, spirituales.*

Vota devotionis. — Quinam emittant, 64. — Effectus, 64, 65. Ritus, 65. — Renovatio, 66.

Vota externorum. — Ingredientes ob votum, 20. — Jus dispensandi in votis externos, 543. — Nostros, 312.

Vota in articulo mortis. — Novitiorum, 64.

Vota post biennium. — Ætas requisita, 56. — Effectus quoad Religiosum, 153. — Quoad Societatem, 156. — Alii effectus, 157, sqq. — Quartum votum, 159. — Acceptantur vere, conditionate, 153. — Solvuntur a Generali, solum justis de causis, 155, 156. — Convalidat ea renovatio, 157. — Apti ad hæc vota, 160. — Quinam ad ea admittant, 160. — Quid præmittendum emissioni, 161. — Ritus emissionis, 161, 162. — Cf. *Castitas, Obedientia, Paupertas, Dimissio.*

Vota Professorum. — Votum solemne Missionis Pontificiæ, 179. — Utrum ad plura obliget quam votum obedientiæ, 179, 147, p. 136. — Votum paupertatis, 112, sqq. — Votum de non relaxanda paupertate, 180. — Dispensatur a solo Papa, 182. — Votum non ambiendi in Societate, 181, 129. — Non ambiendi extra, 182. — Denuntiandi ambientes, 183. — Votum audiendi Generalem, 183.

Ritus emittendi Professionem, 184, sqq. — Vota simplicia Professorum, 186. — Quæ iteranda si Professio fuit nulla, 183. — Cf. *Professio, Professi quatuor votorum, Professi trium votorum.*

INDEX RERUM JUXTA ORDINEM MATERIÆ

Paginæ.

EXPLICATIO NOTARUM 5

MONITUM EDITORIS 7

AUCTORIS PRÆFATIO 9

PRÆNOTIONES :

I. *De Responsis Præpositorum generalium* 13

Descriptio codicum 15

II. *Indiculus Litterarum Apostolicarum* 17

III. *Bibliographia* 19

PROŒMIUM

DE SOCIETATE JESU, EJUSQUE INSTITUTO UNIVERSIM

CAP. I. — De Societatis nomine, fine et vita 21

CAP. II. — De Instituto Societatis :

Art. 1. — De Instituti partibus 24

Art. 2. — De substantialibus Instituti 28

Art. 3. — De Instituti mutatione, interpretatione, dispensatione ... 29

Art. 4. — De Instituti regimine et membris 31

PARS PRIMA

De candidatis et novitiis.

Proœmium 35

CAP. I. — De requisitis in Candidatis et de eorum examine 39

CAP. II. — De Candidatorum admissione 57

Scholion. — De admissione eorum qui a Societate recesserunt 59

CAP. III. — De secunda probatione, ejusque duratione 61

CAP. IV. — De experimentis Novitiorum 65

Scholion. — De examine semestri Novitiorum 67

CAP. V. — De juribus et votis Novitiorum 69

CAP. VI. — De Magistro Novitiorum 74

Scholion I. — De ordinandis Novitiis 77

Scholion II. — Varia responsa 78

PARS SECUNDA

De materia votorum in Societate.

Paginæ.

CAP. I. — De materia paupertatis *ex voto,* in genere 81
CAP. II. — De materia paupertatis *ex regula,* in genere 86
CAP. III. — De paupertate Religiosorum non formatorum 100
Scholion. — De paupertate Societatis non formatæ 108
CAP. IV. — De paupertate Societatis professæ :
I. Quoad Religiosos seorsim sumptos 110
II. Quoad Professos collectim sumptos 112
Appendix. — I. Varia responsa circa paupertatem Societatis professæ 118
II. Varia responsa circa bona communia Provinciæ. 119
CAP. V. — De paupertate Residentiarum, Missionum et quorumdam piorum Societatis institutorum 123
CAP. VI. — De voto castitatis 127
CAP. VII. — De voto et virtute obedientiæ 135

PARS TERTIA

De natura et ratione votorum in Societate.

CAP. I. — De tribus votis *Scholasticorum.* 141
CAP. II. — De quarto voto Scholasticorum 147
CAP. III. — De ritu emissionis votorum Scholasticorum 149
CAP. IV. — De *Professionis* tempore et præviis 151
CAP. V. — De conditionibus ad Professionem requisitis 157
CAP. VI. — De natura et effectibus Professionis 161
CAP. VII. — De votis simplicibus Professorum 164
CAP. VIII. — De ritu Professionem emittendi 168
CAP. IX. — De Professione trium votorum 171
CAP. X. — De Coadjutorum *spiritualium* votis 174
CAP. XI. — De Coadjutoribus *temporalibus* 177
CAP. XII. — De tertia probatione 182

PARS QUARTA

De regimine Societatis.

CAP. I. — De Præposito generali 187
CAP. II. — De Vicario generali 195
CAP. III. — De Assistentibus 198
CAP. IV. — De Admonitore Generalis 202
CAP. V. — De Secretario Societatis 203

Paginæ.
CAP. VI. — De Procuratore generali 205
CAP. VII. — De Præposito provinciali :
Art. 1. — De ejus electione et facultatibus 207
Scholion. — De Adjutoribus Provincialis 214
Art. 2. — De ejus officiis 217
CAP. VIII. — De Visitatore seu Commissario 223
CAP. IX. — De Superioribus localibus :
Art. 1. — De eorum electione, dotibus et juribus 226
Art. 2. — De eorum officia 232
CAP. X. — De officialibus domorum :
1. De Ministro 242
2. De Subministro et Syndicis 243
3. De Consultoribus 244
4. De Admonitore 245
5. De Collaterali 245
6. De Præfecto spirituali 246
7. De Procuratore 246
CAP. XI. — De Congregatione generali 248
CAP. XII. — De Congregatione provinciali 251
Scholion. — De jure quorumdam Superiorum ad Congregationem provincialem 265

PARS QUINTA

De disciplina Societatis et de mediis quibus in ea bonum promovetur.

CAP. I. — De mediis ad fovendam pietatem :
1. Media interna 269
2. Exercitia spiritualia 270
3. Sancta Eucharistia 272
4. Confessio 275
5. Verbum Dei 278
6. Ratio conscientiæ 279
7. Manifestatio delictorum 282
8. Pœnitentiæ 284
9. Renovatio votorum 285
10. Exercitia B. P. Ignatii 287
11. Peculiaria pro junioribus 288
CAP. II. — De mediis ad fovendam caritatem mutuam :
1. Media generalia 289
2. Quæ vitanda 290
3. Erga hospites de Societate 290
4. Erga absentes 291
5. Erga morti proximos 291

Paginæ.

6. Erga defunctos ... 292
Scholion. — De jure funerandi ... 294

Cap. III. — De domestico ordine :
1. Communia exercitia ... 297
2. Silentium ... 298
3. Communicatio cum externis ... 299
4. Litterarum commercium ... 300

Cap. IV. — De valetudine tuenda et reparanda ... 303

PARS SEXTA

De mediis quibus malum coercetur in Societate.

Cap. I. — De casibus reservatis ... 309
Cap. II. — De censuris et præceptis ... 320
Cap. III. — De dimissione e Societate et transitu ... 327

PARS SEPTIMA

De ministeriis sacris.

Cap. I. — De Verbo Dei ... 341
Scholion. — De jure concionandi ... 344
Cap. II. — De Missionibus ... 347
Scholion I. — De Missionibus transmarinis ... 350
Scholion II. — Instructio A. R. P. Martin de bonis Missionum ... 352
Cap. III. — De Sacramento Pœnitentiæ ... 359
Scholion. — De approbatione et jurisdictione ... 362
Cap. IV. — De Eucharistia, Extrema Unctione, Officiis, Reliquiis ... 365
Cap. V. — De Sodalitatibus ... 370
Scholion. — De Exercitiis spiritualibus aliisque ministeriis ... 373

PARS OCTAVA

De ministerio docendi.

STUDIA NOSTRORUM

Cap. I. — De studiorum ordine ... 375
Scholion. — Quandonam ad Ordines evehendi Nostri ... 380
Cap. II. — De exercitationibus Scholasticorum nostrorum ... 382
Cap. III. — De examinibus Scholasticorum nostrorum :
Art. 1. — De examinibus studiorum decursu ... 386
Art. 2. — De examine ad gradum ... 391

PARS NONA

De ministerio docendi.

STUDIA EXTERNORUM ET SCRIPTIO LIBRORUM

Paginæ.

CAP. I. — De Collegiorum fundatione et dissolutione 395
CAP. II. — De Collegiorum forma 404
CAP. III. — De Collegiorum regimine 412
CAP. IV. — De Collegiorum institutione :
Art. 1. — De scholis inferioribus 415
Art. 2. — De scholis superioribus universim 416
Art. 3. — De scholis philosophiæ 417
Art. 4. — De scholis theologiæ 418
Art. 5. — De academiis 420
CAP. V. — De doctrina Societatis 421
CAP. VI. — De Collegiorum disciplina 434
Appendix. — De dramatibus 438
Varia de magistris et discipulis 439
CAP. VII. — De temporali Collegiorum administratione :
Art. 1. — De sumptibus non augendis 441
Art. 2. — De proventibus non minuendis 445
CAP. VIII. — De scriptione librorum 451

PARS DECIMA

CAP. UNICUM — De iis quæ ab Instituto aliena sunt 457

APPENDIX DE PRIVILEGIIS

PARS I. — De privilegiis Societatis in genere 465
PARS II. — De quibusdam privilegiis in specie :
1. De exemptione 471
2. Ad pœnitentiam pertinentia 473
3. Eucharistia ut sacramentum 477
4. Eucharistia ut sacrificium 478
5. Horæ canonicæ 484
6. Benedictiones, cruces, rosaria, scapulare 485
7. Indulgentiæ 490
ADDENDA 497
INDEX ALPHABETICUS 501

21ª	30	Jun.	1829	17	Aug.	1829	P. Joan Roothaan.....	9	Jul.	1829	8	Maii.	1853	ex rescripto S. Pontificis.
22ª	22	un.	1853	31	Aug.	1853	P. Petr. Beckx	2	Jul.	1853	4	Mar.	1887	
23ª	16	Sept.	1883	23	Oct.	1883	P. Ant. M. Anderledy { Vic. G.... / Præp. G..	24 / 4	Sept. / Mar.	1883 / 1887	18	Jan.	1892	Vicarius cum futura successione. 1mo scrut, fere 3/4 suffr.
24ª	24	Sept.	1892	5	Dec.	1892	P. Ludovicus Martin	2	Oct.	1892				

SUMMI PONTIFICES QUI AB INEUNTE SOCIETATE REXERUNT ECCLESIAM

PRIMO SOCIETATIS SÆCULO

NOMEN	Elect.	Def.
Paulus III.....	1534	1549
Julius III.....	1550	1555
Marcellus II.....	1555	1555
Paulus IV	1555	1559
Pius IV.....	1559	1565
S. Pius V.....	1566	1572
Gregorius XIII.....	1572	1585
Sixtus V.....	1585	1590
Urbanus VII	1590	1590
Gregorius XIV.....	1590	1591
Innocentius IX.....	1591	1591
Clemens VIII	1592	1605
Leo XI.....	1605	1605
Paulus V.....	1605	1621
Gregorius XV.....	1621	1623
Urbanus VIII	1623	1644

SECUNDO SOCIETATIS SÆCULO

NOMEN	Elect.	Def.
Innocentius X.....	1644	1655
Alexander VII.....	1655	1667
Clemens IX.....	1667	1669
Clemens X.....	1670	1676
Innocentius XI.....	1676	1689
Alexander VIII.....	1689	1691
Innocentius XII.....	1691	1700
Clemens XI.....	1700	1721
Innocentius XIII.....	1721	1724
Benedictus XIII	1724	1730
Clemens XII	1730	1740

TERTIO SOCIETATIS SÆCULO

NOMEN	Elect.	Def.
Benedictus XIV	1740	1758
Clemens XIII	1758	1769
Clemens XIV.....	1769	1774
Pius VI.....	1775	1799
Pius VII.....	1800	1823
Leo XII	1823	1829
Pius VIII.....	1829	1830
Gregorius XVI	1831	1846

QUARTO SÆCULO SOCIETATIS

Pius IX	1846	1878
Leo XIII.....	1878	

CONGREGATIONES							PRÆPOSITI							NOTANDA
APERTÆ				CLAUSÆ			NOMEN	ELECTI			DEFUNCTI			
Ordo C. G.	Dies.	Mensis.	Anni.	Dies.	Mensis.	Anni.		Dies.	Mensis.	Anni.	Dies.	Mensis.	Anni.	
							S. P. Ignatius			1541	31	Jul.	1556	
1ª	19	Jun.	1558	10	Sept.	1558	P. Jac. Laynez	2	Jul.	1558	19	Jan.	1565	
2ª	21	Jun.	1565	3	Sept.	1565	S. F. Borgia	2	Jul.	1565	1	Oct.	1572	
3ª	12	Apr.	1573	16	Jun.	1573	P. Ever. Mercuriano	23	Apr.	1573	1	Aug.	1580	
4ª	7	Feb.	1581	22	Apr.	1581	P. Claud. Aquaviva	19	Feb.	1581	31	Jan.	1615	
5ª	3	Nov.	1593	18	Jan.	1594		»	»	»	»	»	»	Jussu Clementis VIII.
6ª	21	Feb.	1608	29	Mar.	1608		»	»	»	»	»	»	Ex decreto Procuratorum.
7ª	5	Nov.	1615	26	Jan.	1616	P. Mut. Vitelleschi	15	Nov.	1615	9	Feb.	1645	
8ª	21	Nov.	1645	14	Apr.	1646	P. Vinc. Carrafa	7	Jan.	1646	8	Jun.	1649	
9ª	13	Dec.	1649	23	Feb.	1650	P. Fr. Piccolomini	21	Dec.	1649	17	Jun.	1651	
10ª	7	Jan.	1652	20	Mar.	1652	P. Alex. Gottifredi	21	Jan.	1652	12	Mar.	1652	
»	»	»	»	»	»	»	P. Gosw. Nickel	17	Mar.	1652	31	Jul.	1664	
11ª	9	Maii	1661	27	Jul.	1661	P. J.-P. Oliva (Vicarius)	7	Jun.	1661	26	Nov.	1681	Ex decreto Innocentii X.
12ª	22	Jun.	1682	6	Sept.	1682	P. Car. de Noyelle	5	Jul.	1682	12	Dec.	1686	Unanimis electio.
13ª	22	Jun.	1687	7	Sept.	1687	P. Th. Gonzalez	6	Jul.	1687	27	Oct.	1705	Electio plus quam 1/2, 3º scrut.
14ª	19	Nov.	1696	16	Jan.	1697		»	»	»	»	»	»	Ex decreto Innocentii X.
15ª	20	Jan.	1706	3	Apr.	1706	P. Mich.-Ang. Tamburini	31	Jan.	1706	28	Feb.	1730	
16ª	19	Nov.	1730	13	Feb.	1731	P. Fr. Retz	30	Nov.	1730	19	Nov.	1750	Unanimis electio.
17ª	22	Jun.	1751	5	Sept.	1751	P. Ign. Visconti	4	Jul.	1751	4	Maii.	1755	
18ª	18	Nov.	1755	28	Jan.	1756	P. Alois. Centurione	30	Nov.	1755	2	Oct.	1757	
19ª	9	Maii	1758	18	Jun.	1758	P. Laur. Ricci	21	Maii.	1758	24	Nov.	1775	
RUSSIA Poloc. 1ª	10	Oct.	1782	18	Oct.	1782	*P. St. Czerniewicz* (Vic. G.)	17	Oct.	1782	18	Jul.	1785	
RUSSIA 2ª	1	»	1785	13	»	1785	*P. Gabr. Lenkiewicz* (Vic. G.)	8	»	1785	10	Nov.	1798	

ERRATA

Pag.	72,	Lin.	5, servari	*Corrige :*	servari convenit.
—	94,	—	34, censuit. » C. G	—	censuit » C. G.
—	109,	—	11, rita	—	rite.
—	122,	—	28, utantur	—	utuntur.
—	150,	—	2, Possunt tamen.....	—	*Hæc referas ad lin. 22.*
—	180,	—	11, 5576	—	1576.
—	185,	—	6, Ex. IV. 30	—	Ex. IV. 36.
—	217,	—	8, ...	—	*Adde :* Cf. tamen C. G. XXIII, 35.
—	240,	—	16, 275 (in marg.).....	—	273.
—	249,	—	16, 233	—	283.
—	284,	—	8, 26) [2].....	—	26).
—	347,	—	14, Commendavit. C. G...	—	Commendavit C. G.
—	384,	—	6, supra n.	—	supra n. 405.
—	409,	—	8, cujus Societas.....	—	seu opus cujus Societas.
—	426,	—	24, P. Piccolomini, n. 15.	—	P. Piccolomini, n. 13.

Quæ habentur p. 209, not. 3, fuerunt concessiones aliis quidem temporibus datæ, hodie vero antiquatæ.

Cætera benevolus lector facile corriget.

TOLOSÆ. — TYPIS A. LOUBENS ET A. TRINCHANT.

060.15
R145
43691
RAMIÈRE, S. J., HENRICUS
AUTHOR
Compendium
Instituti Societatis Jesu.
TITLE
Editio Tertia
Quam Emendavit...Julius Bes
DATE DUE
BORROWER'S NA
RESERVED
DO NOT REMOVE
43691
ED IN U. S A